Pre-Linn.
QK1
.A185-7
1717
v.5-6

ACADEMIAE CAESAREO-LEOPOLDINAE CAROLINAE NATVRAE CVRIOSORVM EPHEMERIDES

SIVE

OBSERVATIONVM MEDICO-PHYSICARVM

A

CELEBERRIMIS VIRIS

Tum Medicis, tum aliis Eruditis in Germania et extra eam communicatarum

CENTVRIA V. et VI.

Cum

APPENDICE

et

Privilegio Sacr. Caes. Majestatis.

ACAD
PUBLICA AUCTORITATE VENDIDI

NORIBERGAE,

Sumptibus WOLFGANGI MICHAHELLES

Litteris MELCHIORIS GOTTOFREDI HEINII.

ANNO M DCC XVII.

Mo. Bot. Garden,
1902.

ΔΟΔΡΟΜΑΔΕ

IMPERATORI
CAESARI
CAROLO
MAXIMO
PIO FELICI INVICTO
DEBELLATORI GENTIVM BARBARARVM
AC PVBLICAE QVIETIS FVNDATORI
GERMANIAE HISPANIAE
INDIAE VTRIVSQVE HVNGARIAE BOHE-
MIAE CASTILIAE LEGIONIS
ARAGONIAE
VTRIVSQVE PARITER SICILIAE HIEROSO-
LYMAE ATQ. NAVARRAE
REGI

AVSTRIAE DVCI
PRIMARIO

DVCI BVRGVNDIAE BRABANTIAE MEDIO-
LANI STIRIAE CARINTHIAE CARNIO-
LIAE VIRTEMBERGAE DVPLI
CISQVE SILESIAE

PRINCIPI SVEVIAE

COMITI
BVRGOVIAE MORAVIAE ET LVSATIAE
LIMITANEO

HABSPVRGI TIROLIS PFIRETARVM
KYBVRGI ET GORITIAE
PRINCIPALI

PROVINCIALI ALSATIAE
FLANDRIAE ETIAM COMITI

HENETORVM PORTENAVIAE ET
SALINARVM DYNASTAE

ET QVAECVNQVE SVNT RELIQVA

PATRI PATRIAE
INVICTA FORTITVDINIS
CONSTANTIA
VBIQVE VENERANDO
AVGVSTO SEMPER
AC BONO REIPVBL. NATO
DVM NOVA SVBIICIT
INDVSTRIAE LABORISQVE SVI SPECIMINA
GRATISSIMI PRO TOT TANTISQVE BENEFICIIS
ANIMI TESSERAM
FLAGRANTI CVMVLATISSIMAE PROSPERITATIS
VOTO SIGNAT
PERPETVOSQVE EX IMPETV ATQVE SVCCESSIONE
VICTORIARVM AVGVRATVR TRIVMPHOS
ET QVOD EST PRAECIPVVM
CONCORDIQVE ORBIS VNIVERSI SVPPLICATIONE
DEPOSCITVR
FIRMVM AC STABILE
DOMVS AVGVSTAE
INCREMENTVM
NVMEROSAM AETERNI IMPERII PROPAGINEM
EA QVA POTEST
MENTIS DEVOTISSIMAE RELIGIONE
COMPRECATVR
ACADEMIA NATVRAE
CVRIOSORVM.

INter tot ac tantos, in quibus versatur assidue MAIESTAS VESTRA, pro orbis ac Imperii salute, labores; in illa sacra, quae ouras omnes sibi unice adsignat et fixas tenet, publicae rei procuratione, quis esse possit aut debeat officio huic nostro locus, equidem ipsi non videmus, neque, ut videamus, pro ea, quae verecundiae nostrae comes est, animi fiducia adsequimur. Rumpat igitur, si vel maxime ista nobis obstent omnia, silentium pietas, et demissi, gratique pro Augusta Munificentia cultus commemoratio; quae ne verbis sese duntaxat efferre videatur, aut intra nudos formularum terminos consistere, nova simul obsequii nostri ac studiorum libamenta sacro pulvinari submittit, veniamque huic audaciae indulgeri non tam flagitat, quam admissae jam tum saepius venerationis religiosissimae experimento nixa deposcit. Etenim cum Imperatorum olim manibus terra colebatur, uberiores dedisse fructus credita fuit, quasi gauderet scilicet vomere laureato et triumpha-

li

li aratore, cujus tanquam benignissimi et cuncta serenantis sideris respectu majorem nanciscereturet invidendam multis aliis fertilitatem. Nostrae utique sedulidatis fundus, cum pro difficillimorum temporum statu negligentior aliquamdiu et parum excultus jacuisset, nuper admodum aureo quasi Jovis imbre mirum in modum recreatus, ampliores hosce et varietate non solum sua, sed et usu praestantiaque commendabiles fructus reddidit ad Bibliothecam palatinam justa debitaque veneratione deferendos. Isthoc unum videlicet felicitati nostrae adhuc deesse videbatur, ut de CAESAREA tutela gratiaque securi animos reciperemus et alacritatem, eoque majori posthac cura studioque in conficienda, quam ante annos jam bene multos exorsi sumus, opera pergeremus, quo sanctius illud est Musis nostris paratum firmamentum ac praesidium. Cujus sane jam certa nobis est ac spectatissima fides, cum et spem vicerit atque expectationem nostram ingens beneficium, eo etiam tempore concessum, quod alienissimum a munerum erogatione videri potuisset. Neque enim leges duntaxat armorum inter ac lituorum strepitus silere perhibentur, ipsi quoque Gratiarum Musarumque, tametsi omnium habeantur suavissimi concentus, ubi Gradivus Pater res agit suas, procul esse jubentur ut plurimum, et vel plorare duntaxat aerumnas suas, vel occlusis fame inopiaque labiis conticescere. Sed bene est et praeclare cumprimis nobiscum agitur, quod EX VTROQVE CAESAREM agnoscamus, qui Martis propugnatoris ferociam incredibili, quae ex rerum Divinarum humanarumque studiis capitur, amoenitate ac mansuetudine temperare didicerit, et

)(victri-

victrices inter, quae cingunt tempora, lauros ederas etiam noſtras patiatur proſerpere. Favit inde votis, quae pro teſtanda animi ob inſignem liberalitatem devotiſſimi religione tum ſuſceperamus, ſupremi ac praepotentis DEI bonitas, et fuſo mox ad Sabi Danubiique ripas Saracenorum exercitu victoriam dedit VESTRAE MAIESTATI longe maximam et inter praecipuas connumerandam. Quae uti perpetua maneat et cumulum aliarum porro trahat, dum ſtipem ex condicto ad aerarium deferunt populi, et militem ſcribunt ad cohortes dimittendum, nobis pariter incumbere viſum fuit, quod unum poſſumus, aliquot errones noſtros, tametſi imbelles atque umbraticos, ad ſigna cogere, et congregatis illis, qui diſſoluti vagabantur, aciem de turba noſtra inſtruere. Quid enim optimarum partium civibus, et tam beati tam fortunati modis omnibus Imperii amantiſſimis poſſit eſſe jucundius, quam in media MAIESTATIS VESTRAE luce verſari, cujus nutu providentiaque praecipue factum, ne ſaeculum hoc antiquioribus illis invideat, rebus ſemper praeclare ac fortiter geſtis, quae profecto omne in aevum omnium ſcriptorum ingenia ſunt fatigaturae. Igitur aeterni noſtri ac demiſſiſſimi obſequii index libellus ad Auguſtae Gratiae aram non tam adfectat viam, quam celeri gradu feſtinat, pietatis noſtrae ſanctimonia, tanquam ſtimulo, majorem in modum concitatus. Praebemus etenim

nim occupatae in finibus Imperii regundis menti non ingrata forte diverticula, per quae interdum a severioribus ac diuturnitate molestis cogitationibus quodammodo peregrinetur, ut acres illae pro salute universi curae gravissimique labores condiantur jucundiorum de arcanis naturae animadversionum suavitate. Quod dum facimus, Divini numinis clementiam precibus ardentissimis imploramus pariter atque obtestamur, ut votis annuat mortalium, et vividam mox valentemque concedat aeterni Imperii propaginem; quae quidem intercepta nuper eheu! fuit inopino ac praematuro LEOPOLDI Primigenii excessu, ut pateret scilicet gentibus, esse etiam aliquid in Domo Augusta mortalitati obnoxium. Sed deterget omnino effusissimas in isto luctu lacrumas summa DEI bonitas, et auspicatissimo partu subjectas omnes Austriaco imperio ditiones ac provincias exhilarabit, clarumque fiet hoc pacto, quam facile sit DEO OPT. MAX. concussam flebili casu felicitatem reparare, pristinamque extemplo restituere orbi serenitatem. Pergat inde fortuna, immo, ut scribamus rectius, pergat Divina benignitas, dum omnia passim videmus turbari ac in pejus ruere, Austriaci Nominis exsuperantiam servare ac tueri, Ejusque perpetuae annuere felicitati. Obsequii porro nostri pars erit vel inter praecipuas, qui congestis in codicillos memorialis naturae me-

dicatricis, artisque quam profitemur, ſalutaris operibus poſteritatis negotium agimus, ſi quid laboris noſtri cura humano generi prodeſſe queat, inde operi commendationem, qua potior nulla eſſe queat, petere, unde vivendi exemplum, pugnandique ac imperandi normam, omnes, quotquot poſthac erunt, Principes ſunt petituri.

Rarus honos Summo ſe CAESARE poſſe tueri;
Rarior a Summo CAESARE poſſe legi.

Verſabitur haec nobis ſemper ob oculos felicitas et incitamento erit, ut cum SALVS AVGVSTI omnes attingat, nos praecipue, qui uberrimos ex hac fructus capimus, ac religione beneficiorum obſtricti vivimus, ardentiſſimis porro votis ſimus precaturi, uti feliciter poſthac omnia cedant, inque hoc motu et converſione temporum Europa tandem aliquando concors, Germaniae invicta, Auſtriacisque parentes provinciae pacatae ac rerum omnium adfluentia redundantes reddantur, libertatemque cum imperio avito retineant, et CAROLO MAXIMO rerum potiente, immenſa gloriae proſperitatisque acceſſione augeantur!

CATA-

CATALOGVS

NOBILISSIMORVM DOMINORVM,

Quorum Obſervationes Phyſico-Medicæ in his duabus Centuriis leguntur.

D. D. Chriſtianus Michaël Adolphi, Archiater Ducalis Saxonicus Cizenſis, & Medicus Lipſienſis, Academicus Curioſus.

D. D. Michaël Alberti, in Vniverſitate Halenſi Medic. Profeſſ. Publ. Reip. Noribergenſis Phyſicus ordinarius Academicus Curioſ.

D. D. Johannes Jacobus Bajerus, in Vniverſitate Altorfina Medic. Profeſſor Publ. Facult. Senior & Phyſicus Noribergenſis, Academ. Curioſus.

D. D. Conradus Bertholdus Behrens, S. R. M. Britann. &c. Archiater, Medicus & Senator Hildeſienſis, Academ. Curioſ.

Dn. Johannes Conradus, Lib. Baro a Brunn, Dominus in Hammerſtein, Conſil. & Arch. Palatinus, Acad. Cur.

D. D. Onuphrius Bonfiglius, Poliater Cracovienſis, Academ. Cur.

D. D. Rudolphus Jacobus Camerarius, in Vniverſitate Tubingenſi Medic. Profeſſ. Publ. hortique Med. Inſpector, Acad. Curioſ.

D. D. Elias Camerarius, Conſiliarius & Archiater Ducalis Würtembergicus, in Vniverſitate Tubingenſi Med. Profeſſor Publ. Acad. Curioſ.

 D. D. Geor-

D. D. Georgius Dethardíng, in Vniverſitate Roſtochienſi Profeſſor Publ. Acad. Curioſus.

Dn. Lic. Joh. Jacobus Dillenius, Poliater Giſſenſis, Academ. Curioſ.

Dn. Johannes Gabriel Doppelmajerus, Mathematum Profeſſ. Publ. Noribergenſis, Academ. Curioſus.

D. D. David Laurentius Ebersbach, Poliater Lübavia-Luſatus.

D. D. Chriſtianus Henricus Erndl, S. R. M. Poloniæ &c. Archiater, Academ. Curioſus.

D. D. Andreas Fackhius, Conſiliarius & Proto-Medicus Cæſareus, Academ. Curioſus.

D. D. Johannes Adamus Genſelius, Regiæ Liberæ Civitatis Sopronienſis & Comitatus Caſtroferrei Medicus, Academ. Curioſ.

D. D. Marcus Gerbezius, Poliater Labacenſis, Academ. Curioſus.

D. D. Johannes Chriſtophorus Gerlachius, Conſiliarius & Archiater Ducalis Würtembergicus, & in Calvenſi Diſtrictu Medicus Provincialis.

D. D. Chriſtophorus Ludovicus Göckelius, Sereniſſ. Princip. Badenſ. Medicus & Phyſicus Noribergenſis, Academ. Curioſ.

D. D. Samuel Graſſius, Jun. Practicus Vratislavienſis, Academicus Curioſus.

D. D. Laurentius Heiſterus, in Vniverſitate Altorfina Anatom. & Chirurg. Profeſſor Publ. Academ. Curioſus.

D. D. Godofredus Heldius, ab Hagelsheim, Seren. Marggravii Baruth-Brandenburgici regentis Conſiliarius aulicus & Archiater primarius Acad. Curioſ.

D. D. Chriſtianus de Helwich, Seren. Princ. Eliſabeth. Conſiliarius & Archiater, Poliater Vratislavienſis, Academ. Curioſus.

D. D. Johannes Mauricius Hoffmannus, Seren. Marchionis Onoldo-Brandenburgici Conſiliarius aulicus & Archiater primarius, Academ. Nat. Curios. Adjunctus.

D. D. Johannes Georgius Hoyerus, Poliater Molhuſinus, Academicus Curioſus.

D. D. Johannes Georgius Kisner, Poliater Mœno-Francofurtenſis,

D. D. Go-

D. D. Godofredus Klaunig, Sacr. Cæsar. Majestat. & Princip. Palat. Medicus, Poliater Vratislavienſis, Academicus Curioſus.

D. D. Josephus Lanzonus, Proto-Medicus & Profeſſor Ferrarienſis, Academ. Curioſus.

D. D. Hieronymus Laubius, Noſocomii Regii Hafnienſis Medicus.

Dn. Johannes Georgius Liebknecht, in Vniverſitate Giſſenſi Mathem. Profeſſor Publ. ordin. Academ. Curioſ.

D. D. Johannes Adamus Limprecht, Seren. p. m. Fratrum Würtemberg. & in Sileſia tam Olſnenſi quam Bernſtad. Ducum olim Conſiliarius, Academ. Nat. Curioſ. & Collegii Medici regii Berolin. Adjunctus.

D. D. Michaël Fridericus Lochner, Archiater & Comes Palatinus Cæſareus, Nobilis, Ephem. Nat. Cur. Director, & Medic. Noribergenſis Senior.

D. D. Johannes David Mauchartus, Phyſicus Marbacenſis, Academicus Curioſus.

D. D. Godofredus David Mayerus, Poliater Vratislavienſis, Acad. Curioſus.

D. D. Johannes Burckardus Mögling, Conſiliarius & Archiater Ducalis Würtenbergicus, Academicus Curioſus.

Dn. Lic. Johannes Matthias Müller, Phyſicus Cünzelſavienſis, Acad. Curioſus.

D. D. Daniel Nebel, in Vniverſitate Marburgenſi Medic. Prof. Publ. & Medicus aulicus Electoralis Palatinus, Academ. Curioſ.

D. D. Chriſtianus Gottlieb Reusnerus, Illuſtriſſ. Comit. a Schafgotſch &c. Archiater, & Poliater Javeravenſis, Academ. Curioſus.

D. D. Vitus Riedlinus, Reip. Vlmenſis Phyſicus primarius & Gymnaſii Scholarcha, Academ. Nat. Cur. Adjunctus.

D. D. Johannes Schmiederus, Poliater Pirna-Saxonicus, Acad. Cur.

D. D. Lucas Schröckius, Archiater & Comes Palatinus Cæſareus, Nobilis, Acad. Nat. Curioſ. Præſes, & Reipubl. Auguſtanæ Phyſicus Primarius.

D. D. Michaël Bernhardus Valentini, in Vniverſitate Giſſenſi, Medic. Profeſſ. publ. Academ. Nat. Cur. Adjunctus, *D. D.*

D. D. Antonius Valisnerius, in Vniversitate Patavina primarius Medicinæ theoricæ Professor publ. Academ. Curiosus.

D. D. David Christianus Valther, Illustriss. Comit. Schönburg &c. Consiliarius & Archiater, Practicus Dresdensis, Academicus Curiosus.

D. D. Johannes Melchior Verdries, in Vniversitate Gissensi Phil. & Medic. Professor publ. Academ. Curios.

D. D. Gerardus Arnoldus de Vincquedes, Sereniss. Electoris Coloniensis &c. Chimicus, Academ. Curios.

D. D. Johannes Baptista de Wenckh, Nobilis, Liber Franco-Volcacensis, Incl. Statuum Ducatus Styriæ Medicus & Physicus Græcensis ordin. Pro Senior, Acad. Nat. Cur. Adjunctus.

D. D. Hermannus Wernerus Engelbertus de Westhoven, S. R. I. Nobilis & Eques, Com. Palat. & Poëta Laur. Cæsareus, Medicus Hammensis, Academ. Curiosus.

D. D. Johannes Casparus Westphalus, Præfecturæ Delitschensis & Bitterfeldensis Physicus, Academicus Curiosus.

D. D. Johannes Guilelmus Widmannus, Poliater Noribergensis.

Dn. Lic. Christianus Gotthardus Wilischius, Physicus Provincialis & Poliater Pirnensis, Academicus Curiosus.

D. D. Petrus Wolfartus, Archiater Hasso-Cassellanus, Medic. & Philosoph. experiment. Professor publ. Academicus Curiosus.

OBSERVA-

Tab: I. Observ: I.
Cont. V. pag. I.

Fig. 1.



Fig. 2.

OBSERVATIONVM PHYSICO-MEDICARVM ACADEMIAE CAESAREAE CAROLINAE NATVRAE CVRIOSORVM CENTVRIAE V.

OBSERVATIO I.

DN. D. PETRI WOLFARTI.

De

Hepate vesicula felles destituto & calculis bilariis.

VEsiculam felleam raro deesse, sique præter naturam in monstrosis deficiat, vel secundum naturam in quibusdam animalibus absit, defectum illum resarciri poro bilario vel analogo alio organo, Th. Bartholinus in Anat. scribit; at columbas pluraque animalia, quæ vesicula fellis carent, bile tamen non destitui, in Petri Dionis anat. corp. hum. pag. 225. alibique legitur, cum horum jecur amarum deprehendatur, habeantque meatum cholidochum, qui vesiculæ functionem exercens, bilem in intestinum recta defert. De

eadem abſentia plura exempla adducit Georg. Segerus in Triumph. cord. pag. 15. Sic etiam vir 73. annorum, nomine Wetter, temperamenti cholerici, ad iram admodum proclivis, cæterum optima ſanitate fruens, athleticique habitus, ita ut menſæ anatomicæ impoſitus, cum juvene 20. annorum certare adhuc habitus ejus facile potuiſſet, cum ob perpetratum homicidium aliaque facinora gladio carnificis capite fuiſſet truncatus, in theatro noſtro Caſſellano anatomico hepar veſicula bilaria deſtitutum mihi exhibuit; cujus hepatis partem ſimam Tabula addita æri inciſa, ſingulari Sereniſſimi Principis Haſſiaci munificentia Ephemeridibus noſtris dicata, ſiſtit; in qua conſpicienda ſe præbent:

Fig. I.

A. B. Hepar in lobos diviſum in ſima parte tunica ſua veſtitum.

C. C. Lobus exiguus in omentum exporrectus, tertius alias etiam Anatomicis dictus.

D. Ligamenti Hepatis validioris & principalioris, quo mediante Diaphragmati annectitur, portio.

E. Ligamentum ejusdem laxius & ſecundum, cartilagini xyphoidi contiguum.

F Portio venæ cavæ.

G. Vena portæ.

H. H. Arteria, quæ a ramo cæliaco ad ſima hepatis tendit in duos ramos diviſa.

I. Ductus bilarius cyſticus dictus, extremitate ſua in hepatis ſubſtantia ſacculum quendam copioſa bile repletum conſtituens.

K. Ductus hepaticus vel cholidochus vocatus.

L. Ductus communis, qui vel ad duodeni finem, vel jejuni principium oblique terminatur.

Fig. II.

A. B. C. Jecoris pars convexa.

D. Ligamentum jecoris validius.

E. Ligamentum hepatis laxius, ſeptale aliquibus dictum.

F. F. Crena ſatis conſiderabilis, mentem divisionem partis dextræ hepatis in duos lobos.

Fig.

Fig. III. IV. V. VI.

Repræsentant Lapillos inter reliquos maxime considerabiles, repertos in vesica bilaria militis phthisi, horrendisque ulceribus malignis & depascentibus in utroque femore defuncti.

(Cassellis Augustam Vind. d. 4. Febr. A. 1715. missa.)

OBSERVATIO II.

Dn. D. GOTOFREDI KLAUNIG.

Historia Variolarum, quæ per insitionem excitantur.

HAnc Observationem a Potentiss. Regis Sueciæ Archiatro, Nob. Dn. Sam. de Skraggenstierna accepit Exc. D.D. Klaunig, cui idem Archiater testatus est, se in Turcia locutum fuisse cum curæ hujus præconibus, qui in proprio corpore experimenti illius periculum ex voto fecerant; & hinc commotus a D. Timonio pleniorem informationem cum petiisset, hanc quæ sequitur historiam obtinuerat. Haud pauci excurrunt anni, a quo Constantinopoli, ubi magnus variarum nationum confluxus est, Variolas per insitionem excitari, rumor quidem circumferebatur, Circassios, Georgianos, Armenios multosque alios Asiaticos, id factitare audiebamus. Interim Græci etiam interius advenientes Variolas passim inferere cœperunt. Prudentiores Viri haud præcipitanter assensum præbuere, sed repetitæ experientiæ eventus rimabantur. Exitu igitur operationis fauste in omnibus succedente, factaque per ultimos hosce octo annos in millenis subjectis experientia, insitionis utilitas, & securitas jam diu extra omnem dubitationis aleam posita est. Nullum enim penitus atque penitus ex insititiis variolis mortuum esse, apud omnes in confesso est, quamvis operatio hæc in cujuscunque ætatis, sexus, & temperamenti individuis celebrata fuerit, concurrente etiam vel impurissima quacunque aëris constitutione, quando nimirum a Variolis populariter grassantibus, dimidia decumbentium pars

necabatur. Hæc ita se habere attestor; sedulam enim inquisitionem feci, & ex insitione nulli unquam aliquid luctuosi contigisse pro comperto habui, quin imo operationem in quam plurimis cognatis, & affinibus meis institui. Insititias illas Variolas pauca, aut levia, ut plurimum comitantur symptomata, aliquando etiam nulla, multi enim vix sentiunt, se ægrotare, quodque sequiori potissimum sexui in votis est, nunquam cicatricibus, seu foveis facies deturpatur. Quoad operationem, celebratur hæc apposito studio per electivum contagium, pure scilicet variolarum sanguini immixto; modus per metaphoram insitio vocatur. Encheiresis autem hæc est; inveniendus primum puer aliquis, haud pravo temperamento præditus, variolis communibus (distinctis tamen, non confluentibus) correptus. Die duodecima, vel decima tertia a principio ægritudinis, huic acu pertundenda sunt (in tibiis præcipue, & poplitibus) aliquot tubercula, & pus inde manans in subjectum vasculum exprimendum. Vas vitreum sit, vel ex qualibet alia puriori materia, politum tamen interius, si tepida lotum fuerit, & absersum, haud absonum est. Sufficienti puris collectæ copiæ vas tegatur foveaturque sinu, & quantocius ædes illius petat operator, cui insitionem meditatur; igitur patienti in temperato cubiculo habitanti, uno, vel duobus, vel paulo pluribus locis cutem acu pertundat ad guttulæ sanguinis emanationem, statimque pus Variolarum infundat, & erumpenti sanguini probe immisceat. Punctio instituenda est in partibus carnosis indifferenter quibuslibet, in brachiis, & lacertis commodissime succedit. Acus chirurgica sit, hoc est, tricuspidalis; scalpello etiam phlebotomo fit operatio, sed puris immixtio obtusiori stylo, vel auriscalpio peragenda: transverse acum in cutem infigere, cutemque parumper discerpere mos est, ut sufficienter solutio continui fiat, pusque immisceatur facilius. Vulneribus superimponuntur cortices nucum juglandium per medium sectæ, vel quid simile concavum, & fiant ligaturæ desuper, ne pus vestibus abstergatur, post aliquot horas omnia removeantur. Diæta utatur pa-

tiens:

tiens: a carnibus, & jusculis etiam hic loci abstinent, ad vigesimum quintum ad minimum. Operationem initio hyemis, & appetente vere celebrare solemne est. Si operator per tertiam personam pus sibi adferendum curaverit, erit suspicionis expers, ne communis contagii miasmata vestibus suis adhæreant, a quibus patienti metuendum sit. Interim si processum quæras, ratione idiosyncrasiæ serius alii, alii citius variolas excludunt, leviora alii, alii graviora habent symptomata; omnibus tamen fauste succedit. In hisce locis communiter ad finem septimi efflorescere incipiunt variolæ, quod Phænomenon doctrinæ Crisium favet. Observatum est anno, quo communes Variolæ lethales fuere, graviora parumper in insitione fuisse symptomata. Inter quinquaginta subjecta iisdem fere diebus passa insitionem, quatuor numero novimus, quibus & exclusio variolarum nimis cita fuit, & tubercula plura, & symptomata graviora fuere. Suspicio fuit haud sine fundamento, communi variolarum contagio fuisse hæc paucis ante insitionem diebus attacta. Sufficit ad rem nostram, quod nemo post insitionem salutem non recuperaverit. In his quatuor variolæ ad confluentium naturam accedebant. Insititiæ alioquin Variolæ paucæ, & raræ sunt; decem sæpius, vel viginti erumpunt; huic vel illi duæ vel tres: paucis centenæ aliquot numerantur: sunt nonnulli, queis nulla alia pustula præter loca insitionis, quæ in purulenta tubercula extumescunt, eruperit, & tamen immunes imposterum a variolarum contagio vixerint, quamvis ægrotis variolis correptis cohabitaverint. Notandum, non paucam emanare puris copiam a locis insitionis per plures dies. Variolæ insitione erumpentes brevi tempore inficeantur, & partim in tenuissimas pelliculas degenerantes decidunt, partim contra communium variolarum morem per insensibilem resolutionem evanescunt: materies enim haud pus crassum est, prout in communibus, sed tenuior quædam sanies, ideoque foveæ iis haud succedunt. Loca insitionis excipio, quæ tenui pure manant, & cicatrices relinquunt, nullo tempore delebiles. Si cui apostema aliquod eruperit,

perit, haud timendum, tutissime enim per suppurationem sanatur. Si quod aliud etiam symptoma contigerit, communibus remediis facile curatur. Notandum, ab insititiis Variolis pro nova insitione pus mutuari haud usitatum esse. Qui Variolarum tributum naturæ solverit, si insitionem patiatur, nullam alterationem sentiet, loca etiam insitionis ipsi statim exarescunt, cachymum aliquod corpus excipias, cui levis inflammatio, & exulceratio per paucos dies contingere poterit. Vnum hucusque puerum novimus, cui insitio instituta sit, & variolas non exclusserit, nihil tamen inde damni passus est. Suspicor hunc puerum puris infusionem totaliter elusisse: validis enim membrorum contorsionibus, operationi reluctatus est, nec aderat, qui coërcere posset. Calamitosi aliquid ex insitione alicui contigisse, hucusque non novi, & quamvis rumore vulgi disseminarentur, ego dato studio ædes illorum petii, de quibus tale quid dicebatur, & rem scisciatus omnia falsissima esse pro comperto habui. Octavus excurrit annus, a quo insitionis oculatus testis sum; ut sedulitatis, qua in hujusce operationis inquisitione usus sum, fidem faciam, duas narrabo historias, ad rem nostram facientes. Fuit in familia quadam puer trium circiter annorum, morbo comitiali, strumis, lue hæreditaria, & marasmo diutino confectus. In hoc parentes insitionem instituere voluerunt: Variolas facillime exclusit, penes quadragesimum suo marasmo periit. In alia familia fuit puella trima morbo comitiali tentata, lue hæreditaria infecta, & colliquativo alvi fluxu per tres menses laborans. Huic insitio facta est, variolas optime exclusit, & ante decimum quintum hoc pensum absolutum est: trigesimo secundo ab insitione die, veteri alvi fluxu, qui nunquam intermiserat, periit. At ædepol, insitionem ego variolarum, universalem ad omnes morbos panacæam haud sum professus; nec moribundis instituendam sentio. Nasutiores etiam suspicantur, duo illa subjecta, tanquam incommodas umbras ad cymbam Charonteam omnibus modis fuisse detrusa. Si quid aliud in meam notitiam perveniisset, candide narrarem.

AETIO-

AETIOLOGIA.

COntagium Variolarum per puris infusionem propagari, haud equidem mirabitur, qui Aesculapii templum vel a primo limine salutavit, & fermentationis doctrinam subodoratus est: Nec obscurior est insitionis modus, quam pabificium, aut ars cerevisiaria, in quibus ex admisto fermento massæ fermentandæ turgescunt: conciliato nimirum motu intestino minimarum particularum principiis activis pollentium. Si quis quærat interim: cur variolæ periculosæ alioquin, & persæpe lethales, ex insitione sine ullo periculo excludantur, dico: Variolæ communes, vel concurrentes prava aliqua speciali aëris diathesi suscitantur; vel ab effluviis a varioloso corpore emanantibus per contagium propagantur. Primus casus in paucis individuis accidit, & concurrente quidem, vel insigni cacochymia, vel saltem varioloſi seminii in talibus individuis latitantis acerrima exaltatione. Secundus casus communissimus est. In primo casu miasma malignum aëreum, in secundo virulenta contagii corpuscula indolis probabiliter, salino-sulphureæ, sed specificam fracedinem, seu ranciditatem nacta, statim ac per respirationem hauriuntur, spiritus ipsos, & late quidem teterrima inficiunt: subsequenter autem massam sanguineam, & lympham vitiari manifestum est. Spiritus statim infici, rationi consentaneum est, tum quia in fontes spirituum, cor scilicet, & cerebrum, statim ingressum habent, virulentæ aporriæ, tum ratione analogismi inter miasmata, & effluvia ista, ipsosque spiritus, cum utraque spirituoso-aëreæ texturæ sint: deducitur etiam cita, & prava spirituum infectio a tot tantisque nervosi systematis symptomatibus, quæ malas plerumque comitantur variolas, & præcipue a convulsionibus epilepticis, quæ infantibus accidunt ipso momento, quo varioloso inficiuntur contagio, multo antequam febris ipsos corripiat. Massam autem sanguineam inquinari, præter febrem purulenta tuberculorum exclusio testatur. Lymphæ vero vitiatæ fidem faciunt, glandularum in faucibus tumor, screatus, & enormis

mis multoties ptyalismus. Inter hæc tria circularis etiam sequitur noxa: sed præcipue sanguinis particulæ ab indebita spirituum irradiatione in plures ataxias, & anomalias perducuntur. Duobus tamen modis in variolis mortem contingere observavi. Primus est, quando paucis erumpentibus variolis, mala alia suboriuntur symptomata. Secundus, quando nimia tuberculorum copia cadaverosam putredinem inducit. In primo casu malignæ vulgo dicuntur variolæ. Causa autem est, vel nimia fusio, & dissolutio massæ sanguineæ, vel ejusdem coagulatio, & grumescentia. Si enim impetus spirituum explosivus justo plus augetur, particulæ massæ sanguineæ nimium adinvicem atteruntur, comminuuntur & tenuissimas nanciscuntur acrotidas: Sanguis in hoc casu solertis naturæ mechanismum eludit, cumque nihil fœculentioris in glandulis secretoriis cribrisque deponat, œconomiae animalis functionibus requisitas filtrationes ac transcolationes celebrari haud patitur, improportionata etenim est figura particularum liquidi ad configurationem pororum in tubulis, & colatoriis ratione subtilitatis nimiæ: filtrarentur enim particulæ sanguinis, si naturalem servarent schematismum, & molem. Hinc dicitur, pepsin fieri per concoctionem, seu incrassationem. Torrens ubi nimio impetu, & præcipiti cursu fertur, aquas turbidas defœcari haud patitur, quia vis centripeta gravitate admixti terrei sequens superatur a fortiori impulsoria virtute aqueorum globulorum rapide ruentium: virtus enim fortis v. g. ut unum non poterit lineam perpendicularem describere, ubi virtus fortis ut duo ad lineam horizontalem protrudit. Sic etiam haud pluit vento flante intensissimo: eadem geometrica proportione probabiliter loquendo sanguinis particulæ, aucto ab effrænibus spiritibus motu, tubulos colatorios præterfluunt, nulla facta fœcum depositione. Hæc probabilia redduntur a summa pulsus celeritate, febre intensissima, sudore nullo, & urina cruda. Contra quandoque contingit, ut ab acutis, & scindentibus deleterii fermenti particulis frangatur, corrodatur, vel saltem relaxetur elater spirituum, elanguescente igitur spirituum motu turgi-

turgidiores etiam hebetioresque fiunt sanguinis lymphæque particulæ: igitur dum in labyrintheis tubulorum anfractibus moram indebitam contrahunt, alias turmatim invicem complicari, alias autem congestione facta, super alias incidere,& diverso adinvicem super ficierum suarum contactu, a naturali configuratione desciscere, & novas induere angulorum dimensiones, necesse est. Sic igitur diversa ab illa, quam superius narravimus, figurarum ac tubulorum meatus improportione, pari tamen calamitatis eventu, dædaleæ naturæ machinationes irritas fieri contingit. Hæc probabilia redduntur a pulsu tardo & raro, ac febris carentia, quandoque in summa malignitate observatis paucis, & tarde erumpentibus pustulis. Ulterius a trepidatoria, seu tumultuosa, ac subsultoria furentium spirituum irradiatione inæqualis eodem tempore in diversis partibus massæ sanguineæ, & venarum etiam, arteriarumque contingere potest impulsus. Sive igitur fibrillæ aliquæ, ut quidam volunt, reperiantur in sanguine, sive chyli nondum bene assimilati sint portiones, usibus peculiaribus dicatæ, probabiliter istarum motum turbari contingit. Has enim in circulatorio motu secundum longitudinem suam naturaliter moveri necessum est: ab inæquali autem, & præternaturali dicta pressione rectilineam figuram perdere, ac in spiras, & semicirculos crispari coguntur: has igitur sic contortas transversaliter postmodum in circulatione raptari, ad invicem intricatas convolvi, & ramosis schematibus obortis racematim adeo conglobari necesse est, ut in majusculos tandem grumos coalescant. Sive demum fibrillæ illæ non dentur, certe cujuscunque figuræ sint massæ sanguineæ particulæ, illas a naturalibus desciscere situatione hac de causa contingit: confusæ igitur particulæ istæ, & ad invicem intricatæ statim vehiculi sui, seri scilicet globulis per expressionem a suo contubernio explosis majorem gravitatem nanciscuntur, ideoque impulsivæ circulatoriæ facultatis vim superant; has igitur hic illic restitare, ac stagnare necesse est, prout in hoc vel illo loco prima mutua cohæsio forte contigerit: hinc livida stigmata, & simul (quod sæpe observavi in

variolis cum petechiis erumpentibus ,) frequens sequitur mictus, quo limpidissimum serum in magna copia includitur , infusio & coagulatio : hinc mirum non est, cur moriantur nonnulli in variolis cum petechiis, convulsionibus , syncope , vigiliis nimiis, delirio, hæmorhagiis, vomitibus enormibus, dysenteriis &c. quamvis haud multa pustularum putrilagine perfundantur : in stygium enim veluti characterismum variolarum fermentum aliquando evehitur, ita, ut quamvis haud magnam crassi puris copiam progignere aptum sit, spiritibus tamen liquidis , & solidis supra recensita mala modis explicatis , vel aliis consimilibus communicare possit, sicque mortem inferre : & hoc ante undecimum.

Veniamus nunc ad secundum modum ; diversa enim aliquando contingit pernicies, & longe alterius generis tragœdia: quamvis enim absint illa symptomata, nimia tamen puris, materiæ scilicet cadaverisatæ copia corpus obruitur, & hoc periculum ad vigesimum secundum protrahitur ; pus autem generari probabile est, quando sulphureis oleaginosisque sanguinis particulis in fracedine, & fusione constitutis, acido salinarum particularum confusio contingit. Huic asserto facem accendunt innumera chymica experimenta , quibus manifeste edocemur solutionibus pinguium sulphureorum per alcalia factis acido quolibet coaffuso statim massam albicantis coloris emergere : multoties igitur fermentum variolarum per respirationem haustam ratione indolis propriæ acerrimæ, & fortassis septicæ, tales in massa sanguinea particularum acido salinarum , & oleoso sulphurearum producere potest combinationes, ut non seminia solum variolarum, quæ omnibus individuis (mole tamen minima) a nativitate indita sunt, agitentur , actuentur, & in purulentam abeant putrilaginem, sed massa ipsa sanguinea tota acorem contrahat, & motu quodam corruptorio putrescat, & cadaverisetur. Sic enim incendio veluti coorto ulterius furere fermentescentes particulas contingit, quam variolosis seminis per despumationem eliminandis opus sit : hic motus non est depuratorius he-

teroge-

terogeneis secernendis inserviens, sed destructivus, & corruptorius, fermento nempe massam totam superante & invertente, fracidis scilicet, & rebellibus particulis victoria potitis, & omnes alias in sua castra migrare cogentibus; hoc manifeste observamus in variis potulentis, in quibus fermentatione aliquando excitata motus succedit corruptorius, liquores totaliter vitians: hinc videmus aliquos, quamvis supra recensitis symptomatibus immunes, immenso tamen, ut ita dicam, putredinis oceano suffocatos. Ultimo loco considerandum, solida etiam, & nobiliores partes in hisce casibus vel pessime affici, vel in spasmos inordinatos cieri. Ecce igitur continentia, contenta, & impetum facientia, quorum triumviratu humani corporis respublica regitur, una eademque ruina ut plurimum involuta. Mirabiturne quispiam malorum inde iliadem in hominis perniciem pullulare! Observandum ulterius multis, qui peste laboraverint, communibus variolis etiam post annum corruptis, bubones eosdem intumuisse, qui ante in peste eruperunt. Nonne hoc etiam summam malignitatem testatur? Insitionem modo ad rationis trutinam revocemus. At hercule, longe aliter in hoc contagiouis modo rem procedere, quis est, qui non fatcatur. Primum enim spiritus nullatenus infici manifestum est: deinde non lymphæ, non sanguini labes illa tetcrrima inuritur, non solidis vitium aliquod communicatur. Hinc symptomata omnia levia, nulla pessima, nulli infantibus epileptici insultus. Contagionis enim fermentum non spirituale, & acutum est, sed humorale, iners, ac pigrum; venena autem quo subtiliora, eo pejora. Pus equidem variolarum in ipsa substantia sanguini immediate infusum, statim in largum veluti pelagus exceptum diluitur, involvitur, absorbeutr, obtunditur, sic illud miteſcit, sic in mansuetiorem indolem cicuratur. Contagiosæ particulæ sanguinem ingressæ statim sibi congeneres varioloſi seminii particulas sanguini a nativitate inditas inveniunt; iis igitur confermenteſcunt, sed invicem combinatæ, ac complexæ haud amplius sui juris sunt, ut ulteriores excitent turbas. regiam vitæ perdant, spirituum thesauros diripiant, nam

mutuis compedibus constrictæ fixantur, præcipitantur crassioresque & hebetiores fiunt, quam antea fuerint. Statim igitur volubilioribus aquearum particularum globulis, tanquam apertis vehiculis, superincumbentes, sanguinis motu a centro ad peripheriam tendente, secundo veluti amne ad ambitum corporis protruduntur, eliminantur. Nonne manifeste videmus, haud pus generari in insititiis variolis, sed sanioſam, dilutiorem videlicet aqueamque magis materiam. Nonne ex hoc phænomeno palam est, acido salinas fermenti contagiosi particulas haud oleosas passim sanguinis particulas in cadaverosam purulentiam pervertere, sed blandioribus potius levioribusque aqueis particulis easdem dilutas, & saturatas foras asportari? Ex negatione fovearum, & cicatricum nonne manifestum est, acres, aculeatas, pungentes, & corrosivas fermenti salini particulas a balsamicis statim sanguinis globulis obtundi, spiculis suis orbari, & hebetiori figura modificatas, vi veluti mochlica extra propelli. Integra interim servatur massæ sanguineæ textura, inviolata consistentia: nullam hic vides fusionem, nullam commiscentiam, nullum corruptorium, aut destructorium motum. In insitione enim tantum solummodo sanguis fermentescit, quantum impuro a puri consortio separando, ac per despumationem extrudendo satis est. In hoc fermentationis motu, solum per undulationem quandam leviter aliquando afficiuntur spiritus, lympha, & solidæ partes, & si quæ ad ista contagii particulæ perveniunt, certe quod insitionis adumbrat metaphora, non nisi silvestri acrimonia privatæ, ac veluti dulcificatæ pervenire possunt.

Hæc tenuitatis meæ satis conscius, haud perfricta fronte obtrudo: Non me latet longe meliora emanatura ab *illis*, queis meliore luto finxit præcordia Titan. In historica tamen insitionis hujusce narratione aliquatenus me bene meritum spero.

Emanuel Timonius, Constantinopolitanus, in Universitatibus Oxonienſi & Patavina Philosophiæ & Medicinæ Doctor, & Regiæ Societatis Anglicanæ Socius.

Constantinopoli, Anno 1713. mense Decembri.

(*Vratislavia Augustam Vind. d. 11. Febr. A. 1715. missa.*)

Cum

Cum non ita dudum Venetiis quoque de hac ipsa Variolarum cura libellus prodierit, eundem subnectere libuit:

NOVA ET TVTA VARIOLAS

Excitandi per Transplantationem Methodus;
Nuper inventa & in usum tracta:

Qua rite peracta, immunia in posterum præservantur ab hujusmodi contagio Corpora.

VENETIIS, MDCCXV.

LECTORI BENEVOLO.

NOn ambigo, quin rei novitate motus faciem ad stuporem contorqueas, fortasse & animum ad contemptum convertas: Sed quisquis es, accurate prius, pacatoque animo rem totam considera. Prudentis enim est in censuras statim & morsus non irrumpere. Noli primo aspectu damnare, quod in recessu invitum ad sui laudes te trahet. Breviſſimis hisce cancellulis arcanum clauditur non contemnendum; & sæviſſimi Morbi ἀντίπαλον. Verum tanquam muliebre, vel superstitiosum commentum despicies forte ac irridebis: Fateor, mequoque initio hujusmodi phantasmate deceptum; sed ratione ipsaque experientia victus, depulsa omni hæsitantia in admirationem deveni non pœnitendam. Experientiæ enim quam belle respondet hic theoria! Physicum non reluctatur ratiocinium; favet, non repugnat Anatomica demonstratio; comprobat eventus: nihil ergo, quod redarguas, habes: At per tot retro transactos annos nemini cognitum paradoxon hoc suspicionem incutit. Ita est. Tempora haud omnes simul & semel suos eniruntur fœtus. Per statutas ætates pariunt dantque in lucem: Singulis sæculis æquissima distributrix illa Divina Mens sua tradidit specimina. Sed dices iterum; ab illitteratis & plane rudi-

bus portentum hoc fluxisse. Esto: Verum & Medicinam totam, quanta est, (haud ignoras,) hujusmodi principiis initium sumpsisse suum. Quid multis opus? Experientiam consule; non pœnitebit. Cæterum scias, me non captandæ gloriolæ gratia; sed communis utilitatis desiderio & causa Orbi Litterario operationem hanc publicam facere, omnibusque notam reddere. Vale.

Illustriss. Præclariss. atque Eruditissimo Viro,

WILHELMO SERHARD,

Dignissimo pro Inclyta Natione Britannica

nunc Smyrnis Consuli &c.

Amico & Patrono semper Colendiss.

JACOBUS PYLARINUS,

Quod non unica Epistola sæpius a me expetisti, Vir Præclarissime, Amice inter præcipuos honorande, Illustriss. pro celeberrima Natione Britannica Smyrnarum Consul, jam accipe pusillum Schediasma, in quo breviter Nova Variolas excitandi per Transplantationem Methodus traditur, doceturque. Opusculum mole quidem parvulum; pretio vero eximium; humano generi perutile. Jam diu inter meas chartulas jacuit incuria & oblivione sepultum; jaceretque adhuc; ni tuis stimulis illud a perennitate veterni sustulissem: quod aliquantillum dolatum, tibi jam non solum mitto; sed in amoris specimen, in veræ amicitiæ tesseram obfero, Nominique tuo dedico. Hilari Tu vultu & amico corde munusculum suscipe; & quanti te æstimem, facile ex hac animi mei proclivitate conjicere poteris: At quare te non magni facerem; cum, omissis cæteris, quibus ornaris, dotibus, saltem in Botanicis insignem hodie Virum te admiramur atque doctissimum; nemini secundum, vere inter omnes primum dixerim: Perspicacissimum quoque in re Antiquaria & Eruditissimum, ut in hac nulli cedas, cunctos fere antecellas: Nolo de Politico regimine, quod prudenter ac honorifice in prægravi Consulari

ſulari exerces Miniſterio, ulterius dicere; nam laudes, quamvis majores tibi debeantur, tua modeſtia non patitur. Satis fuerit ſilentio tradere, quæ alias ut adulatoria cenſeri poſſent. Interim perge me amare; ut ipſe te colere non deſinam. Vale; & felix votis meis vivito.

OPerationem Medicam, inventu non minus, quam eventu mirandam, Orbi litterario pandimus; Non a Phyſicæ cultoribus, aut a doctis in Apollinea arte viris, ſed a plebeja rudique gente in humani generis adiumentum, in ſæviſſimi morbi ſolamen detectam: Vetuſtis Scholarum lucubrationibus, ſedulis Recentiorum inveſtigationibus ignotam; ſed quæ ex innocentioris, & ἀφιλοσόφου familiæ penu defluxit. Verus ignoratur ejus adinventor: in Græcia tamen, præcise in Theſſalia primo invaluiſſe certiſſimum eſt; hinc in propinqua ſucceſſive ſerpendo loca & civitates, in Byzantinam tandem irrepſit urbem; ubi latuit quidem initio per aliquot annos, raro quoque, & inter humiliores dumtaxat recepta: Immaniter autem graſſante nuper Variolarum epidemia, latius innoteſcere cœpit; numquam tamen ſublimiores auſa eſt ingredi aulas; donec Nobilis quidam, nec obſcurus inter præſtantiores Græcos, & ex antiquo Cariophylorum ſtipite clarus, mihi vero intimiori amicitiæ titulo notus, anno ſalutis 1701. ſub hyemis finem ſerioſe me, quidnam de hac inſitione ſentirem, conſuluit; & an ad eandem in quatuor propriis filiis celebrandam præſtarem aſſenſum. Nam tum temporis lethaliter totam fere civitatem morbus hic invaſerat; qui ſummum ei de natorum ſalute metum incutiendo, anxium valde reddiderat. Verum quid ipſe ſuper ignota re decernerem, nulla præcedente noviſſimæ hujuſce methodi notitia, penitus ignorare me dixi; ac ſimul Operatoris conveniendi copiam petii. Triduo peracto, cum ad amicum denuo acceſſiſſem, & de eadem materia ſermo iterato inter nos eſſet initus; ecce paulo poſt mulier Græca, ad decentiam ſatis compoſita, cubiculum intravit; quæ totam operationis ſeriem, modum, locum, tempus,

tempus, cæterasque circumstantias, ut ego deinceps aperiam, clare satis lateque nobis expositit; quamquam ipsa veram ex insitione excitationis Variolarum caussam haud intellexerit. His experimenta, & casus innumeros tuto semper, & ad salutarem eventum perductos annexit; e quibus aliquot (omnes enim quis potuisset in urbe amplissima exquirere?) verissimos esse, ex assertoribus fide dignis deprehendi. Idcirco re bene pensitata, rationi, & naturæ haud absonam omnino comperi: præsertim autem casibus jam dictis permotus, Amico jam fervidius post aliquot dies consilium iterum expetenti, me haud alienum, sub levi tamen hæsitantia præbui. Qua, tamquam toto assensu, arrepta, & de servando regimine toto ægrotationis tempore satis edoctus, insitionem per mulierem Græcam in quatuor filiis audacter instituit: quorum tres natu minores (quinquennes, & vix septennes) leviter ægrotarunt; paucisque apparentibus pustulis post hebdomadam febre penitus, & periculo evaserunt. Ætate vero major octavum super decimum agens annum, graviter decubuit: Nam continenti febre, & malignante correptus, superveniente difficilium symptomatum syndrome, pluscula sisque quamquam non copiosis exanthematibus obrutus, vix post decimum quartum diem, morbum eluxit. Quod ego atrabilari ejus temperamento, succisque pravis, ut & neglectæ prius (contra datam admonitionem) corporis expiationi tribuendum velim. Felix operationis eventus, mirum quam multas nobiliorum familias ad imitationem traxit; ut hodie sine hæsitantia, præter timidiusculos aliquos, unusquisque transplantationis emolumentum sentire velit. Soli Turcæ, utpote fati decretis addicti, minusque dociles, hanc neglexerunt hucusque.

Naturalis est penitus hæc operatio, nulloque obducta superstitionis fuco; quamvis ipsum Transplantationis nomen prima facie hæsitantiam pariat. Differt toto cœlo a curationibus Sympatheticis; eo magis a Magnetismo illo transplantatorio, per quem morbi ex uno subjecto (mediante imaginaria quadam, gratis effecta, & imperceptibili Mumia) in aliud traduci dicuntur;

cuntur; qua de re Tenzelius, Bartholinus, Maxuellus, Ettmullerus, aliique ex recentioribus, docti alias Viri, agunt sedulo; qui vetustas Antiquorum in Medicina quisquilias expurgandas esse cum jactitent; inter quisquilias ipsi quandoque se volutant; novissima vanitatis amurca venerandam hactenus purissimamque Scientiam deturpantes. Quare, ut verum fatear, quemadmodum Operationes hæ Magneticæ, vel Sympatheticæ superstitiosæ vanitatis suspicione non carent (ut in unguento Armario, Pulvere sympathetico, & similibus,) utpote extra activitatis sphæram in distans agentes; ita Variolarum Transplantatio, vera, mera, pura Physica est; quia puris mediis Physicis, & ad oculum patentibus, nec non ipso sensibili contactu completur; ut e mox dicendis clarius eluceſcet.

Hujusmodi igitur Variolarum excitatio fit per Metaphorice sic dictam insitionem, sive Transplantationem, quæ nihil aliud est, quam fermenti morbifici seu puris, ex Variolis extracti, in corpus sanum per vulnuscula ad hoc facta, insertio.

Physicus excitationis modus hoc pacto succedit. Intrusum in vulnuscula pus veri fermenti suscipit indolem; hinc beneficio circulationis per vasa & canales proprios ad sanguinis massam delatum, dispositas ad hoc particulas, & deliteſcente vitio turgidas statim aggreditur, inficit, venenumque communicando latitans in illis seminarium fermentativum excitat, agitat, actuat, inque motum ciet; unde ebullitio universalis, seu fermentatio oritur; vi cujus impuriores, & heterogeneæ partes separatæ critice protruduntur ad cutem; natura interim placide virtute talis operationis totum opus moderante.

Sed ad Transplantationem ipsam, & ejus celebrandæ formam properandum; Modum, quo eadem mulier transplantaraque omnia; ex quibus regula quædam institui poterit pro operatione hac obeunda. Cæterum quamvis de omnibus oculatus testis, ut ingenue fatear, esse non possim; ex operatricis tamen ore multa, plura ex fideli relatione transumpsi; plu-

rima, & potiora ipsemet observavi; omitto, quæ ad majorem confirmationem universalis fama canit. Quibus omnibus præstandam esse fidem, candide, ac strenue assevero.

Ergo primo tempus ad celebrandam insitionem opportunum seligendum est; quod secundum operatricem hybernum desideratur; & non nisi tali tempore ipsa insitionem instituebat: Vernum ego pariter idoneum crediderim, propter clementiorem aëris temperiem.

Secundo selectissimum adhibet fermentum; pus scilicet inferendum non ex quolibet subjecto recipit; sed Variolis epidemice grassantibus, e pustulis jam maturis decumbentis alicujus pueruli, alias εὐσάρκε, hisque benignis, punctione illud extrahit exprimitque; & in conchulam aliquam vel vitreum vasculum mundissimum, nec nimis actu frigidum reponit, reconditque; quod vasculum bene sartum tectum in pedissequæ sinum fovendum intrudit; mox sine mora ad operationem properat. Pus ex insiticiis rejicit, ut inefficax; quod tamen ego benignioris indolis, nec minoris interim energiæ fecerim: qua in re experientia consulenda.

Tertio temperatissimum vult patientis inhabitandum cubiculum quoad aëris modificationes.

Quarto ad operationem jam celebrandam accedens mulier, frontem in confinio capillorum, & quidem medio in loco; mentum & utrasque genas acu ferrea vel aurea pungit; non recta, sed oblique impingendo, cutemque acuta cuspide a subjecta carne aliquantillum separando; hinc eadem acu pus jam præparatum in vulnusculum instillat e vasculo, intruditque; superinducta per fasciam ligatura: manus item ambas in metacarpis, pedes in metatarsis eodem modo ferit, pusque inserit, fasciaque leniter stringit; seriose imponendo patienti, ne partes illas scalpat madefaciatve. Potius carnosiora pungerem loca, quatenus inflammationibus dolorique minus obnoxia, nec tendinibus intertexta.

Præter

Præter hanc operandi formam cæteri omnes rejiciuntur modi, utpote abſoni, inuſitati, male ſuccedentes, infeliciſque exitus.

Interim lectulo moderate manendum, neque plus quam opus fuerit jacendum.

Quinto bonum in ſex rebus non naturalibus regimen, præcipue in victu, injungit; Non ſolum enim vino, & carnibus, verum etiam earumdem juſculo rigoroſe patientes ad quadrageſimum diem interdicit: Pluribusque monitum non curantibus ſæpius male ſucceſſit; nam ad oculos, pœna erroris, novas erupiſſe puſtulas, aliaque non parvi diſcriminis ſymptomata ſuperveniſſe viſum eſt.

Sic rite peracta transplantatione, non omnibus eodem temporis intervallo ſuſcitari ſolent variolarum ſymptomata; Varie enim fermentum agit; ſerius vel citius, prout unicuique proprium favet temperamentum, ætas, robur: Quamquam Variolæ ipſæ, in ſeptimo fere ſemper apparere incipiant; qui dies vere criticus eſt; nec defuere, quod raro contingere ſolet, quibus ſtatim prima die efflorverint.

Symptomata ægrotantibus evenientia variant ſecundum temperamentorum diverſitatem, ſuccorum in maſſa ſanguinea habitudinem, & particularem in ſingulis naturæ diſpoſitionem: remiſſiora nempe vel intenſiora ingruunt; At communiter graſſantibus non diſſimilia; quamvis clementiori ut plurimum facie: Plures vix alterationem læſionemve ſentiunt aliquam.

Excitatæ Variolæ fere ſemper ſunt de genere Diſtinctarum; nec numero multæ; decem ut plurimum, viginti, triginta, raro ad centum, rariſſime ad ducentas erumpunt.

Notandum primo nonnullos unico dumtaxat vulnuſculo ad brachium inflicto contentos, exciaſſe variolas; pauciſque apparentibus puſtulis, præſervatos tamen poſterum fuiſſe a contagio.

Notandum ſecundo, accidiſſe interdum, ut ex inſitione nullæ penitus excitatæ fuerint variolæ, vel ob non præexiſtentem ullam prorſus variolicam in corpore diſpoſitionem, vel ob enervatum infractumque fermenti contagium: At poſtea graſſante populariter morbo, correpta ſint promiſcue ejusmodi corpora, jam inſitionem paſſa; communi cæterorum ſorte.

Tertio inſertionis loca ſeu vulnuſcula in puſtulas ſemper evadere ſolent: Quibusdam vero excreſcunt in purulenta tubercula, nullis interim apparentibus puſtulis. Nonnullis in apoſtemata quidem majora degenerant, magnam puris copiam effundentia: Non ſemel eadem loca, in pedibus præcipue manibusque ſummo cum dolore intumeſcunt; pureque effuſo, ſubſidunt; iterumque in tumorem attolluntur: quibusdam, rariſſime tamen, ad glanduloſas partes, & emunctoria poſt aliquod tempus abſceſſus emergunt, ac ſuppurantur paulatim: ludente ſic in diverſiformi corporum craſi natura.

Poſtremo, nunquam fere ex transplantatione hac funeſti quid accidiſſe, obſervatum fuit hactenus; etiamſi in quocumque ſexu, temperamento, ætate celebrata fuerit; quin immo, rite rectequue tractata, & in corporibus per peritum Medicum apte præparatis, certiſſimam promittit ſalutem. Variolæ enim hoc modo excitatæ benignioris ſunt indolis, quam ſint illæ, quæ populariter graſſantur; utpote ex fermento, ſeu contagio, omni malignitate carente promotæ: Ebullitio, per quam maſſa ſanguinis agitatur ac totum opus perficitur, blande non violenter, moderante natura, conamina ſua molitur; Sed præter hæc, tempus ad operationem atque anni tempeſtas magis idonea pro transplantatione ad libitum eligi, ut & corpus inſitioni ſubiiciendum congruis adminiculis ad recipiendam illam ex arte præparari diſponique poterit. Quod revera maximi ad ſalutarem fauſtumque morbi ſucceſſum momenti cenſeri debet,

OBSER-

OBSERVATIO III.

Dn. D. Christiani Gottlieb Reusneri.

Urina per alvum excreta.

Ischuriam ex convulsionibus ortam, non solum observarunt Forestus Obs. L. 10. Obs. 113. in Schol. p. m. 780. Thonnerus Obs. L. 2. Obs. 2. p. m. 95. sed quotidiana fere confirmatur experientia. An. 1710. d. 6. Dec. vocabar ad Generosi cujusdam Viri in Ducatu Lignicensi, filium, annorum 7. qui ex terrore incidit in terribiles convulsiones totius corporis & spasmodicas contractiones, prout alias fieri solet in Morbo illo convulsivo, Westphalorum quondam endemio, quem die Kriebel- oder Friebel-Kranckheit vocant: in Paroxysmo vociferabatur, more Venatorum, quando lepores insectantur: extra Paroxysmum vero actorum non recordatur, nec de molesto quodam symptomate, excepto dolore capitis, & lassitudine artuum, conquerebatur. Altero die, ad cumulum malorum accedebat Ischuria, me judice, Renalis; nullus enim tumor sequentibus diebus observabatur in perinæo, aut circa regionem Vesicæ renitentia, vel conatus aut stimulus excernendi urinam; nec Chirurgus per catheterem applicatum invenit lotium in vesica; interea convulsiones durabant singulis diebus periodice recurrentes. Septimo vero die, rara Crisi, urinam, colore, odore, quantitate, naturalem æmulantem per alvum excernebat patiens, sine fæcum alvinarum excretione, sine omni dolore aut alteratione, Convulsiones tamen non remittebant, sed in eodem fere statu morbus manebat; & hoc modo puer 3. 4. in die per inferius guttur excrevit urinam. Quid tandem fit? In Festo Trium Regum anni subsequentis mane expergefactus Puer matulam postulat, inciratus a Natura excernendi lotium, & mira metamorphosi, urinam iterum per membrum virile reddit, sine omni dolore aut molesto

ſymptomate, & continuat naturali modo usque ad hodiernum diem. Morbus tandem ſucceſſive fuit curatus, Methodo illa, quam Facultas Medica Marpurgenſis, juſſu Principis ſcripto publico commendavit An. 1597. quamque Drawitius Tr. de Scorb. ſequitur.

OBSERVATIO IV.

Dn. D. Chriſtiani Gottlieb Reuſneri.

Quartana inverſa.

Liber Baro de Stoſch, Hæreditarius in Wirwitz & Stanowitz, Anno 1711. menſe Auguſto, laborabat Febre intermittente, irregulari primum; principium morbi erat horror & æſtus cum ſudore in fine paroxyſmi, prout fieri ſolet ordinarie in Febribus Intermittentibus, & hi paroxyſmi ad 3. dies recurrebant; quartus vero dies erat intercalaris, in quo liber ab omni Paroxyſmo fuit: quapropter libet hanc Febrem Quartanam inverſam appellare. Septimo vero Paroxyſmo finito judicabatur, more Intermittentium, obſervante etiam Hippocrate. Curam quod attinet, propinavi Illuſtri Baroni, præmiſſo digeſtivo, & adminiſtrata Venæſectione, Laxans, deinde Salina remedia, Stomachica. Loco corticis autem Peruviani (qui febres ſæpe recurrere facit) dedi ſequentes Pulveres mihi in Intermittentibus uſuales:

℞. Pulv. Cortic. Caſcarillæ ʒjß.
FL. ⊖Xci ʒß.
ol. caryoph. gt. iv. M. F. P. div. in 4. p. æ.
D.S. Fieber-Pulver.

OBSER-

OBSERVATIO V.
Dn. D. Christiani Gottlieb Reusneri.
Pediluvium Podagræ Solatium.

MAle audiunt communiter Pediluvia ex aqua simplici, Practicis, quod laxando partes carnosas, viam sternant humoribus acribus ad articulos fluentibus, tandemque ibi stagnantibus: contrarium tamen observavi in Viro Generoso Dn. de Grunfeld, Hæreditario in Kolbniz &c. is ad multos annos Podagricus singulis annis, bis, circa Æquinoctia laborabat Podagra. Hic, nescio cujus suasu, nunc ad 3. annos quotidie, eundo cubitum Pediluvium sibi parari jubet, ex aqua simplici subtepida, in qua pedes ad horam unam immergit, affundendo novam aquam paulo calidiorem: & quamdiu hoc continuat, tamdiu quoque liber & immunis a cruciatibus Podagræ vivit, neque alio tentatur morbo, in quem alias non raro commutatur Podagra.

OBSERVATIO VI.
Dn. D. Christiani Gottlieb Reusneri.
Instrumentum Acusticum novum, in Tinnitu Auriun & Otalgia proficuum.

ESt tubulus quidam argenteus deauratus, spithamæ longitudine; iste tubulus bis vel ter de die applicatur auri dolenti, & sugendo, aër extrahitur, vel si mavis flatus: a flatibus autem Tinnitum plerumque esse, vel augeri, omnes Practicorum loquuntur libri; continuatum tamen postulat usum & applicationem. Novum appello Instrumentum, quoniam nemo Authorum, (quantum ego scio,) hujus mentionem fecit. Idem tubulus singularem habet utilitatem in prominentia Uvulæ applicando pulverem roborantem, qui afflandus. Prædicto hoc Instrumento Celsissima quædam Persona in Saxonia pristinum recuperavit auditum; ego vero multoties, tam in me ipso, quam aliis probavi, & expertum inveni remedium, tam in susurru auriun, quam Otalgia, præmissis tamen internis generalioribus.

OBSER-

OBSERVATIO VII.

Dn. D. Christiani Gottlieb Reusneri.

Noctambulo.

NOtum est, somnambulones illos esse, qui noctu ex lecto surgunt, & ignari, quid faciant, in camera oberrant, lectumque iterum petunt, nonnunquam cum discrimine vitæ. Venit ad me anno præterito Juvenis quidam, sartor, temperamenti Melancholico-Sanguinei, annorum 24. Plethoricus, qui ex hæreditate materna eodem laborabat morbo: huic felici cum successu sequ. propinavi remedia, præmisso pulvere Digestivo:

℞. ♀ri Emetic. gr. IV.
Pulv. Lap. Lazuli gr. viij.
M.F.P.D.S. Brech-Pulver.

℞. Tinct. Lunæ ʒß. D.S. Sonderliche Tinctur 20. Tropffen täglich etlichmal in Betonien-Wasser zu nehmen.

Arcanum quoque duplicatum in dosi larga, cum Cinnab. nativ. præparat. dedi, & tandem Tincturam radic. Helleb. albi c. Liq. terræ fol. ♀ri paratam, pro scopo aperiendi, non purgandi. Quoniam etiam Noctambulones in primo tantum somno discurrunt, suasi, ne ante horam undecimam nocturnam lectum peteret, parce ut cœnaret, a Vino, & reliquis spirituosis abstineret liquoribus: nihil enim magis promovet hoc malum, quam Intemperantia. Ultimo commendavi Pediluvia ex Majorana, Salvia, Roremarino, & Venæsectionem bis in anno in pede; præmisso Purgante. His remediis benedixit Deus, & nunc quietus somnum capit.

OBSERVATIO VIII.

Dn. D. Christiani Gottlieb Reusneri.

Podagra Otalgiæ remedium.

AD illa, quæ adhuc in Medicina desiderantur, observante Baglivo, pertinet quoque argumentum de Morborum successioni-

sionibus, mutationis scil. unius morbi in alium; & quamvis non sim nescius, nonnulla in Operibus Hippocratis, Martiani, Ballonii, (Coi genii) Dureti, inveniri, obiter tamen, non autem ex professo, prout materiæ dignitas postulat, id faciunt. Placet igitur Casum recensere, ex quo occultum Naturæ consensum, & morborum permutationes cognoscere licet. Generosus quidam Vir, de Nostiz, annorum 53. Temperamenti Phlegmatico-Sanguinei, de obauditione frequenti & tinnitu aurium conquerebatur, cujus causa multis remediis, tam internis, quam externis usus, sed irrito semper successu. Quando vero articulari morbo corripiebatur & circa Æquinoctia aut Solstitia, Podagra laborabat, illo tempore nullum defectum auditus habebat, nec tinnitu vexabatur, superat a vero Podagra, postliminio quasi Otalgia accedebat.

OBSERVATIO IX.

Dn. D. Christiani Gottlieb Reusneri.

Tussis ferina ex ulcere brachii curato.

Pictoris & civis cujusdam in Urbe nostra infans, a partu & primis incunabulis, in brachio dextro circa juncturam, exulcerationem habuit; nostrates dicunt: **Es hat ein Flüßchen mit auf die Welt bracht.** Præscripsi huic varia remedia, Absorbentia, Diaphoretica & in specie Laxantia, externe vero Ungu. alb. camph. c. saccharo Saturni, oleo ovorum & cera, unde cutis crusta obducta, & perfecte ulcus consolidatum est: ast paucis diebus accedit tussis ferina convulsiva, nullis cedens remediis, quapropter abstinuit a medicamentis, Naturæ soli committendo, & ecce, humores sensim ad brachium regrediuntur & vetus excitant ulcus, tussis autem ferina plane remittit. Ex quo casu denuo occultus morborum consensus dignoscendus.

OBSERVATIO X.

Dn. D. Christiani Gottlieb Reusneri.

Gonagra inveterata curata.

REverendus P. Hermannus Ordinis S. Francisci, in cœnobio Jaurovienſi, diu laboravit Gonagra, ex frigore procul dubio

contracta, quæ nullis remediis auscultabat, neque thermis Hirschbergensibus, tandem meum implorat consilium, igitur sequentia ordinavi:

℞. MF. de succino Craton.
♀rear. Quercet. ana. ʒß.
Resin. Quajaci gr. vi.
Gialap. gr. v.
ol. lign. Sassafr. destill. gt. ij. c. Tinct. ♀. f. Pil. no. xvi.

Deinde Balneum Laconicum h. m.

℞. Hb. Siderid Antirrh. Cochl. Salv.
Lavend. Sanic. ana. Mj.
Sulph. citrini nitri ana. ʒiiß.
♀ri crud. ʒiij. ⊖amm oniaci ʒj.
Baccarum Lauri, Junip. a ʒvj.

Inc. gr. m. f. species, coq. cum aqua in Vase bene clauso, Colat. ℞. Mens. iij. affunde silicibus ignitis & excipiatur vapor, tegumentis probe opertis, quo pedes & genua madefiant, idque repetatur bis in die, expectando adhuc lenem sudorem in lecto. Interne commendavi Tinct. antimonii ♀risatam c. subl. cochleariæ & oleo ligni Sassafr. maritatam. Ultimato sequens Emplastrum genubus admovit: ℞. Laterum bene ignitorum & in aceto extinctorum ʒiij. Minii ʒiiß. Sapon. Veneti ʒvj. camphoræ in oleo Petræ alb. solut. ʒß. ol. Lumbr. terrestr. coct. q. s. pro consistentia Empl. D. in Magdal. S.

Pflaster zu den Knien.

Ab his remediis, Deo sit Laus, perfecte convaluit: an eadem remedia in Podagra proficua? judicet æquus Lector, nondum enim feci periculum, quamvis nullus dubitem.

OBSERVATIO XI.

Dn. D. Christiani Gottlieb Reusneri.

Embryo per semi annum in utero mortuus, & feliciter, sine Matris detrimento, exclusus.

SUperat fere fidem, quod Franc. Mauriceau in observ. circa Part. p. 413. 45-1. de Embryone per unum totum Mensem

in

in utero mortuum, imo ante 2. vel 3. Menſes extinctum & ſine notabili fœtore excluſum, annotavit, l. 2. p. 782. & 820. ſed confirmat hanc obſervationem ſeq. caſus. Generoſi Dn. de Landscron in Obſendorff & Simsdorff Uxor, cachectica, annorum 30. multorum liberorum mater, An. 1709. ſigna Ingravidationis omnia, more ipſi conſueto ſentit, circa 19. ſeptimanam, ab ipſius computatione, motum Embryonis in utero percipit ad unam alteramve ſeptimanam, aſt ſubſequentibus hebdomadis nullum motum amplius obſervat. Quoniam vero ordinarios Menſes nunquam habuit, parum quoque eſt ſolicita, rata, obſtructionem fluxus Menſtrui fore in cauſa, nec in ſtatu eſſe Ingravidationis, nullis utitur remediis. Quid fit? Decima nona a termino motionis Embryonis, (quam habuiſſe credebat) ſeptimana, inſtant conatus uteri, & nobilis hæc fœmina parit Embryonem, unius ſpithamæ longitudine, teterrimo cum fœtore, referente matre & obſtetrice, nec ungues in digitis fuerant conſpicui. Ex quibus omnibus penſitatis penſitandis, collegi, Embryonem 19. ſeptimana mortuum, & 20. fere hebdomadas ſine detrimento matris ſingulari in utero deliteſcere potuiſſe. Rationem poſſibilitatis ſi quæras, reſpondeo; denegatum aëris acceſſum ad uterum, & aquam, cui innatat Embryo, fuiſſe in cauſa, ne putredo reliquis partibus corporis fuerit communicata & nociva.

OBSERVATIO XII.

Dn. D. Chriſtiani Gottlieb Reuſneri.

Phthiſis Pulmonalis ex ulcere Tibiarum.

Quod poſt ſanatum ulcus pedum, ſanguinis ſputum plerumque accedat, teſte Rhodio Obſ. Cent. 2. Obſ. 84. Baglivo Prax. Medic. p. m. 192. ex hoc autem Phthiſis, ut plurimum lethalis, docente Coo de Morb. Popul. l. 4. id etiam confirmatur ſequenti caſu: An. 1709. vocabar ad viduam quandam annorum 36. quæ una cum tuſſi, accedente nonnunquam vomitu, exſpuebat ſanguinem ſpumoſum pure commixtum, referebat quoque ſe præter-

lapso anno habuisse ulcus in pede, quod sponte sordium seri sarum fluxu privatum & aridum factum: ab illo tempore spurum cruentum observasse, & morbum in veram degeneraſſe Phthisin. Pauca ipsi dedi remedia, sed fatali prognostico munitus, morbum esse lethalem prædixi; paucis enim diebus ægra excernebat cum tussi, granula quædam, pisorum instar, maxime fœtentia (indicio suppurantis tuberculi in pulmonibus) & accedente Diarrhœa (indivulso Phthisicorum comite) ad plures migravit. Si ægra opem medicam tempestive imploraſſet, quam primum scilicet ulcus in pede desiccari cœperat, procul dubio Fontanella prope suram ipsi fuisset proficua: sed sero sapiunt Phryges.

(*Fauravio Augustam Vind. d. 12. Febr. A. 1715. missa.*)

OBSERVATIO XIII.

Dn. D. Davidis Christiani Valtheri,

De

Crapula in partu difficili innoxia.

NOn sunt facienda mala, ut inde eveniant bona. Ab hac regula eximenda erit uxor cujusdam eruditi viri hujus urbis, quæ semper in partu difficili aquis spirituosis ad crapulam usque utitur, & quidem bono cum successu. Agit enim res suas magis quam Herculeo labore & fortitudine, cum illusione dolorum in partu consuetorum. Qua ex re fœtus ad exitum brevi tempore properat, lochiaque deinde rite fluunt omniaque tunc bona sunt, clausula quia bona fuit. Sed quæ mulierum in hujus mores abire vellet? Certe nulla prudentum. A tergo enim semper tales miselle lupos, a fronte vero præcipitium vident.

OBSERVATIO XIV.

Dn. D. Christiani Michaëlis Adolphi.

De mira odontalgiæ causa.

FOEmina Lipsiensis succi plena alias mihi optime nota, si non singulis septimanis digitorum ungues præcidat, quod diebus Sabbathi ordinario fieri ipsi consuetum est, odontalgia sequen-

tibus

tibus diebus vexatur; præcisis vero unguibus, mox iterum remittit odontalgia. Rationem nondum adsequutus sum.

OBSERVATIO XV.

Dn. D. Christiani Michaëlis Adolphi.

De Nævis observata notanda.

NOtabilia sequentia de nævis observata mihi sunt: Scilicet Nævi materni utplurimum certum velut ordinem, relationem inter se, & cognationem servant; pro partium ratione, per quas sunt sparsi, ut iis consensus quoque intercedit certus quoad earum magnitudinem, crassitiem, longitudinem &c. Secundum naturam & præter naturam in morbis quoque, ubi una pars, quæ laborat, facile aliam sibi cognatam in consensum trahit. Partes superiores respondent eo intuitu inferioribus, dextræ sinistris, imo mensura ratione partium, a quibus recedit, aut ad quas accedit.

Exempli gr. Si nævus in frontis parte dextra conspiciatur, conspicietur quoque alius in pectoris latere dextro & vice versa sibi similis quoad faciem, colorem, latitudinem &c. Si ad aures, circa tempora versusque occiput adsint, in humero aut dorso etiam aderunt. Si in gena habeatur, habebitur & alius in coxa ejusdem lateris. Ille, qui labro inferiori insidet, comitem in abdomine, qui menti extrema in parte, in inguine habebit. Rursus ubi in brachio dextro is observatur supra cubitum duorum v. g. digitorum transversorum latitudine, juxta genu ejusdem lateris ejusdemque spatio, alter reperietur, & si in posteriori parte brachii, in suris, & vice versa. Si manus digitos nævus occupat, occupabit sine dubio & alius pedis & sic porro.

Dein observata quoque adduco & visa: nævos maternos etiam habere multoties certas suas variationes certis temporibus: ut nævorum cerasa referentium color ex pallido & flavescente in lividum & rubicundum eo tempore, quo cerasa maturescunt, sæpe mutatur. Nævus, qui ortus erat ex matris terrore conspecto mure, murem referebat colore & forma, imo (quod erat valde notabile) odorem spirabat ac mures solent.

His addo, quod vidi in ægroto convulsionibus atrocibus excruciato ; nam his remissis, in partibus sic contortis nævi sublividi, ceraſi magnitudinem æquantes, apparuerunt , nec ullo remedio hucusque deleri potuerunt.

OBSERVATIO XVI.

Dn. D. Christiani Michaëlis Adolphi.

De Subito fœtore putredinoso in Juvenis variolis extincti cadavere.

NOn novum est alias , putredinem, ex qua homines moriuntur, fœtorem citius spargere teterrimum. Cujus rei exemplum hic quoque notare convenit de Juvene Lipsiensi, plethorico alias, variolis pessimi moris laborante, quibus tandem purpura alba juncta , ac iis extincto. Vix namque duobus horis a morte elapsis, nemo ob tantum fœtorem, eumque adeo teterrimum, subito exortum in conclavi amplius permanere potuit, ægerrimeque quis ausus est deportare cadaver. Quo indicatur, quod quantam dissolutionem vinculi seri, & sanguinis atque partium, humores vitales constituentium & componentium destructionem Variolæ & purpura juxta reliquos morbos malignos intendant.

OBSERVATIO XVII.

Dn. D. Christiani Michaëlis Adolphi.

De alvi segnitie pertinacissima.

VIvit hic Lipsiæ Juvencula quædam sanguinea alias & satis robusta, quæ tanta ab ineunte ætate alui segnitie prædita est, ut vix per 4. 5. aut 6. dies semel alvus deponatur. Ut plurimum nulla incommoda sentit exinde, sæpius tamen mala satis symptomata malumque pejus minantia, tormina, abdominis distensio, vertigo, cibi fastidium diuturnum, Cephalalgia &c. emergunt. Hæcque alvi pigrities adeo pertinax est, ut nullis cedat remediis, quamvis varia varioque modo per plures annos adhibita sint interne pariter & externe, ut purgantia leniora fortioraque, imo Vomitoriis

toriis refaracta in doſi mixta præmiſſis præmittendis diuque continuatis, digeſtivis, ſalinis, præcipitantibus, acetum p. n. inventibus, lenientibus, liqueſcentibus, lubricantibus, oleoſis, pinguibus butyraceis. Deglutitæ ſunt pennæ prunis coctis, imperata eſt diæta humida inprimis ante cibos alios inſtituenda ex modo recenſitis, item vinoſa, deglutivit copioſos ſyrupos, ſuaſa eſt deambulatio ſuper pavimentum lapideum frigidum nudis pedibus, volutatio in lecto (certiſſimum alias remedium) & ſimilia varia bene multa alias maxime proficua, item antiphyochondriaca ac ea, quæ ſpasmodicæ nervorum contractioni debentur, deobſtruentia, amara &c. Tartarea imprimis Cryſtall. Tartari alias egregiæ in hoc caſu. V. S. quoque in auxilium vocata eſt. Injunctus eſt ipſi in latere ſiniſtro decubitus. Neque externa omiſſa ſunt, ut inunctiones, balnea, clyſteres, cataplasmata, ſuppoſitoria, fotus, inſeſſus, ſed omnia fruſtra hucusque impenſa ſunt. A varijs medicis per multos annos & multis medicaſtris res tentata eſt, aſt nihil effecerunt, quare & gloriatur hæc juvencula, nem inem poſſe ipſi alvum movere. Non parum adjuvat pariter hanc alvi ſegnitiam ac curam impedit vita ejus ſedentaria, parcus potus, cibi non ſatis ſaliti (conſuetudo ut communiſſima apud Lipſienſes, fœminas maxime, ita peſſima) vix nam intra 2. aut 3. dierum ſpatium ſemel bibit, neque ut meliorem diætæ rationem inſtituat, ullo modo poteſt adduci.

Inter omnia alia, optima hæc in hoc ſubjecto mihi experta ſunt fotus & inſeſſus ex Decocto agrimoniæ cum Cereviſia tormo malo bis liberata eſt.

Reliqui ei tamen prognoſticum gratum, ſpeque erexi eam, fore ut ſucceſſu temporis liberaretur ab hoc incommodo, ſecundum Aph. Hippocratis 2. lib. 20. *Quibus adhuc juvenibus alvus humida eſt, iis ſeneſcentibus ſiccatur; quibus vero adhuc juvenibus alvus ſicca eſt, iis ſeneſcentibus humidior.*

OBSERVATIO XXIII.

Dn. D. Christiani Michaëlis Adolphi.

De Acidularum quadam operatione notata.

ACidulis inter alias hæc potissimum est peculiaris operatio, ut alvum laxent iis, quibus alias est obstipata & obstipent eam iis, quibus alias est laxa. Exinde forte quia diureticæ sunt, & serum omne per vias urinarias excernunt, ut debitum deficiat in intestinis atque consuetum, quod lubricare deberet intestina & excernenda diluere. Altera vero ex parte quod obstructiones forte bilis vasorum auferant, ut a bile intestina influa ad excretionem stimulentur ea. Ejusmodi aliis quoque medicamentis commune est.

OBSERVATIO XXI.

Dn. D. Christiani Michaëlis Adolphi.

Sternutatio stato tempore rediens.

IN Scorbuticis maxime non raro observare licet, dari sternutationem periodicam, statas horas & tempora servantem; natura enim nostra facile motibus repetitis aliquoties adsuescere solet, quod quotidie videmus atque experimur.

(*Lipsia Augustam Vind. d. 5. April. Ao. 1715. missa.*)

OBSERVATIO XX.

Dn. D. Davidis Laurentii Ebersbach.

Fœtus humanus in vesica urinaria contentus.

GRavidas semper plura discendi, imo quandoque & admirandi præbere ansam, tritum est proverbium, & ab experientia variis modis comprobatum. Cui nostris in oris A. 1714. d. 5. Octobr. singulare quoddam exemplum firmum addit robur. Lœbaviæ enim Aromatopolæ cujusdam uxor juvencula, ætatis 28. annorum, per 5. vel 6. annos sterile ducens matrimonium, hydrope ascite laborabat; angustias persentiscebat præcordiorum enormes, diutinam urinæ potiebatur obstructionem, de sensatione circa os pubis conquerebatur tensoria. Varia, licet

incassum

incassum singula, adhibebantur medicamina. Profluvium urinæ multis modis promovere moliebatur obstetrix, sed laterem lavabat, quippe quæ semper aliquod in vesica observabat, digiti ingressum & urinæ egressum prohibens, obstaculum. Affligebant porro ægram labores ad partum, omnes tamen ad illos promovendos frustraneo molimine applicabantur vires. Succumbebat tandem ægra fatis. Aperiebam, præsentibus aliis Medicis, cadaver; in cujus abdomine multa offendebatur aqua, quacum & uterus impletus erat. Vesica vero urinaria turgida admodum conspiciebatur, quæ post incisionem multam pallidamque aquarum profundebat copiam, & ex ea Embryo trium præterpropter prominebat mensium, cujus funiculus umbilicalis in fundo vesicæ variis cum vasculis sanguiferis intertextæ, inque nonnullas quasi partes, inter se tamen invicem cohærentes, distinctæ adhærescebat massa carnosa, secundinis quoad colorem & consistentiam non absimilis.

Per quas vias fœtus hic in vesicam penetraverit urinariam, vix ausim dicere, dum nulla uteri cum vesica nimium arcta connexio, nec ulcus uteri, nec aliæ viæ ex utero ad vesicam observari potuere perviæ. Celeberrimi Bartholini verba, quæ in Dissertatione ejus de insolitis partus humani viis pag. 57. leguntur, huc quadrare poterunt: Vias quidem nobis esse obscuriores, neutiquam tamen Naturæ, cui ubique pateat corpus humanum, hinc alium quemcunque locum capacem, & calore repentem, ad fœtus conformationem aptum esse posse, quanquam non ad ejus exclusionem.

(*Lubavia d. 9. April. A. 1715. Lipsiam ad Exc. DD. Ettmullerum missa.*)

OBSERVATIO XXI.

Dn. D. Hieronymi Laubii.

Abscessus Ovariorum.

FOemina paupercula 40. circiter annorum, aliquot liberorum mater, ab aliquot jam annis uti referebat, molem abdomi-

nis auctam, ac cum duritie quadam a pubis & iliaca regione ad superiora ascendentem sensit, cum molestia respirandi pro augmento tumoris accrescente, urina sæpe difficili, mensium fluxu in principio modico, tandem sublato, hydropicam asciticam se esse rata, in paracentesi abdominis levamen quæsivit, quam precibus ejus instantibus magis annuens, quam auxilium inde promittens, Chirurgus instituit in latere dextro, sed ultra ℔ijß aquæ viscidæ admodum tunc obtinere non potuit, fluxu sponte subsistente, abdomine tamen non imminuto: non longe post itaque in opposito latere eadem operatio instituta, sed nec tunc plusquam ℔iß aquæ priori similis effluxit. A purgantibus & salibus incidentibus subinde nonnihil levaminis percipiens, illorum usum tamdiu continuavit, donec miseram vitam, cum desiderata sæpius morte, mense Majo anni elapsi commutaret. In Cadavere facta apertura in latere sinistro paulo supra os ileon, in loco scilicet, qui mollior reliquo abdomine erat, ℔iv. aquæ flavæ fœtidæ emanarunt: integumentis postmodum & musculis abdominis cum peritoneo remotis, in conspectum venit tumor prægrandis, intestina omnia versus superiora pellens, durus, hinc inde peritoneo connexus, inprimis in regione iliaca dextra, pluribus vero in locis liber, propriis tunicis inclusus, cui superius omentum firmiter erat adnatum; qui separatus undique usque ad vaginam uteri satis amplam, illa transversim discissa ac vesica urinaria propter connexionem arctam disrupta, intestinoque recto pone adjacente inde liberato exemtus, pondus ℔27½ civil. æquavit. Exscissus ille & accuratius examinatus, stiloque in particulam vaginæ adhuc appensam immisso, in cavitatem uteri adjacentis mole parvuli, & vix fabam majorem recipiendi apti aditum concessit, ligamentorum vero, ductuum Fallop. alarum vespertilionum ac ovariorum vix vestigio apparente, ita ut tumorem istum nullum alium, quam abscessum Ovariorum coalitorum judicare potuerimus, ex plurimis quippe tuberibus in una tunica communi inclusis constabat, quolibet tubere peculiari tunica rursus circumdato, quorum quædam pugni magnitudinem habebant, quædam eam superabant, quædam minora erant,

ta erant, omnia materia livida, tenaci, sebacea non admodum foetente repleta, interspersis hydatidibus. In regione praeterea Hepatis concava supra vesiculam felleam hydatis juglandis magnitudine pendebat. In pelvi Renis dextri calculus inveniebatur acumine suo in ureterem prospiciens, avellanae majoris magnitudine ex rubro flavescens, tunicae quasi inclusus: in ipsa quoque renis substantia materia sabulosa passim dispersa. Pulmo dexter pene consumtus erat, & maximam partem dextrae thoracis cavitatis materia crassa, purulenta & sanguinea replebat. Sinister lobus pulmonum flaccidus erat, integer tamen. Cor parvulum, in dextro ventriculo polyposae concretionis initium monstrans. Reliqua viscera sic satis naturaliter erant constituta.

OBSERVATIO XXII.

Dn. D. Hieronymi Laubii.

Anatome calculosa.

VIduae cujusdam ab aliquot jam annis dolore lateris dextri e regione Renis afflictae, ac 14. ante obitum diebus pertinacissimam urinae suppressionem cum vomitibus enormibus summisque doloribus passae, Cadaver (furtim quasi ob amicorum quorundam, inspectionem aegre ferentium, indignationem) apertum monstravit a Rene dextro ad vesicam usque Abscessum, pure copioso repletum albo, tenaci, Renem ipsum sabulo ac calculis minoribus hinc inde obsessum, inprimis vero Pelvim calculo triangulari aspero duro obstructam. Ren sinister vero quasi totus consumtus erat & exsiccatus, vixque juglandis magnitudinem habebat: nam & olim in isto quoque latere dolores & molestiam expertam esse beatam, Amicus, qui interfuit sectioni, retulit.

(*Hafnia Augustam Vind. d. 19. Febr. A. 1715. miss.*)

OBSERVATIO XXIII.

Dn. D. Lucae Schröckii.

Hydrops peritonaei.

VIrgo A. M. S. cum A. 1704. dysenteria tum epidemica laboras-

set,

rasset, & bene reconvaluisse videretur, sensim tamen abdomen absque causa evidenti intumescere sensit; menses interea rite fluxerunt, & quoad cœteras corporis functiones etiam bene valuit; tandem vero a nimia cibi ingestione animique excandescentia, A. 1714. dolores abdominis incurrit, quibus per quatuordecim dies graviter adflicta, adhibitis frustra ab excellentissimo aliquo Medico remediis d. 8. Julii, anno ætatis 47. fatis cessit. Invitatus ab ejus adfine, amico meo, ut postero die anatomiæ in defuncta instituendæ interessem, abdomen in maximam, rotundam & æqualem molem extensum, quoad reliquas autem partes externas vix a statu naturali recedens corpus, in visceribus etiam nullam labem offendi. Ex inciso ventre, aquæ saturato lixivii colore tinctæ, parum fœtentis, circiter mensuræ nostrates 38. i. e. 76. libræ civiles prodierunt, quæ non in abdominis cavitate, sed intra peritonæi valde incrassati duplicaturam contentæ fuerunt. Simile hydropis peritonæi exemplum in Adenographia sua, sect. de glandul. conglob. cap. 9. Antonius Nuckius recenset, eumque a rupto vase aliquo lymphatico, peritonæum transeunte, derivat; quale quid in præsenti quoque Casu contigisse verisimile est. Paracentesin in tali morbo, certis sub cautelis, instituere licere, rationibus & exemplis idem confirmat. Simile quid etiam in Ephemeridibus nostris, Cent. 4. obs. 162. habetur; eoque ipso si non integram sanitatem, egregium saltem molestiarum lenimentum in tali casu obtineri posse cognoscitur.

OBSERVATIO XXIV.

Dn. D. Samuelis Grassii, Filii.

De Scaturigine Mensium.

AB illo tempore, quo res naturales variis experimentis indagare Philosophi didicere, Physiologiam Medicam majoribus incrementis indies auctam conspicimus. Cum autem diversus sæpe experimentorum successus observatoribus contingat, nec dissensu multiplici scientiæ carent. Ut de mente mea clarius constet,

conſtet, ſiſto Menſium Muliebrium Fluxum, cujus ſcaturiginem tum antiquiores, tum recentiores quidam Phyſiologi, ex ipſius uteri cavitate, major autem Recentiorum cohors, tantum ex vagina uteri derivarunt. Utrinque rationibus & experimentis a ſtatu naturali & præternaturali deſumptis, inter Viros Celeberrimos actum, illi tamen inter Recentiores potiſſimum conſenſum aſſecuti fuere, qui Obſervationibus anatomicis, tum aliorum, tum propriis, iisque repetitis litem dirimentes, locum ſecretionis hujus non in uteri cavitate, ſed vagina tantum poſuere. Veneror quidem & ego Magnorum virorum obſervationes, dum autem in Republica Litteraria cuique experimentorum venia conceditur, non indignum judico, quicquid propria obſervatione deprehenſum, explicare.

Anno M.DCC. XII. die XXVIII. Januarii D. D. Oheimb, Peſtilentiarius & Noſocomii Vratislavienſis Medicus Ordinarius, νῦν ἐν ἁγίοις, me ſocio cadaver fœminæ ad confinia quadrageſimi ætatis anni provectæ ſecuit, quæ ſervitiis per Civitatem victum quærens, propter reſpirationem difficilem, palpitationem Cordis, rhevmatismos & lipothymias crebro redeuntes, tandem languore virium confecta, dicto Noſocomio inferebatur, & altera nocte ibidem animam, vix advertente quopiam, efflabat, pro Apoplectica, ut moris eſt, habita. Quemadmodum autem circa ægros Noſocomiorum publicorum plurimum contingit, ut vitæ morborumque Hiſtoria ab hominibus rudibus & incuriis, undique illuc confluentibus, Medico non ſemper accurate exhibeatur, ſic noſtra quoque, temporis brevitate potiſſimum impedita, parum, quid ante egiſſet vel ſuſtinuiſſet, expoſuerat. Inveſtigaturi itaque genuinam improviſæ mortis cauſam, cadaver habitus macilenti, nec notabili admodum livore conſpicuum cultro anatomico ſubmiſimus; & cum dubia ſuſpicione Apoplexiæ duceremur, caput primum aggreſſi, remoto cranio cerebrum vaſis ſanguiferis modice, nec tamen præter naturam turgidis egregie diſtinctum deprehendimus, interim nulla extravaſatione vel hydatidibus uspiam contaminatum.

Fruſtra itaque putatitiam Apoplexiam in cerebro rimati, Thoracem aperuimus, ubi genuina ſubitæ mortis cauſa leviori opera palam comparuit. Scilicet pulmones erant flaccidi & maculis ſanguineis paſſim conſpurcati, Cor autem Pericardio (modico ſecundum naturam humore fœto) cinctum, quoad Auriculam dextram conſuetam molem vel duplo ſuperabat; latitante inibi Polypo eximiæ magnitudinis, qui levioribus ſurculis per ipſum Ventriculum Cordis, ad Arteriam pulmonariam tendebat, eandemque ſubito mole ſua iterum auctus quaſi infarciebat; altera vero divaricatione ex auricula venam cavam ultra diaphragmatis regionem, craſſo propagine permeabat. In Auricula Cordis ſiniſtra & ventriculo appoſito, itidem Polypum exiguum tamen, minusque firmioris conſiſtentiæ deprehendimus.

Viſcera Abdominis perluſtrantes, Pancreas & aliquot Meſenterii glandulas induratas, ventriculum teneriorem, inteſtinaque flaccidiora vidimus: Hepar vero cum Liene nullius notabilis Acraſiæ arguendum erat; Renibus econtra congeriem ſabuloſam exhibentibus.

Organorum Genitalium Muliebrium internorum Demonſtrationem D. D. Oheimb obſtetricibus quibusdam promiſerat, hinc, cum dies & cadaver minus fœtidum permitterent, repetitionis anatomicæ gratia eorundem ſtructura a nobis ſollicite inveſtigata, quo poſtmodum in alio cadavere eo promptior demonſtratio ſuccederet. « Hac occaſione ſingulare phœnomenon uterus exhibuit, quippe qui quoad omnem cavi-« tatem ſanguine tinctus videbatur, vagina ne quidem veſtigia « ullius cruentationis oſtentante.

Obſervationis tam gratæ occaſionem nacti, nihil omiſimus, quod ad inquiſitionem accuratam vel ullo modo pertinere videbatur; dubium tamen reſtabat, an uterus inſtans opus menſtruum moliretur, vel haut ita dudum abſolviſſet. Mulieres, quæ ſervitiis clinicis in Noſocomio fungebantur, ægram ibidem menſtrua ſuſtinuiſſe negabant. Hera autem, cujus miniſtram hactenus

nus egerat, & ancilla ſocia iisdem ante triduum modice purgatam fuiſſe aſſeverabant.

Certe dum πολυαίμος uterus ipſe eſt, nec hæmorrhagiarum cæteroquin expers, & natura alias quoque idem opus non ſemper eodem modo agat, quid obſtat, quin ſecundum diverſas obſervationes judicemus, pro ratione individui, modo uterum, modo vaginam menſtruis præbere ſcaturiginem. Vix enim aliquis nobis perſuadere poterit, Polypum arteriæ pulmonariæ quaſi infarctum, circulum ſanguinis turbando, cruentationis uteri cauſam proximam hoc loco conſtituiſſe. Metaſtaſin enim talem, nullibi per reliquum corpus vel intentatam ſaltem videbamus, nec circa reliqua vaſa hypogaſtrica ulla præternaturalis congeſtio ſanguinis comparuit.

(*Vratislavia Noribergam d. 10. Febr. A. 1715. miſſa.*)

OBSERVATIO XXV.

Dn. D. Rudolphi Jacobi Camerarii,

Baroſcopium ſub Eclipſi.

BAroſcopium veteranum, duabus annorum 1699. & 1706. eclipſibus ſolaribus ſubjectum, ſub tertia hujus anni 1715. eclipſi quomodo fuerit affectum, paucis referre, non ab re fore videtur: quia priorum facta fuit mentio in Ephem. Dec. 3. a. 7. obſ. 88. & Cent. 1. app. p. 73. Etenim ſuo bene mobile hoc perpetuum fungitur officio conſtanter, ſtans in eodem muſei angulo, intra priſtinos motuum ſuorum ſe continens terminos, non deficit, nec deſciſcit hactenus, ſed eodem pergit modo exhibere ſuarum differentias ſtationum, quarum reſpectus ad mutationes auræ cum figura cœli, thema eſt non indignum ſolicitudine curioſorum.

Itaque, quod olim Aſtronomis ad obſervandum eclipſes priores faverat cœlum, circa veſperam ſecundi Maji poſt heſternas pluvias ſcandente mercurio, videbatur iterum ſerenandum, imo ad noctem comparuit clare ſtellatum, ut ſpem faceret conſpiciendi ſimiliter ſolem cras ex parte nobis obtegendum.

Sed

Sed secus res cecidit: at ne sic quidem male, alia ex ratione. Siquidem ad mane tertii si mansisset serenum, frigore suo intempestivo flores & frondes arborum, germina inprimis vitium tenella, læsisset procul dubio. Cum vero diductæ nubes cœlum tunc occuparent, solemque obtegerent diutius, hoc ipso prohibuerunt damnum, quod metuendum erat publicum, post duos jam tristium vindemiarum annos futurum patriæ gravius. Certe sequens mane quarti serenius tulit pruinam, non innoxiam, utut siccata interim fuerit magis terræ superficies.

Fuit porro aliud beneficium, quod illis tum debebatur nubibus. Utut enim densiores interdum solem nobis prorsus eriperent, & per ipsarum quasi interstitia liberi solis radii perrumperent rarius, satis tamen sæpe tenuiores quoque nubes solem obtutui nostro stiterunt, & exhibuerunt sine oculorum etiam infirmorum damno, absque eo, ut fulgor partis adhuc splendide lucentis perstringeret ipsos acrius. Videbatur enim Sol per eas nubeculas hora nona & decima antemeridiana eclipsatus Lunæ similis falcatæ, cornutæ, primo qualis mane decrescit, qualis decrescere in vespere crescit.

Tempus præcise & magnitudinem accuratiorum instrumentorum observatoribus concedo. Aëris & tubi mei satagens. Frigidus, ut dixi, & siccus inceperat dies maji tertius, signabant communiter vexilla ædium euroboream, cum flatu ex hac plaga. Nihil in hoc mutavit Eclipsis. Obscuritas utique tribus circiter lucidi disci quartis ita tectis per aërem fuit sensibilis, sed non magna; quanta? determinent, quibus fuit Lucimetrum. Mansit aëris status siccus, nubilus, donec eluctaretur quasi sol, ut post meridiem prævaleret serenitas, servans pro comite vel causa suum sibi eurum.

Sub ista importuna maji inclementia, mercurius non altus tamen stabat per vesperam secundi in medio suæ scalæ, in laudata appendice p. 71. descriptæ, per noctem videbatur mane dimidio minuto elevatior, & a matutina sexta ad & ultra octavam perparum ultra tolli: hinc per horas ecliptcas lento motu adscendit ad-

dit adhuc vix per minuti partem quartam, ut venerit a veſpera ſecundi ad meridiem tertii a gradu ſcalæ decimo ad duodecimum; ſic a ſummo ſcalæ abfuerit adhuc gradibus octo. Nec tamen ibi manſit, ſed tardo iterum motu per minutum illud dimidium horis pomeridianis non obſtante ſerenitate deſcendit. Spes eſt, non diſſenſura curioſorum alibi baroſcopia, cum alias ſoleant correſpondere in præcipuis.

Tantillum aſcenſus illius cui tribuendum erit? Eclipſi quidem dubium videtur poſſe adſcribi, cum ab heſterna veſpera jam cœperit; quia prius quam ea fieret, continuavit ſcandere; quia denique ſolenne eſt mercurio, non ſolum mane altum ad meridiem jam declinare, verum alias etiam a mane ad meridiem tantillum tolli, etiam cum non ultra promovebitur, ſed ad veſperam remittetur: uti quidem hac vice contigit, quod l. c. notavi olim. De cætero, quantum Luna non tam eclipſans, quam qua nova vel plena, perigæa vel apogæa, valeat in hoc inſtrumentum, iis quoque crucem figet, quorum hypotheſis majora requireret.

Cur vero non altius baroſcopium vigente ſicco frigido ſerenante euro? Utrum, quod hic menſis tantam ferre non ſoleat altitudinem, quantam alius forte hybernus. Vel, quod novilunium hoc eclipticum fuerit ſolum? Vacabat calendarii fide cœlum tunc aſpectibus. Præceſſerant contrariæ oppoſitiones, jovis & martis, ſaturni & veneris, tempeſtuoſæ præcoces. Luna motu ſuo a venere, mercurio, & jove tunc ad ſolem acceſſerat. Propior ita ex planetis ſoli jupiter: ut olim ſub eclipſato ſtetit ſaturnus conſpicuus.

Sic ergo tertia vice obſervationes meæ non probant, fuiſſe eclipſi ſolari vim tollendi vel demittendi mercurium in tubo. Uti nec turbas in aëre ciendo, aut magnas auræ mutationes inferendo fuit notabilis. Etiam, ut medicus hoc addam, non movit ille dies infirmis & ægris meis, querelas novas vel graviores. Incertum mihi eſt, ſi quid occulte nocuiſſe videatur vel intuliſſe vegetabilibus aut animalibus, quod progreſſu & maturitate

dierum demum se exseret: & si quid damni se prodet, uti retardata per frigus germinatio suspecta est, non minus dubium erit, cui siet adscribendum causæ. In quo quidem laborandum erit etiam illis, quibus non tam causa quam signum videtur eclipsis eventuum, si quos tempus feret.

(*Tubinga Augustam Vind. d. 13. Maji. A. 1715. missa.*)

OBSERVATIO XXVI.

Dn. D. Joannis Baptistæ Morgagni,

De

Acu intra vesicam intrusa.

D. D. Lucæ Schröckio.

IMpositum nobis gravissimum ex hac prima Sede Anatómes tradendæ munus, non modo Novas Institutiones Medicas, sed ipsa quoque Adversaria Anatomica altera, & quidquid scripsitare cœperamus, de manibus excussit. Hinc factum est, ut quamvis nuperrime per Melchiorem Otthum Scaphusianum, & nunc item per Casparem Müllerum Hamburgensem, egregios Viros, meique amantissimos Auditores, quosque adeo ambos, cum ille pro Syndico, hic autem pro Rectore, nostro Gymnasio præfuissent, manu mea Philosophicis, & Medicis Insignibus ornavi; ut quamvis, inquam, occasio mihi oblata sit aliquot ad Te nostras Observationes mittendi; seligendi tamen, scribendique tempus non habuerim. Attamen cum Müllerus, a quo Tibi hæ reddentur litteræ, aliique ex Inclyta hac mea Natione Germanica mihi in memoriam reduxerint Observationes duas, non ita pridem, nonnullis eorum inspectantibus, a me habitas, atque ut has saltem scribam, hortati sint, eas ex tempore huc adscriptas habebis. Quas si æqui bonique facies, complures alias, cum plus otii dabitur, mittemus. Vale.

D. Patavii XVII. Cal. Aug. M DCC XVI.

Ante

Ante hos duos annos Puella, tum primum pubescens, crinalem acum ex orichalco intra vesicam intruserat. Hæc non, ut pleræque solent, commenta est, devoratam imprudenter acum eo descendisse, sed quod erat, simpliciter fassa est; incassum tamen, quia serius. Postea enim quam incredibili, præsertim in reddenda urina, dolore, & difficultate cruciata fuerat; tumor in altero ilium accesserat, maturuerat, ruptus erat, jamque satis patentem fistulam reliquerat, per quam purulenta urina ita magis magisque in dies ferebatur, ut demum fere nihil lotii de meatu urinario egrederetur. Itaque Puella extrema tabe consumpta est.

Hæc cum mihi, & Antonio Vallisnerio Viro Clarissimo, meique amicissimo, Puellæ Chirurgus narrasset, facile impetravit, ut sibi cadaver dissecturo adesse vellemus. Disciso abdomine cum nihil effusi humoris in ventre appareret; ut vesica penitus in conspectum daretur, jussi, commissuram ossis pubis diduci, & alterum specillum per fistulam demitti, alterum per urethram subdi; utrique, & præsertim inferiori, quo minus vesicam subirent, prædurum corpus obstabat. Quod, dissecta vesica grandem, & oblongum calculum esse vidimus, hinc urethræ inhærentem, eamque obstruentem, inde vesicam, ut erat contracta, &, ut videbatur, & crassefacta, propemodum opplentem. Nec tamen calculo acus, ut solet, secundum longitudinem inerat, sed eidem acumine, & tertia quasi parte e transverso infigebatur, reliquæ partes duæ cum præfixo capitulo intra fistulam, de qua supra dictum est, hiantem in latere vesicæ, delitescebant. Calculo exemto, animadversum est, purulentam subesse materiam, hujusque partem, compressis visceribus superioribus in vesicam ex ureteribus defluere, ita dilatatis, ut aortæ truncum facile æquarent. Eadem materia uretheres, eadem renes quoque redundantes dissecando invenimus, & subnigro colore infectos, quo colore tum vesica, tum fistula intrinsecus fœdabantur.

Illud hic potissimum admirationem habere potest, qui factum sit, ut cum altero acus extremo vesica pertundenda fuerit, non

tenuiore, & acuminato, sed crassiore, atque adeo capitato pertuisa sit. Crediderim, acum ad eundem modum in hac Puella situm fuisse, ad quem in Dublinensi illa, a Probyo curata (*) nimirum ut acumen ad os ischium spectaret, quo osse obstante, & renitente, capitulum per vesicæ se contrahentis latus, & proximi abdominis imam partem sibi viam vi fecerit, eodem ferme loco, quo Probyus ad extrahendam acum sectionem instituit. Quod si quis idem hic facere, priusquam accrevisset calculus, aggressus esset, nullo is quidem negotio per ipsam fistulam acum seducere potuisset; non facile tamen, ut opinor, Puellam servasset, cujus vesicam, uretheres, & renes diutius, & sæpius inter initia cohibitæ urinæ copiam ea vi dilatando, distrahendoque laceratse, existimo, ut ex illo tempore semper tabo, ac pure manaverint.

(*) Vide Transact. Angl. Mens. Januar. pag. 455. vel Acta Erudit. Lipsi. A. 1700. Mens. Mai. pag. 230.

OBSERVATIO XXVI.

Dn. D. Jo. Baptistæ Margagni.

Excrescentia Membranæ Adiposæ.

MUlieri quinquaginta, opinor, annos natæ prægrandis tumor omoplatam dexteram occupabat. Is ante annos quatuordecim in ipsis communibus corporis integumentis sine ulla manifesta causa ex parvulo inceperat, & diu paulatimque sic increverat, ut post abscissionem pondo librarum quasi novem inventus sit. Nec durus quidem erat, nec alio colore ac reliquæ partes forent, nisi qua venæ vehementer tumidæ sub ipsa cute discurrebant. Quarum una cum noctu dirupta forte esset, magnam vim sanguinis, dormiente muliere, profudit. Eo autem facilius dirupta est, quod proxima deorsum pendentis tumoris pars ima jam exulcerari sponte cœperat. Cum igitur dolori, quo ad mediam tantum claviculam, tumore cutem deorsum trahente, fatigabatur, ulceris molestiæ, & puris, cujus defluxu minime tumor decrescebat, graveolentia accessissent, mulier Chirurgum,

rurgum, ut sibi adjutrices manus præberet, exoravit. Hic vero cum non ignoraret, frustra a quodam ante aliquot annos eundem tumorem alte apertum fuisse, ne gutta quidem humoris effluente, totum sibi tumorem ad ipsam basim excidendum esse, facile intellexit. Qua re non minus caute, quam feliciter perfecta, non ita longo pro sectionis amplitudine interjecto tempore, cicatricem induxit.

Cum ad me, qui abscissionis author fueram, tumorem detulisset, vix basi inspecta, quod ante conjectura præsagiveram, oculis ipsis usurpavi: nihil tumore, nisi adiposos sacculos comprehendi. Cute crassefacta cum subnexis vasis sanguiferis detracta, undique in conspectum venere membranei sacculi, digiti pollicis crassitudine, nonnihil inflexi, sed tamen secundum tumoris longitudinem positi, cylindri figuram, magnam partem referentes, & ab inclusa pinguedine ex albo flaventes, quorum parietes vascula sanguifera perreptabant. Eos sacculos proclive erat, resolutis digito membraneis vinculis, sejungere, itemque singulos in plures alios minores diducere, hos autem denique in minimos, intra quos exiguæ, & innumeræ vesiculæ adipe distentæ, adhibito præsertim microscopio, facile apparebant. Hæc erat omnis tumoris structura. Cujus cum partem suppositò igne liquari jussissem, perpaucis membranis colando abjectis, ejusdem rationis adipem habuimus, cujus ex saniissimi cujusque hominis adiposa membrana habere solemus.

Hæc cum ita sint, haud difficile est intelligere, hunc tumorem ab adiposæ membranæ sacculis excitatum esse, primum, cedente (quæcunque ea causa fuerit) cute, laxatis, deinde juvante ipso, quo distrahebantur, pondere, mirum in modum distentis. Neque huic *Excrescentiæ Adiposæ Membranæ* admodum dissimilem (si duritiem excipias) tumorem illum fuisse, crediderim, quem scapulæ alterius mulieris innatum Blasius describit in Observationum Medicarum Rariorum Parte I. Observ. III. vel quem Jo. Philippus Ingrassias in calce libri sui de Tumoribus se, inquit, *in Scapulis dumtaxat ortum vidisse, nec vere carnem,*

carnem, vel adipem in eo contentam inspexisse. Ego tamen memoria teneo, A. 1704. cum Bononiæ essem, ejusdem generis, ac structuræ tumorem vidisse, de nate Viri cujusdam a Cl. Valsalva excisum. Figura is, & magnitudine pueri caput æquabat, nec lata quidem basi, sed arcto, ejusdemque tamen structuræ, petiolo cum adiposa membrana cohærebat.

OBSERVATIO XXVIII.

Dn. D. Hermanni Werneri Engelberti
de Westhoven.

Vetulæ partus monstrosus.

QUum haud ita pridem in civitate Tiel ad Mosæ, Vahalisque confluentes sita, septuagesimum quintum annum agens vetula monstrosum in lucem edideri partum; comodum esse duxi, ram istius historiam, cum illustri societate Academica Leopoldino-Carolina Naturæ Curiosorum communicare. Interim ὡς ἐν παρόδῳ noto, quoniam non (a) Philosopho solum; sed (b) Juris Consulto etiam monentibus, ut accurata, priusquã ad rem accedamus, consideratio præmittatur nominum, quæ ex mente (c) Gellii picturæ quasi, ac characteres videntur, quibus ipsa rerum natura innotescit, monstrum τῶν μέσων secundum (d) Servium existere, & a monstrando i. e. monendo dici, referrique ad præsens ejus significationem. Usurpatur vero de rebus ac personis, uti id fusius elucet ex (e) Terentio & (f) Cicerone. (g) Ruffinus monstrum vocat, quod sacerdotis gentilis filia, B. Macarii navi terram contingente, furore correpta fuerit, discurrensque immane clamarit. Nec aliter (h) Ovidius:

Viderat

(a) 1. Ethic. 7. & 8. (b) l. 1. in pr. J. de reb. cred. (c) Noct. Att. l. 13. c. 10. (d) in 2. Æn. v. 680. (e) Eunuch. act. 2. sc. 3. v. 42. act. 4. sc. 4. v. 29. in Andr. act. 1. sc. 5. v. 16. (f) in Pis. c. 14. de Arusp. resp. c. 12. & l. 2. ad Quintum frat. ep. 6. (g) l. 2. hist. eccles. (h) l. 7. Metam. v. 298.

Viderat ex alto tanti miracula monſtri.

Monſtrum nuncupat, quod arte Medeæ Æſon ex ſene in juvenem eſſet recoctus. (i) Juvenalis ſat. 2.

Scilicet horreres majoraque monſtra putares,
Si mulier vitulum, vel ſi bos ederet agnum!

Sæpe in bonam, quemadmodum a (k) Floro, ſæpe in malam ac obſcœnam, ſicuti a (l) Catullo, accipitur partem. Vide ſis Scaligerum ad ultimum hunc locum, & Conjectaneis in (m) Varron. itemque (n) Gruterum ad Hiſt. Aug. nec non (o) Virgilium. Græcis audit τέρας, Italis Moſtro, miraculo, Hiſpanis Milagro, Germanis eine Wunder-Geburt / ein Wunder-Ding / ein unnatürlich und ungewöhnlich Ding. Belgis een Monſter, Gallis un monſtre, Angliſque a monter, or de formed birth. Sed ne extra oleas, & per omnia entium genera vagemur, jam id ſolum monſtri adpellatione dignamur, quod non ex parte, ſed ex toto in effigiem, & formam a generante prorſus alienam declinat, deviatque a conſueta ſecundum ſpeciem humanam diſpoſitione. Hoc ut luce meridiana clarius adpareat, benevolus lector ante oculos ponat ſequentem mihi quinto Calend. Julii a.c. favore Excellentiſſimi, & Experientiſſimi Doctoris Jacobi a Cuclemborg, ſupra nominatæ civitatis medici ordinarii, transmiſſam hiſtoriam:

„Mulier ſeptuageſimum quintum annum agens, tertio vin„culo jugali ſociata, cumque tertio marito, etiam hodie ſuper„ſtite, plus quam quinque luſtra, non contemnenda utens vale„tudine, vivit mater quinque liberorum, ac trium filiarum, quo„rum duo ex primo, tres autem alios ex ſecundo, nullum ve„ro ex tertio viro ſuſtulit. Verum an plures antea eduxerit foe„tus, nec ne, me latet. Sed ante menſes aliquot de ſalute non „admodum proſpera conqueri cœpit; vix caput ſuſtentat lan„guens, vexant inſomnia, & varii dolores, tum artuum, & præ„ſertim capitis, & femoris dextri, tum vero ipſorum inteſtino-

rum,

(i) v. 122. (k) l. 1. c. 6. (l) carm. 102. (m) pag. 156. (n) p. 4. (o) l. 2. Æneid. v. 172. & v. 245. l. 3. v. 214. v. 658. l. 5. v. 523.

„rum, & ventriculi. Fastidit cibum. Accedunt motus convul-
„sivi diversi, anxietates, nausea, borborygmi, rugitus, commo-
„tiones in abdomine, pulsationes hypochondriorum, sitis, sen-
„sationes vivi fœtus in utero, menses obstructi, qui alias ad eum
„usque diem, quod hic animadversione dignissimum est, & mi-
„rum quid in ano ætate fessa, aliaque symptomata plura, lu-
„dentia tristem scenam, tum morbi arthritici, tum nephritidis,
„tum colicæ, tum hydropis, tum rursus passionis vel hypochon-
„driacæ, vel hystericæ, nec non ingravidationis; ita enim sæpe
„loqui amat Patiens; *Si non certo scirem, hisce postremis ævis,*
„*tot obstitam annis non imprægnari, crederem me utero gestare.*
„Præterito anno MDCCXIV. postridie nonarum augusti ad me
„itur, cum optato successu dies paucos ipsi medicinam feci;
„inde ipsam sibi relinquo. Interim tamen sese ex voto non bene
„habens (ut varia est, & mutabilis fœmina) propria sua, sibique
„similium auctoritate accipit a Matrona nobili, non adeo longe
„abhinc habitante, quosdam pulveres antiarthriticos, ut eos vo-
„cant, qui plebi arridenr, & sæpius hic loci, & imprimis in cir-
„cumsacentibus pagis in auxilium vocantur, sed & hic, ut & alibi
„plerumque plus damno, quam emolumento patientum. At
„hoc anno MDCCXV. quarto Calendas Aprilis, erroris denique
„& damni pertæsa, consilia illa temeraria spernit, me denuo ad
„se vocari jubet, adsum, & opem imploranti, jam vero multum
„emaciatæ, & doloribus, molestiisque tantum non depositæ,
„præscribo liquidum quoddam mihi familiare, quodque sæpe
„efficacissimum expertus sum, externe illinendum; mirum di-
„ctu! quantum illicò inde levamen senserit, dolores mox eva-
„nuere; quid multis? Ægrotans sequenti luce sese lecto elevare,
„foco assidere, in dies sese melius meliusque habere, domum
„perambulare, edere, bibere, dormire, & recte valere. Interim
„tamen quandoque conquerebatur commotiones, & elevatio-
„nes uteri, (ut loquitur vulgus) nonnihil molestas; passionibus
„hystericis, & motibus vividi fœtus utero matris jam quinque,
„vel plures menses gravidæ haud absimiles. Atque hucusque

„sub-

„sublanguida membra trahit. Donec tandem XIII. Calend. Maji „(mira loquor, & tamen verissima atque extra omnem dubita-„tionis aleam posita,) labores novem mensium experta, & ὑστέρας, „seu matricis moras solvens, molliter absque multo dolore con-„ceptum semen partu reddat, & inopinato in lucem det inso-„lens tripartitum, bicolle, & triceps monstriolum. Depo-„sito, & a domesticis probe lustrato hoc novo, & subito uteri „onere, obstupescunt, & horrent, convocantur vicinæ & obste-„trix, non ut opem ferant, sed ut dignoscant, quodnam id sit „prodigii genus, quidve id sibi velit? Omnes ad ejus conspectum „attonitæ horrent, testantes, & exclamantes, visu mirabile, sed „insolitum quid, & inauditum esse. Hinc illi rumores passim „ubilibet extemplo sparsi, & volitantes per ora incolarum non „tantum nostrorum, sed & alienigenarum. Tribus autem cir-„citer postquam hæc contigere horis, ex itinere domum rever-„sus, & ex uxore mea intelligens, me eo vocatum, accedo ad „puerperam, (liceat mihi eam hoc nomine indigitare) quæ lecto „simul, & foco assidens, mihi id, quod utero prodierat, con-„templandum, atque examinandum, quin & asservandum ex-„hibet, & præsentibus marito suo, una filiarum, nuru, & an-„cilla, altius omnia, & eo narrat ordine, quo hic apertis, & planis „verbis accurate complexa vides. Observandum vero est, pa-„tientem, quamprimum dejecerit, atque excreverit hoc pro-„digium, pristinæ sanitati restitutam, omnibusque incommodi-„tatibus, & malis liberatam esse. Verum restat & hoc unum, „(ne quid desit,) ut notificem nempe Genitricem, eam cum suis „jam tum a paucis diebus occœpisse omni studio facti veritatem „dissimulare; scilicet filias ejus, atque ex iis natos, natasque, ne-„potes, ac neptes (quorum plerique, & numero non paucæ „jam pridem ephebi, & nubiles sunt) pudet ejusmodi cogna-„tionis, & affinitatis: Eamque sibi ac toto generi turpi oppro-„brio fore autumant. Itaque fingunt, ac simulant, id non pro-„disse ex genitricis alvo, sed excisum, & extractum ex visceri-„bus piscis aselli minoris, & cum iis, aliisque immunditiis in ter-

Mo.Bot. Garden,
1903.

„ram projectum, verum a muliere serva id postridie repertum, „& ut rarum quid productum; cumque omnibus adspectu mi„rabile videretur, mox de eo vagos rumores per urbem vulga„tos, & brevi per oppida delatos. Astute satis equidem, sed „gratis tamen hæc comminiscuntur; ipsa rerum testimonia, pro„pria ac voluntaria ipsius uxoris, mariti, filiarum, multæ circum„stantiæ, & ipsa valetudo eo ipso temporis instanti, incanta„menti instar, recuperata & qua deinde satis felici fruitur, alia„que infinita, refellunt omnia ejusmodi effugia, & evincunt, id „non aliunde, sed nullibi, nisi ex ea ipsa originem, & natales „suos habere. Atque hæc cuncta ita sese revera habere, ac ni„hil ficti adesse, ut pravi sunt hujus seculi mores, Belgica, ac since„ra fide præstare possum.

(*Hammona Augustam Vind. A. 1715. d. 13. Aug. missa.*)

OBSERVATIO XXIX.

Dn. Joannis Georgii Liebknecht.

Calculi vaccini candidi.

IN quadam Wetteraviæ villa ad duo fere milliaria a nostra Giessa distante, vacca quædam, quindecim vel sedecim annos nata, quæ semper lac copiosum ac bonæ notæ antea suppeditaverat, ut ejusdem possessor eandem diutius aluisset, nisi ingravescens ætas aliud suasisset; unde An. 1714. mense Novembri in ædibus suis eam mactari curavit; in cujus abdomine aperto triginta circiter lapides, sub hepate sano positos & sponte prosilientes, Lanius observavit. Fuerunt autem dicti lapides diversæ magnitudinis, & figuræ, rotundæ, pyramidalis, cubicæ & cylindricæ, erant & qui ubera vaccina referçbant.

(*Giessa Augustam Vindel. d. 12. Sept. Anno 1715. missa.*)

SCHOLIUM.

LApillus, quem mihi Exc. D. Author obtulit, ad cubicam figuram accedit, colore plane lacteo, qualem nullum vidisse aut legisse

legisse me memini, totus nitet, ex lamellis constat tenuibus, glaber est, quo itidem levore tam in concava quam convexa parte lamellæ sunt præditæ, pondus 53. granorum habet & magnitudine mediocrem nucem avellanam æquat. Cæterum rudem lanii cultrum & superficiariam lustrationem cum vacca hæc experta fuerit, incertus est locus, ubi concretio hæc contigit. Num fortasse in vase aliquo lacteo mesenterico chylus coagulatus fuit, sensimque superveniens novus chylus lamellas illas adauxit? vel an in singularibus venis lacteis a fundo ventriculi in omentum decurrentibus, quas quidem adstruit observatio 28. Dec. 2. Ann. 10. Eph. N. C. chylus illuc delatus lapideam naturam induit? vel chylus una cum sanguine in omentum penetrans in sacculo aliquo adiposo substitit & induratus fuit? vel in vase aliquo lymphatico, quale quid in illo sacculo membranaceo hepati annexo & calculis referto, uti Eph. dd. Dec. 1. Ann. 9. observatio 104. recenset, factum fuisse suspicor, lapides hi natales habuerunt?

L. Schröck.

OBSERVATIO XXX.

Dn. D. Joannis Baptistæ de Wenckh.

Hydrophobia singularis.

NAtura fidelis Parens, homini raro Noverca; nisi illis, qui proprium suum Individuum ambitiose spernunt, vel turpiter negligunt, uti in sequenti Casu videre licet. Septem abhinc annis, mense Julio, figuli cujusdam, Civis Altenmarckii in Inferiori Styria uxor, temperamenti calidi & sicci, ætatis annorum 34. Marito suo associata, Ilzium pagum ad nundinas venundando ibidem fictilia sua vasa proficiscebatur; contigit autem dum inibi moraretur, ut Mulier hæc vini haustum sumeret, quo hausto, per quatuor & semiannum, licet natura ad sitim pellendam institerit mordicus, attamen nec guttam aquæ, vini, mulsi, cerevisiæ potuerit bibere amplius, sed & nec fructus succulentos, aut cibos aqua coctos, vel quidpiam simile potulentum, sumere valuerit, imo si extreme sitibunda, vel parum semellæ aqua,

vino, aut jusculo intinctum deguſtare vellet, nec guttulam hujusmodi liquorum deglutire potuerit, quin potius vomitu, tussi, capitisque doloribus in tantum divexabatur, ut complurium septimanarum spatio decumbere compelleretur. De cætero durantibus hisce 4. & semianno indies ad 20. aut 30. vel plures urinæ uncias dimisit, nec fluxus menstruus interea temporis cessavit, sed ordinate, ac in debita sua profluxit quantitate. Manſit mulier hæc, statura alias longa, facieque rubicunda, nec macilentior nec pinguior, sed in eadem figura & forma, sicut ante hunc affectum erat constituta, ut etiamnum hodie conspicitur, præterquam quod tempore illo plures & majores stomachi dolores, brevi tamen semper cessantes, perpessa fuerit. Hujus testes oculares fuere ego ipse, Maritus, & Reverendus Dominus Joannes Hueber, loci Parochus, & Rudolphus Suderl Chirurgus Fürstenfeldensis. Mundo hic casus quidem non amplius novus est, novum tamen foret genuinam & demonstratione physica perceptibilem dare rationem, quomodo Corpus hujus fœminæ tam diversos humores excernere potuerit, cum tamen nullos prorsus introsumpserit. Non bibere sine siti, non est mirum, sed dolorifice sitire, & non bibere, neque humidum aliquod deglutire posse, & insuper tamen vivere, naturæ miraculum videtur. Siquidem omnibus constat, quod non minor bibendi, quam edendi homini incumbat necessitas, quippe calor a motu vitali in nonnullis hominibus satis fervide excitatus, eorum humiditatem jugiter depascitur, eamque nisi idoneo latice subinde infuso resarciatur, penitus deperdit, perinde atque curruum axes, nisi aqua aut axungiæ linimine mitigentur, vehementem rotarum attritum sine incensione diu non ferunt. Natura igitur, quæ rerum cōservatricium pene omnibus appetentiam inserit, singulis sitim, quæ est naturale bibendi desiderium, ad vitæ conservationem necessarium, indidit: hanc autem sitis affectionem solida alimenta, uti Clariss. Ettmüll. Cap. 5. de appetitu animali fol. 51. testatur, in stomacho assumpta, & ab acido fermento excepta, ut facilius comminuantur & subigantur, causant, cum sa-

lia

lia haud melius agant, quam dissoluta, humore aquoso dilui necessum habeant, quo fine natura sitim excitat, quæ humidi aquei appetitus est, hanc autem cibi cum acido stomachi uniti, & in salsum paulatim degenerantes inducunt. Hinc fit, ut esuriens stomachus nec sitiat, nec sitiens esuriat, & homo a cibo sumpto semper naturaliter bibere gestit. Calor quoque externus, exercitium aut corporis evacuationes, sitim plurimum intendunt, salsi cibi & aromata idem faciunt, cum his autem prædicta mulier & uteretur, & ab aliis sitim causantibus etiam non abstineret, exinde mirum oritur, quanam ratione natura hanc continuam sitim sine ullo infusi laticis levamine tamdiu tolerare potuerit? Verum quidem est, quod illi, quibus sanguis valde dilutus, calorque nativus remissus & debilis inest, naturaliter quoque non ita potulenta appetere, imo nonnunquam plane in similibus eorum appetentia tollitur. Fuerunt enim aliqui, præsertim fœminæ, quæ languentes quidem diutissime sine potu perstiterunt: quarum temperamentis frigidis & perquam humidis humor aqueus aëri dissemiuatus, suffeciisse videtur: sed quod mulier alias potui addicta, robusta & valens, sicciorique temperamento prædita, hanc sitim, ab omni potulento, abhorrente natura tamdiu tolerare potuerit, mirum est, & raro auditum. Quid autem per illud temporis spatium (quo hoc affectu laboravit) diminuti laticis vices suppleverit, investigandum restat. Crederem ego, mulierem hanc tali magnetico sale fuisse dotatam, ut ex aëre (qui aliunde aqua rarefacta plenus) tantum humiditatis attraxerit, quantum ad corporis sustentationem diminutique laticis justam proportionem egebat.

Ex aëre vero varia etiam siccissima corpora humiditates attrahere, videmus sæpius, imo vulgo notum est, salia pleraque alcalina in liquores abire, & pondere notabiliter augeri, exemplum nobis sal Tartari, ex cujus libra una salis probe calcinati aëriique expositi, decem libras olei per deliquium colligas.

Ad ulteriorem probam hujus nostri Casus recordor, quod D. D. Hoger, Collega meus, Philosophus & Chymicus insignis,

ex duobus subjectis igneis salinis igneum pariter confecerit liquorem, quem aquæ Magnetem intitulavit, qui cum non volatilis, aut per se exspirabilis esset, illum in amplioris orificii vitrum infudit, qui cum vix dimidium vitri occupasset, & pauco tempore stetisset, vidi liquorem tantopere auctum, ut plane abundaret, ita quidem ut ipso vitro aliud vas vitreum, ne liquor effluueret, supponere coactus fuerit: hanc autem aquæ ex aëre scaturiginem, vel potius fontis artificiosi æmulationem, tamdiu continuare potest, quamdiu ipsi lubet.

Hæc cum in natura realiter sint, & experientia constent, sic rationabiliter concludere possum, mulierem hanc ex meris subtilissimis, & aëris diffusis particulis aqueis ad sufficientem naturæ sustentationem, & humidi deficientis restaurationem, virtute magnetica attractis, hucusque sanam & incolumem ad prædictum usque tempus vixisse. Id confirmat, quod Illustrissimus Comes Kenelmus Digby, in suo tractatu de virtute Magnetica sympat. de aliqua Moniali refert, quæ cum continuis jejuniis, vigiliis, meditationibus, corpus suum extenuasset, viscera, ossaque exsiccasset, ut salis Tartari similitudinem referret: porro siccitas illa quasi ignea & attractiva in fœmina Moniali tam copiosas particulas aëreas humidas de foris attraxit, quæ naturali suo ad centrum vesicæ per meatum urinarium tendendi modo confluerent, eam effecere inundantiam, ut singulis 24. horis, viginti & ultra libras urinæ ediderit.

(*Gracio Augustam Vind. d. 29. Septembr. A. 1715. missa.*

OBSERVATIO XXXI.

Dn. D. Jo. Davidis Maucharti.

Sponsa singultiens.

Quod tantopere a plurimis expetita Venus malorum sit Lerna, non in animam solum, verum & corpus pernicioſe redundans, in aprico est cunctis. Ego in praxi mea jam ultra-vicennali multa inde orta notavi incommoda, imo curationis in utroque

utroque ſexu impedimenta inveni aut ſuſpicatus ſum, (nam inquirere ſemper nec licet, nec placet) tanta quidem numero, ut hic locus recenſendis non ſufficiat , aliumque alia occaſione ſe oblaturum expectent. Sufficiat hac vice adducere ſponſam, virginem plenis nubilem annis ; quæ tenera ſatis robuſtum & valentem nacta ſponſum , media mox prima nocte ſingultire cœpit vehementer & iterato, idque toto die ſubſequo continuavit, ut circa veſperam mea imploraretur opera. Rogata per matronas, ſynuſiam conjugalem non negavit, ipſaque malum exinde proveniſſe conceſſit, cum antea plane nihil talismodi ſenſiſſet unquam. Curata eſt exhibitis nervinis, antepilepticis, anodynis fixis ; cinnabarinis junctis, interne & externe adhibitis, ita ut nox ſequeretur quietior, tertio autem die plane ceſſaret ſingultire, niſi cum aliquis convivarum aut conſanguineorum diſcedens illi valediceret, & vel mœrore, vel pudore illam, ut ſolent laſcivi plures, afficeret. Evictum tandem eſt malum, accedensque alius quidam veteranus & experientiſſimus Practicus, ante per multos annos hujus ſponſæ medicus , aſſeruit eam ad convulſivos motus pronam ; quod me celaverant adſtantes.

OBSERVATIO XXXII.

Dn. D. Joh. Davidis Maucharti.

Fractura Cranii enormis.

REpertus eſt abhinc anno in via vix adhuc palpitans, & in veſtigio mortuus quidam ex Sereniſſimi militibus armaturæ levis, quos Dracones vocant ſeu Dimachos. De homicida prius non conſtabat, quum ille fuga ſibi conſuluiſſet, & circumſtantiæ temporis indicare videbantur, eum vix horæ quadrantis ſpatio poſt vulnerationes ſupervixiſſe. Jacebant prope illum fuſtis, & ligni fruſtum ingens, ejusmodi, quibus calefieri ſolent hypocauſta , notis quibusdam ſanguinolentis, illatæ violentiæ indiciis horrenda. Ipſe vero gladium, quo accingebatur latum & ancipitem vix medium eduxerat, ut dubium non ſit , eum inſidiis & nihil tale primo metuentem , fuiſſe petitum : ſanguinis aliquan-

aliquantum per aurem dextram profuderat. Inſpectus a me & diſſectus ex mandato Sereniſſimi, repertus eſt nullam habens ullibi læſionem niſi in capite; unam quidem in fronte, ſuper oculum ſiniſtrum, quæ ſolam induxerat ſugillationem in eo; altera in tempore apparebat dextro, & cutim capillatam ſolum, illæſo pericranio ad pollicis dimidii longitudinem vulneraverat; tertia læſio major erat, pone & ſupra dextram auriculam verſus occiput, ſed itidem ſolum capitis piloſum integumentum, integro pericranio, per trium pollicum longitudinem diſſecuerat. Detracta vero piloſa cute capitis cum pericranio, apparebat ſutura coronalis, a dextro temporali muſculo ad ſiniſtrum fere usque, diſtracta, absque dentium ejus laceratione, quod in homine plusquam quadragenario & robuſtiſſimo rarum, & pone illam cranium in aliquot fruſta diffractum. Poſtea vero detecta eſt fiſſura incipiens in fronte ſupra oculi ſiniſtri orbitam, loco ſugillato pollicibus duobus inferior, & transverſim per totius cranii baſin, juxta os cribroſum & criſtam galli procedens, per os ſphœnoides & ſellam equinam, osque petroſum dextri lateris ad priorem usque fracturam, aut divulſionem verius, ſuturæ coronalis rediens, totamque adeo maxillam ſuperiorem in duas dividens partes, ut, ſi per noctem ſub ſectione, ob teſtes neceſſarios tardius accedentes, ingruentem, licuiſſet integumenta capitis omnia removere, dimidium cranium, ſine negotio, a reliquo potuiſſet avelli. Interim dura mater parum a fragmentis erat læſa, pia vero nihilominus undique ſuffuſa ſanguine, & in dextro latere binis in locis rupta, nullus vero ſanguis extravaſatus, vel in cerebri ventriculis vel prope ſpinalis medullæ principium reperiebatur.

OBSERVATIO XXXIII.

Dn. D. Joh. Davidis Maucharti.

Vulnus Ventriculi duplex cito lethale.

TRajectus ante triennium ſclopeti majoris, einer Standbüchſe / oder gezogenen Rohrs ope, globulo plumbeo, ex errore noctur-

nocturno, rusticus quadragenarius, robustus alias & sanus, monstrabat vulnus duplex; unum in dextra parte epigastrii, per quod & omenti portio propendebat, alterum, ubi globulus exiverat rursus, in sinistro hypochondrio dorsum versus. Vulnerans erat chirurgus, qui primum fuga sibi consuluerat, mox autem conscientia, doli nescia, fretus, audito supervivere læsum, redierat. Iste cum aliis duobus, quæ poterat, fecit; sed æger quinta fere hora post illatum vulnus ad plures se recepit. Sectus a me post mortem, inventus est duplici læsus vulnere ventriculi, a globulo fundum hujus penetrante, hincque per mesenterium inter colon & ileum, utroque illæso, nec ruptis vasis mesaraicis, transeunte. Parum ex contentis ventriculi in abdomen descenderat, & nulla usquam gangrænæ vel incipientis indicia, aut hæmorrhagia lethalis. Unde ergo mors tam repentina? Præcipue cum adstantes sancte testati fuerint, nullas convulsiones ante mortem, vomitus autem frequentes passum esse miserum.

OBSERVATIO XXXIV.

Dn. D. Joh. Davidis Maucharti.

Paralysis Intestini recti post usum purgantis drastici.

OCtennium est, quod scurra quidam huc viciniæ accedens, pro Medico se venditaret. Et, uti sunt homines non plebeii modo, verum & ultra vulgus sibi sapere visi, ut cuivis Medicum se profitenti credatur, juxta querelam Plinii, jam nostra ætate communem, plures nactus est asseclas, utut medicamenta, quæ suadere solebat, ne nominare quidem valeret in pharmacopolio. Inter alios fuit fabri lignarii servus, 23 annorum, robustissimus, qui accepto pulvere ex sem. colocynth. (nam his plurimum utebatur agyrta) sæpius desidere coactus, in paralysin intestini recti incidit, ut nec feces amplius egerere, nec, ano semper patente, & intestino recto fecibus infarcto, suppositorium aut clysma, tandem & urinam retinere nequiret. Misere vitam hoc modo per sextiduum trahens, & digitis ano immissis, alvi

feces extrahens, tandem aliorsum ad suos, moribundus fere, deductus est, ut quando & quomodo fatis cesserit, ignorem.

OBSERVATIO XXXV.

Dn. D. Joh. Davidis Maucharti.

Cancer ex verruca faciei, causticis tractata.

RArior, per Dei gratiam, his in regionibus est cancer, ut vix quatuor meminerim vidisse me concrosos, sat longo jam praxeos meæ decursu. Unius eorum vices maxime dolui, qui ex verruca sub oculi sinistri palpebra, ipsique, ob facilem ex quovis duriori attactu, solitam oriri hæmorrhagiam sat largam molesta, per chirurgum causticis eam deleturum, incanerum, totam genam sinistram, nares, auriculam & colli cutem ad pigulum usque, sed sine solito cancrosis fœtore, depascentem, tandemque post triennales cruciatus jugulantem, degeneraverit.

OBSERVATIO XXXVI.

Dn. D. Joh. Davidis Maucharti.

Anthrax maximus, benignus tamen & curatus in sene.

NIhil novi sub sole fieri, commune est proverbium. Et experiuntur id quoque verum Medici, quibus non semel contingere solet observari in praxi casus oppido raros, ut annotatione prime fronta videantur dignissimi, postea vero in aliorum lectione authorum reperiantur vel similes, vel non admodum distantes. Sed quid vetat rariores casus non uno, sed altero quoque firmari exemplo. Anthraces, imo furunculi quoque, (welches anthraces in duodez seyn) quam sint molesti & periculosi, etiam extra pestem, norunt Medici non uni. Nihilominus Gokelii gallicinium Conf. 54. p. m. 176. exhibet anthracem magnum in dorso, vehementibus symptomatibus stipatum, & tamen feliciter sanatum. Mihi vero abhinc biennio hic loci videndum (non autem curandum, nam se ægrotare persuaderi non poterat) se præbuit cerdo quidam æt. 66. adhuc vivens, homo naris non adeo emunctæ. Is furunculum nactus in lum-

bis primo vix piſi magnitudine, intra octiduum ad eam, quæ erat Gokelii, magnitudinem excreſcentem, ut pondus tumoris, ſi libræ potuiſſet appendi, ſine dubio ultra decem libras pependiſſet; uti etiam chirurgus poſtea ultra quinque libras carnis putridæ & ſphaceloſæ ſe ſucceſſive abſcidiſſe, teſtatus eſt ſancte. Sed, quod mireris, hic meus a Gokeliano adeo diverſus erat, ut nec febricitaret manifeſte, nec ſitiret, ſed optime ingereret, digereret, egereret, dormiret ſuo tempore quiete, vigilaret more ſolito, laſſus non eſſet, laboraret, & nullas plane moleſtias, quam quas ex curatione perciperet, ſentiebat, curatus tandem diligentia chirurgi, absque ullo internorum uſu.

OBSERVATIO XXXVII.

Dn. D. Jo. Davidis Maucharti.

Dens gelaſinus, jactu officuli ceraſini fiſſus.

NOn conſultum eſſe cum magnatibus edere cerata, metu ne officula in faciem projiciant, eſt in proverbio. Præterita æſtate quidam præfectus Nobilis cujusdam in menſa comedens ceraſa, videt pueros ſuos, quorum habet aliquot, ceraſorum officula, digitis pollice & indice compreſſa, ſibi invicem in faciem elidere; imitaturus id, per infortunium explodit tale officulum in faciem uxoris, os forte fortuna recludentis, tanta cum violentia, ut dens inciſorius ſuperioris maxillæ per longum finderetur, & ipſa præ dolore tantum non in deliquium caderet. Subſecuta eſt larga hæmorrhagia, & triduanus dolor enormis quaſi odontalgicus, euporiſtis tandem ſopitus iterum, manente & adhuc viſui patente fiſſura dentis.

OBSERVATIO XXXVIII.

Dn. D. Jo. Davidis Maucharti.

Urinoſi odoris vis diuretica & abortiva.

GEneroſus quidam Baro, plures ob rem domeſticam alens equos, inter alia ipſis obvenientia incommoda numeravit quoque iſchuriam; medebatur autem illi equos in ovile de-

ducendo, & fimum profunde fodiendo, capite deorsum, ut nares in foveam urinosissimi odoris plenam demittere cogerentur, fræno traxit, atque sic urinæ fluorem illis nunquam non restituisse asseverabat. Non minus pernoctandum mihi erat aliquando, annis abhinc aliquot apud amicum, cujus filia ægrotabat. Summo mane audio discurrentem familiam, & anxie narrantem Domino, hac nocte iterum duas oves interiisse, tertiam in agone versari. Venit paulo post in conclave, quo recubueram, Dominus theriacam quæsiturus; interrogatus de tumultu percepto moestus refert, quatuor jam oves intra triduum ex abortu mortuas; descendens cum ipso in ovile, observo illud duobus parietibus sub terra latitare, tertio fimi acervo contectum, & quarto plurimo stramine coopertum, ita enim putaverat paterfamilias se contra hyemale frigus optime suis ovibus consulturum. Odor autem urinosus in eo tantus erat, ut ne per momentum ibi sine deliquio manere sustinuissem; jubeo hinc protrahi oves tam mortuas, quam agonizantem, & jamdum animam efflantem, video omnes abortum passas, ita ut simul ex corpore propenderet uterus, cum fœtu adhuc incluso. Dissectæ post a me nihil in toto corpore præter naturam exhibuere, ut fas sit credere, ex solo fœtore urinoso, propter volatiles urinæ particulas nimis concluſas, & calore terræ oviumque clausarum emotas, causam huic abortui præbuisse: nam reliquæ liberiorem nactæ aërem, nihil postea tale sunt passæ.

(*Marbaco Augustam Vind. d. 14. Octobr. A. 1715 missa.*)

OBSERVATIO XXXIX.

Dn. D. Josephi Lanzoni.

Epicarpium antifebrile.

Circa Amuletorum usum vanitatis & superstitionis multum occurrere, semper fui arbitratus; verum quia honestissima quædam mulier Lucensis mihi candide affirmavit, plures sequenti amuleto a febre tertiana & quartana brevi liberatos fuisse, atque

que experimento facto hic Ferrariæ in quodam famulo quartanario, & in milite arcis noſtræ, exitus feliciter ceſſit, ideo arcanum hoc, quo femina non paucam ſibi comparavit pecuniam, in publicum profero: ℞. Thuris in lacrym. pulveris. ʒij. Croci opt. gr. x. ſalis commun. ʒß fuligin. ʒx. vitell. ovi rec. num. j. M. F. Emplaſtrum pulſibus applicandum ante acceſſionem, nec removendum usque ad finem febris.

OBSERVATIO XL.

Dn. D. Joſephi Lanzoni.

De

Hydrope eſu ceparum ſanato.

ADductus ad me fuit ruſticus quidam noſtri Ferrarienſis ſuburbii, annorum quadraginta, aſciticus, ventre in immenſum fere tumente, pedibus item inflatis, reliquo vero corpore conſumtus, umbilicus prominebat, & crura transſudabant. Conſilium petiit, faſſus, ſe præter potum urinæ pueri ſemel in die aſſumtum, aliud medicamen, ob paupertatem, non aſſumſiſſe: itaque cepas coctas & manducatas commendo; ipſe etiam quotidie iis crudis & coctis in cibo utebatur, atque pro potu decoctum etiam ceparum aſſumebat: quo factum eſt, ut urinam copioſe emitteret; ſicque per menſem continuans ſanus evaſit, & adhuc ſalvus vivit.

OBSERVATIO XLI.

Dn. D. Joſephi Lanzoni.

De

Ictero notabili.

IN prægreſſa Centuria tertia Miſcell. noſtr. curios. hiſtoria de Ictero ſingulari mihi in memoriam revocat ſequentem: Civis quidam noſter Ferrarienſis, annorum 40. mediocris habitus, cibis copioſis & potibus generoſioribus libere indulgens, pondus cum gravi dolore in dextro latere perſenſit, in cujus declinatione tota facies viridi colore usque ad guttur tincta, dextra

pars corporis atro colore notabatur, sinistra vero flavescebat; ita ut notabile fuerit, tres diversos colores in uno icterico comparuisse. Urina ejus modo viridis, modo atra apparebat, & præsertim hæc, quæ noctu excernebatur, atri coloris erat, quæ vero in die, viridis conspiciebatur. Purgato corpore, ex usu salis absinthii ad ʒj. per plures dies, colorum facta est mutatio; facies enim, quæ prius viridis erat, flava facta est, & pars dextra, quæ atri coloris prius apparebat, flava evasit, læva autem atrum paulatim induit colorem, & ita post vigesimum diem color unus. flavus nempe factus est, qui usu Syrupi cichorii cum Rhabarbaro, per plures dies, una cum usu chinæ chinæ sensim evanuit.

OBSERVATIO XLII.

Dn. D. Josephi Lanzoni.

Experta in hæmorrhoidum dolore.

REligiosum novi, qui balsamo sulphuris in hoc affectu utitur; feminam, quæ oleum ovorum; puellum, qui adipem ranarum; & piscatorem, qui cepam sub cineribus coctam adhibent. Judæum quendam vidi, qui a longo tempore ab eo vexatus, post varia præsidia, tandem sequenti unguento sanatus est: ℞. Ung. rosat. malvin. ʒj. Mercurii crudi ʒij. sulphuris vivi ʒj. croci Orient.gr. v. M. in mortario plumbeo s. a.

(*Ferraria Augustam Vind. d. 20. Octobr. Ao. 1715. misse.*)

OBSERVATIO XLIII.

Dn. D. Rudolphi Jacobi Camerarii.

Cita mors. Ventriculus perforatus.

ADolescentula 15 annorum per diem 17. Septembr. 1714. sana, noctu circa horam decimam vix lectum ingressa, cito graviter queri cœpit de doloribus ventris, talibus ac tantis, ut sub celeri eorum incremento torqueretur mirum in modum, sursum & deorsum se volveret, nullibi valens quiescere, donec

venter

venter intumescens ipsam lecto figeret, motumque talem inhiberet. Vocatus chirurgus per noctem externe litu oleorum, impositione sacculorum, injectione enematis, quin & interne exhibitione iusculorum, nec non theriacæ, nihil tamen levaminis procurare valuit; utut alvus solveretur, & sursum evomeretur phlegma, sed illud sine ulteriore perturbatione alvi aut fluxu, & hoc parce, ut mane quasi amplius absolvi non posse videretur; neutrubi autem excernerentur cruenta. Enimvero tam cito inflabatur venter adeo, tympanitice tensus, insolito modo, ut ad reddendum enema starec erecta, sedere non potuerit, nec porro in lecto erigi, præ tumore ventris duri, qui ad tactum valde tumebat, ne lectum quidem incumbentem facile ferebat, & invalescens ad medium, quin collum, usque loqui concedebat non nisi ægre. Inter lamenta de recursu dolorum frequenti constabat mens, precibus Deo devota, nec observabantur deliquia; hinc nec deliria intervenerunt, nec eruperunt convulsiones; sed puella sic afflicta inter horam 7. & 8. diei 18. Septembr. cum potum modo petiisset, facie livescens, ad latus conversa, vomiturire visa, subito exspiravit.

Fati hujus causa est occulta. Quod dispositionem personæ & occasionem externam concernit, huc redit, quantum constat. Sana quidem fuerat ipsa, sed tenera, pallidula, gracilis, non parvula tamen, domi sub laboribus levioribus non gravibus rusticis educata, ventris plerumque a cibis duriusculis concoctu difficilioribus murmurantis, nondum menstruata, (cum mater tamen in decimo tertio quondam anno jam fuerit) tertia in ordine filiolarum, quas præmature abreptas lugent parentes. Per diem quidquam passa non fuit, errores diætæ manifestos non commisit; ipsam neque tunc, cum recens historia, neque ex post facto, malignum quid domi vel foris assumsisse innotuit, præterquam hoc unicum, suspectum, dubium, vix suffeciisse creditum: Emerat mane cum sorore, natu minore, prüna damascena recentia, pro sua parte circiter octodecim, successive per diem comesta, reservarat tamen, ut creditur, pauca ad noctem, antequam

quam cubitum iret. Nihil inde mali passa fuit soror. Ipsa ergo cur tam dira? Vix, quod nondum matura satis; qualia quidem fuerant. Utrum, quod ex suis quædam veneno in campo vel roris vel insectorum inquinata: vel per eam, a qua in foro emerat, personam maligno modo quocunque infecta? Hæc omnia quidem varias tum moverant suspiciones, sed incertas. Illud modo certum, solo excessu in prunis non fuisse peccatum; nec cholerico ipsam obiisse modo. Utrum hoc etiam addi vel attendi meretur, quod fama tulit, statim primis horis asseruisse ægram: in hoc sibi moriendum lecto. Unde hoc scivit? an victa dolorum acerbitate; vel quando aut quomodo sic edocta?

Ex consequentibus accedat inspectio cadaveris: post horam enim chirurgi duo, ventrem istum enormiter turgentem & liveſcentem aperientes, observarunt mirabundi & retulerunt; erupisse tanto cum impetu non sine sono flatum multum, ut candelam potuisset extinguere, fœtoris nec stercoracei, nec putrilaginosi, sed singularis acris, quasi subdulcis, nauseosi, hoc autem emisso subsediſſe subito omnem illam tumoris molem & tensionem. In cavo fuisse liquoris bruni, fusci, subnigricantis ad mensuram unam, cum paucis innatantibus frustulis tunicarum de prunis damascenis; non cruorem: etiam vasis versus dorsum majoribus incisis mirati parum nimis effluxisse cruoris. Intestina non inflata, sed collapsa potius, nullibi læsa, nec vermibus obsessa, plus justo rubuisse visa. Hepar aspectu quasi sanum, nisi quod adnatum. Lienem majorem & turgidiorem; sive quod viciniæ fuerit compassus, sive quod foverit dispositionem quandam p. n. antecedaneam. Ventriculum versus lienem in parte sui finistra perforatum, intus muco quodam fusco obscuro obductum, eo deterso rubuisse, continuisse liquoris prædicto similis circiter semilibram, cum paucis quoque prunorum tunicis; nullis autem eorum nucleis. Unicum istud foramen, cui digitus minor potuisset inseri, fuisse fontem, unde in cavum abdominis tanta liquoris & flatuum copia pro tam subito tympanite eruperit. Quæsiti, quo illud modo ipsis comparue-

fuerit, utrum judicent, factum perruptione tunicarum vel exesione, posterius sibi visum esse responderunt chirurgi; qui præter ista nihil ultra memorabile observarunt, nec pectus aut caput aperuerunt.

Quanquam itaque incompleta obscuri fati sit historia, in iis tamen, quæ suppetunt, non indigna videbatur, cujus in omnem casum conservetur memoria, vel quæ publico innotescat; quid quod per modum parallelismi addi poterit observationibus per E. N. C. sparsim, quarum loca dabunt indices, laudabili instituto conscripti.

OBSERVATIO XLIV.

Dn. D. Rudolphi Jacobi Camerarii.

Tubercula Subcutanea.

Quod in phænomenis scorbuti legitur, minus autem apud nos frequens observatur, tangi interdum per cutem tubercula nescio qualia, id cum in viro quodam nuper mihi occurrerit, annotare modo, & per potiores recensere circumstantias, non abs re fore videtur. Illi quidem, quem dico, & globulis sub cute mirabar præditum singularibus, temperamentum erat sanguineum, ætas consistens, vitæ genus mercatura occupatum, familia morboso charactere non insignis; usus vel abusus rerum non-naturalium nihil ultra communem vivendi modum offerebat; Nec in p. naturalibus vita morbis afflicta, quin potius firma & longæ sanitatis; ita ut tria tamen huc spectent, quæ partim præcesserunt, partim concurrebant. Primo pedes cicatricosi, ab ulceribus per juventutem gravibus, diu jam consolidatis, tales; quales manserunt ad vitæ finem, non aperti amplius. Secundo, tussis quædam hyberna, frequens, aliquot annorum, quæ cogendo non solebat exprimere nisi sputum albicans, non multum. Tertio, velut hæc matutina, sic nocturnus ipsi molestus spasmus flatulentus, quo non pedes modo, sed & latus, jam hoc mox illud ventris, pectoris corripiebatur, frequenter, transitorie.

ric. His autem non obstantibus, ambulabat ipse, ut sanus, suis sufficiens negotiis, diu.

Huic erant per corpus externum, ut videri, ut tangi potuerint, non tam in ipsa cute, quam mox sub ea, non modo femoribus & brachiis, sed & per ventrem, numero bene multi, discreti, sive nodi sive globuli, i. e. tumores parvi, nucis avellanæ, juglandis minoris, magnitudine, cuti sanæ concolores, duriusculi, mobiles. Utrum ergo glandulæ p. n. vel genitæ vel saltim auctæ, & quonam crudo infarctæ humore? Durabant enim per annos bene multos, manentes in eodem; nullus unquam eorum inflammabatur aut exulcerabatur; & quia non molesti, non curabantur, sed suo fato relinquebantur. Vir ipse interim non scrophulosus, nec alio sensu modove scorbuticus; non factus podagricus; minime autem omnium de lue suspectus.

Quod autem sequebatur mali, cum tuberculis tamen istis minus cohærere visi, vel tandem huc redit: Qui diu suos circumgestarat globulos, nec tussi cedens nec crampo, quin diu renitebatur, cum potui frequentius indulgeret, cibo desuescit fere, vino se sustentans, contrahit sensim ciborum, carnium inprimis, fastidium, anorexiam ultimo invictam; cui superaccedit dolor & pressio præcordialis, inde sub mali longitudine, vitium languor, consumptio corporis superi, pedum œdema, ventris tumor tympaniticus, &c. quibus a vere ad autumnum varie ægre protractis, tandem succumbit prope sexagenarius.

Quales ergo sub finem factos putamus nodos istos? Quemadmodum ultra molestiæ nihil creaverunt, ita nec incrementa sumserunt, quin potius flaccidi, quasi exsucci corrugabantur, sub habitu corporis ita consumto multo minores, ut ne ullus quidem ipsorum in alienam degeneraverit naturam.

(*Tubinga Augustam Vind. d. 11. Nov. Anno 1715. missa.*)

OBSER-

OBSERVATIO XLV.

Dn. D. Marci Gerbezii.

Febris tertiana simplex, præpostero specificorum usu in Cachectico infeliciter curata.

QUaliter ægrota corpora magna vitiosorum humorum saburra referta, nisi prius rite repurgentur, puris specificis communiter offendantur, observationes Medicæ quidem passim docent, & docui ego ipse in Chronologiæ meæ Med. An. 1. §. CII. & An. 2. §. LXXXI. Ut error iste vero tamen eis, qui suis specificis (sibi secreta dictis) totum suarum curationum negotium perficere gestiunt, purgantia quæcunque etiam levissima ut venenosa, & deleteria evidentissimo errore reprobantes (qualiter facit Janus Abrahamus a Gehema in seinem Mord-Büchel/ aliique) tanto pressius ob oculos ponatur; lubet illis a me allegatis casibus, quoque sequentem adjungere: nempe elapsa æstate in febrem tertianam simplicem intermittentem inciderat Senior noster Advocatus jam pridem valetudinarius, & totus Cachecticus. Hic eo, quod non repurgato corpore, neque præmissis aliis præmittendis ter consequenter specificum quoddam pro abigenda febri introsumsisset, febris quidem expers evasit; ast ejus loco manibus pedibusque totus poreticus, in dextro etiam brachio arthriticus factus. Ut adeo plus, quam manifeste erroris sui convincantur Singularistæ illi, qui ut plus Galeno, Hippocrate, & aliis famosissimis præsentis sæculi viris, consuetæ med. methodo insistentibus, particularibusque hujusmodi specificis semper universalia, purgantia scilicet, & pro re nata, venæsectiones, nec non alia præparantia præmittere assuetis, sapere videantur, quibuscunque in medendo occurrentibus indicationibus solis specificis satisfieri posse irrito contendunt. Hic loci quidem peropportuna esset occasio demonstrandi, quam erronea sit aliorum adversus curas verno-autumnales, adversus purgantia,

& venæsectiones publicata sententia; ne observatio vero suos limites transcendat, tale negotium in alium locum differtur.

OBSERVATIO XLVI.
Dn. D. Marci Gerbezii.
Singultus potu acidularum excitatus.

QUidnam singultus sit, quamque persæpe funestus, neminem in ampliori praxi medica versatum fugit: quam is autem subinde etiam cæterum salutaribus remediis excitetur, expertus fuit eadem æstate eximius Soc. JEsu Sacerdos. Huic alternis diebus febricitanti a Medico inter reliqua remedia etiam Roitschenstium acidularum potus fuit ordinatus: ex quo etiam recesserat febris; econtra ægrum tanta vomendi, & singultiendi necessitas incesserat, ut quidquid introsumeret, sive juris, sive aquæ, sive vini, vel cujuscunque alterius sive liquidi, sive solidi, æger id mox evomere cogeretur, & desuper sine numero cum maximis anxietatibus singultire: procul dubio ob superioris oris ventriculi tunicas partim nimium perfrigeratas, partim ab acidularum acore abrasam solitam mucilaginem justo sensibiliores redditas; quæ singultiendi necessitas tamen, uti & vomitio fuit intra noctem a me in consilium vocato penitus cicurata sequentibus remediis; ℞. *Conserv. Menth.* ʒß. *elect. diascord. Fracast.* ʒj. *spec. diacret. Mynsi.* ℈j. *Crystal. præpar.* ℈ß. *elæos. cort. aurant. q. s. f.* bolus ante somnum introsumendus. ℞. *Herb. Menth. absynth. flor. rosar. rub. micæ panis secalini, granor. junip. contus. ana M.* ß *M. cum vino & aceto f. catapl.* ab extra ventriculo calide applicandum, prævia perunctione *balsami Indici, & ol. nucistæ.*

OBSERVATIO XLVII.
Dn. D. Marci Gerbezii.
Febres intermittentes quascunque singularis eaque perdextra curandi methodus.

ELapso Augusto, Septembri, & Octobri plurimi febribus erraticis, tertianis nothis, & quartanis detinebantur: & erraticis

ticis quidem talibus, quæ ſucceſſive communiter in quartanas degenerabant: Tertianis autem, quæ poſt ſecundum, tertium, vel quartum paroxyſmum degenerabant in lentas continuas, per plures hebdomadas, cum ſingulari & ægrotantium, & medentium tædio, fere citra notabiles exacerbationes, niſi nonnihil verſus veſperum, continuantes, demum vero rurſus in tertianas cum rigore totius deſinentes. Quas quia ego ſequentibus remediis feliciter cicurare ſolebam: dignum judicabam ea pro imitatione hic fideliter communicare. Primo autem eos communiter ter, quater, vel etiam quinquies (ſemper pridie paroxyſmi, quia tum ægri tolerantius ſe habent) tali ptiſana expurgabam: ℞. *Fol. Sen. ſ. ſt.* ʒiij. ☉☿ri ʒß. *flor. viol. & paſſul. min. ana* p. i. *Infuſa per noctem in loco calido in ſ. q. aq. agrimon. vel borrag. vel communis, vel etiam juris pulli prævia levi ebullitione exprimantur, & ſ. potio.* Vel talibus pilulis: ℞. *Extr. pil.* ☿ *Schrœd.* ʒß. *extr. gentian. cent. min. ana gr.* iv. *Reſin. jalap. pin. ſub. gr.* v. *M. cum tinct.* ☿ri *ſ. pil. N.* ix. *inaurat.* Reliquis diebus ℞. *Eſſ. abſynt. agrimon. Elix. propr. Parac. tinct.* ☿. *Mart. aperit. ſpir. Sal. Ammon. ana* ʒj. *M.* doſis mane, & veſperi gut. XXX. Ultimatim ℞. *Conſerv. roſ. vel flor. borrag.* ʒß. vel etiam his omiſſis: ℞. *Confect. Alkerm.* ʒij. *pulv. patr. el. & ſubtiliſſime olcobol.* ʒiß. *non diapb.* ʒiß. *arcan. dupl. flor. Sal. Ammon. Sal. abſynt. cent. min. card. ben. ana* ʒß. *M. cum conditura cort. citri ſ. electuarium molle.* Cujus doſis erat die febrili in declinatione paroxyſmi caſtaneæ magnitudo, diebus apyrexias autem bis de die, aliquid vini abſyntites, vel aq. card. ben. ei ſuperbibendo.

Unus eorum ad finem Auguſti unica pilularum doſi purgatus plane ad ſolius tincturæ uſum poſt ſextum paroxyſmum conſtanter convaluerat, reliqui vero ad diligentem, etiam poſt ſuperatam febrim, ſaltem ſemel de die continuationem deſcripti ſpecifici, cum cauta victus obſervantia.

Labaco Auguſtanæ Vind. d. 12. Novembr. Anno 1715. miſſa.

OBSERVATIO XLVIII.

Dn. Lic. Christiani Gotthardi Willisch.

De

Vermibus, mira symptomata excitantibus, & præsertim de Verme per umbilicum excreto.

VIrgo quædam nobilis sedecim circiter annorum, per semestre ferme spatium laborabat lassitudine totius, pallore faciei, anorexia cum sempiterno vomendi conatu, alvi constipatione & interdum gravibus ventris torminibus; causam hujus mali in depravato ventriculo sitam existimabat Ægra. At enim brevi post motibus corripitur convulsivis, finito vero paroxysmo semper *tristis evadit, effundit lacrymas* & *tragicis gesticulationibus* mirandum adstantibus causatur stuporem. Parentes petunt auxilium, & ab aliis antea omnibus incassum adhibitis contra melancholiam & motus convulsivos medicamentis, tandem horrenda ista symptomata oriri facile posse a vermibus pensitavi, cum præ cæteris corporis partibus posteriora mirum in modum moveret, una cum aliis medicamentis etiam clysterem ex anthelminticis, præcipue vero Tanaceto adhibere jussi, cujus optatum ita sensit effectum, ut non solum innumeros excreverit ascarides, sed & gravissima remiserint symptomata. Ægra gaudiorum quidem plena, rodentem quendam denuo umbilici sentit dolorem cum motu non obscuro viventis cujusdam, quem sequitur vomitus. Hos intensos admodum cruciatus xx. circiter horas passa est, donec vermis 2. spithamas ad minimum longus & rostratus, quem conservamus, se se proriperet. Umbilicum deinde perforatum chirurgica consolidavit manus, & ego suasi decoctum traumaticum ad ductum Th. Boneti, addito absynthio, tanaceto nostro & sumitatibus hyperici; & Ægra jam optime valet.

SCHOLIUM.

COnvulsiones & varias gesticulationes in hominibus præsertim verminosis sæpissime fuisse natas, non est, quin dubitemus.

mus. Teſtantur non ſolum quotidie id obſervationes patholo-gico-practicæ, ſed & exactiſſimi rerum naturalium obſervatores, præſertim Philippus Marcus, qui de Lumbricis mira ſymptoma-ta excitantibus, varias enucleavit obſervationes, & conſenſus, quem genus patitur nervoſum, docere hoc poteſt. Tanace-tum excellentiſſima gaudere vi anthelmintica, certum & expe-rientia exploratum eſt, triſtitiam & lacrymas a vermibus, ipſam-que excretionem vermis noſtri umbilicalis, quædam conſide-randa, tantum ſpectant. De lumbricis nonnunquam ventricu-lum, inteſtina, umbilicum, ventrem, hypochondria atque in-guina perforantibus mentionem fecerunt Schenkius, Tulpius & Miſc. Nat. Curioſ. German. præcipue vero de vivis vermibus per umbilicum prodeuntibus Zacut. Luſitanus l. 2. Prax. med. admirab. Obſerv. 40. & Philipp. Salmuth obſ. med. Cent. II. p. 8. Domicilium vermis noſtri quod attinet, eum aut immediate ſub umbilico & in abdominis cavitate latitaſſe, aut e reſide forſan ſanguine me-diante putrefactione in vaſis umbilicum conſtituentibus natum fuiſſe credimus. Quid de verme umbilicali porro ſentien-dum, qui ſecundum CL. Eyſelii ſententiam ex his cognoſcitur, quando infantes præter cauſam aliquam manifeſtam continuo vagiunt, propter intolerabilem dolorem acutum, imo, ſi fun-dulus vel alius piſcis parvus umbilico applicetur, tunc altero die poſt ad dimidietatem piſcis ſit abſumtus, iis qui excellentiori gaudent judicio, merito relinquimus. Pervium etiam umbili-cum eſſe in nonnullis credere poſſumus cum Th. Bartholino, & Alpino, qui, apud Ægyptios, refert, dyſenteriam ſanari digito in umbilicum intruſo, eoque pluries circumducto. Inſenſibili autem modo patere umbilicum probat medicamentis, quæ um-bilico imponimus, v. g. medicamentis purgantibus, vomitum ſiſtentibus anti-hiſtericis, vermes necantibus & ſimilibus. An in noſtra etiam Ægra pervius fuerit umbilicus, ob dolorem iſtum valde rodentem, dubitamus.

(*Pirna Auguſtan. Vind. d. 13. Novembr. Anno 1715. miſſa.*)

OBSER-

OBSERVATIO XLIX.

Dn. D. Johannis Matthiæ Mülleri.

De

Hæmorrhagia gingivarum notabili.

Clvi & sartori hujus loci 40. aliquot annos habenti, temperamento prædito cholerico, atque iræ valde dedito, ex acrimonia sanguinis plurium annorum scorbutica gingiva ubique ad fauces usque fuit cruenta, unde sanguis tandem continuo exstillavit, ægerque hinc viribus admodum exhaustus meum mense anni 1705. Majo expetiit consilium: ℞. igitur cons. ros. antiq. ℥ß rad. tormentill. alum. ust. sangu. drac. gumm. lacc. ana ʒß aloës succotr. myrrh. terræ vitriol. dulc. ana ℈j. syr. fol. querc. mell. ros. ana q. s. pro usu externo. Porro ℞. aqu. plantag. ℥iij. Tinct. lap. hæmat. ʒiß syr. ros. sicc. corall. rubr. ana ℥ß cochleatim cap. Sedato sic sanguinis fluxu, ℞. Extr. antiscorb. Marr. pomat. ana ʒij. solv. c. aqua tormentill ℥iß add. Tinct. antim. ʒiij. M. de qua mixt. sum. gutt. 60. in decoct. lignor. bis in die. Ad hæc nunquam amplius tali affectus fuit gingivarum hæmorrhagia.

SCHOLIUM.

DE hæmorrhagia gingivarum notabili *conf. Paul. Sorbait. obs. in Misc. Cur. dec. 1. ann. 2. p.* 87. Gingivarum erosio scorbuticis tam familiaris est, ut lippi etiam scorbutum inde possint conjicere. *Theoph. Bonet. Sepulchret. seu Anat. Pract. l.* 1. *s.* 21. *p. m.* 451. *in schol. obs.* 1. de gingivarum erosione incurabili a vermium abundantia in intestinis *ex Guil. Fabr. Hildan. cent.* 2. *obs.* 59. De hæmorrhagia gingivarum in prægnante lethali cum supervenientibus maculis rubris & sudore sanguineo, *vid Greg. Horst. libr. de morbis mulierum, Joh. Jac. Manget. Bibl. Med. Pract. l.* 8. *p.* 702. ubi etiam mentionem facit virginis cujusdam mensium defectu laborantis, cui superfluus sanguis per gingivas segregabatur, eventu salutari. *conf. Joh. Dol. Encyclop. Chirurg. rat. l.* 1. *c.* 23. §. 11. *p. m.* 222. *b.*

Ex venula gingivæ fabro ferrario per 24. horas ultra 8. sanguinis

guinis ichoroſi libras effluxiſſe narrat *Marcell. Donat. Hiſt. med. mirab. l. 4. c. 9. p. m.* 350.

Gingivarum oſſearum hiſtoriam recenſet *Joh. Ludov. Hannemann. Miſc. Cur. dec. 3. ann. 5. 6. p.* 131. & hæmorrhagiæ largioris e cavitate dentis maxillaris, *Joh. Georg. Hoyer ib. ann. 7. 8 p.* 300.

Hæmorrhagiarum vulnerariarum exempla quoque tradidi *in Obſervationum & Curationum mearum Medico-Chirurgicarum, de præcipuarum corporis humani partium affectibus, rariorum dec.* 1. *obſ.* 4. *ſeqq.* De plenaria hepatis transfoſſione cum inſecuto inſigni tumore aſcitico, *it. in hujus obſ. ſchol.* de puella ſupra pubem gladio vulnerata, ut & de læſione ſuræ cum dilaceratione rami cujusdam arterioſi manifeſti lethali, e ſclopeto ſtupa tantum onerato, facta; (quorſum referenda *obſ.* 88. *cent.* 4. *Ephem. Nat. Cur. Excellentiſſ. D. D. Laur. Heiſteri Patron. mei honoratiſſimi,*) nec non de neglecta funiculi umbilicalis in fœtu recens nato mortem inducente deligatione *juxta ill. D. Mich. Bernh. Valentin. Pandect. Med. Leg. p.* 2. *ſ.* 7. *caſ.* 21. 22. *p.* 632. *ſeqq. Jac. Wolff. Ephem. Nat. Cur. dec.* 2. *ann.* 7. *p.* 365. *It. decad. m.* 2. *caſ.* 1. *ac tractatul. de effractura cranii cum notis anatomico-practicis ex quam plurimis auctoribus extractis pag.* 21. 58. 114.

Hæmorrhagiis hiſce ſequentem addere placet proprii filioli caſum: Ann. 1712. menſ. Novembr. filiolus 6. hebdomadum inflammatione utriusque teſticuli partiumque vicinarum, nimirum ſcroti, podicis, penis, atque veſicæ decumbebat; licet ad illam tollendam nihil plane fuerit intermiſſum, ſed omnis potius impenſa opera, tamen vita deceſſit, atque ipſo mortis momento vel articulo multa magnaque ſanguinis atque puris copia ex ambabus naribus per lectulum atque cunas ad terram profluxit.

In gingivis non ſolum, ſed & in faucibus ſæpius mihi curanda fuere ulcera gravia, cum aliis ſymptomatibus conjuncta, ſicut hoc ipſo tempore, quo hæc ſcribo, in eodem morbi gene-

re curando laboro; eodem autem fere modo, mutatis tamen quandoque mutandis, hisce in casibus procedere consuevi ac *D. Gerh. Arnold de Vinquedes in Ephem. Nat. Cur. cent. 4. obs.* 58. *p.* 363. edidit, non omissis simul externis hujuscemodi ulceribus necessariis.

OBSERVATIO L.

Dn. D. Johannis Matthiæ Mülleri.

De plurimorum annorum asthmate subito mortem inferente.

ANno 1706. die 18. Jan. Civis Ingelfingensis annorum prope sexaginta multos jam annos asthmate in functionibus domesticis, e. gr. scindendis lignis, scalarum atque montium ascensione &c. magna ipsi incommoda afferente laborans, ordine ita jubente quibusdam militibus viæ dux adjungitur, sequenti vero die in via montana (auf der Steegen) pronus jacens, caputque domum versus vertens mortuus inveniebatur. Et quia in parte dextra utriusque labii & sub oculo contusiones, in mento vulnus oblongum, item vulnusculum in naso, cutisque in cervice, circa aurem, in latere & brachio dextro, femorum parte interna atque suris ex cœruleo rubra apparebant, hinc neo-vidua maritum suum non solum valde lamentabatur, sed & eundem plagis a militum præfectis ipsi inflictis interiisse, constanter affirmabat. Hinc qui isto in loco ad jus dicendum constitutus a magistratu erat, me ad se accersit, ut, quæ mea de defuncto mens sit, publice exponerem. Veni, vidi cadaver, inspexi illud, inveni faciem nonnihil læsam, labia aliquantisper contusa, & suggillationem parvam sub oculo, salvis tamen gingivis cum osse maxillæ superioris subterjacente, in mento atque naso cutem quoque tantummodo fissam reperi, id quod ex subita prostratione facieique ad lapidem sine dubio allisione provenisse credidi, cutemque taliter coloratam, sanguini ibidem stagnanti, (præsertim cum istæ partes per totam noctem inclementiæ æëris hyberni plurimum fuerint expositæ, & maculæ, quales post mortem

sæpissi-

sæpissime in cute conspiciuntur, sub ipsa inquisitione sensim plane disparuerint) adscribendam judivavi. Præterea neque in capitis cute, neque, hac incisa & reclinata, in pericranio, neque in cranio, hocque serra sublato, neque in meningibus, neque in cerebri nobili vel cæteris ventriculis, cerebello, centro ovali, aut ullis aliis cerebri partibus, quicquam p.nle observare licuit. Exinde concluſi, asthmaticum huncce viam montanam procul dubio vel sponte vel coacte nimis celeriter ascendendo suffocationem sibi promovisse. Quapropter etiam latens in pectore vitium per sternai remotionem manifestare volui; verum vidua, ut ab ulteriori indagatione desisterem, magno ejulatu expetiit, ita voti quidem sui compos facta, interim vero utile hoc meum propositum sic impeditum fuit.

SCHOLIUM.

Si in hoc, nec non alio hujus civis cadavere thoracem aperire licuisset, cordis forsitan polypus utrinque conspectui sese obtulisset; hic enim per plures annos ob insigne asthma (in quo frustra adhibitis pluribus ab aliquot medicis præscriptis remediis, eximium sensit levamen ad sequentis pluveris usum. ℞. flor. sulph. ʒx. myrrh. ʒij. aloës succotr. ʒiß. croc. ʒß. sacch. fin. ℥iij. pro dosi cult. cusp. 2. l. ʒ. sub introit. in lect.) in plana etiam via celeriter ingredi nunquam potuit, & paucos ante menses coram judice rem suam ventilans subito mortuus procidit: sicuti cordis polypus in asthmaticis subitaneo mortis periculo non vacat, ex observationibus *D. Christian. de Helvvich. Ephem Nat. Cur. cent.* 2. *obs.* 48. *p.* 309 *sqq.* & *cent.* 4. *obs.* 42. *p.* 325. *sqq. D. Ad. Christ. Thebes. ibid. obs.* 15. 22. *p.* 270. 279. *Laz. Riverer. cent.* 1. *obs.* 83. *Guil. Ballon. Nic. Tulp. l.* 1. *obs. c.* 27. *Thom. Willis. Tract. de aff. hyst. & hyp. Joh. Conr. Peier. exerc. anat. med.* 23. *Bonet. l. c. l.* 2. *s.* 1. *obs.* 61. 92. 100. & *Manget. addit. obs.* 8. 18. 20. 30. *p. m.* 508. 527. 529. 559. 562. 563. 568. &c.

Asthmatis observationes ab aliis causis *vid. id. ib. p.* 483. *sqq. it. D. Conr. Barth. Behrens Misc. Cur. dec.* 3. *ann.* 3. *p.* 205. *D. Gottl. Bud. ib. cent.* 2. *obs.* 6. *p.* 220. &c.

Alias cadaveris primiparæ in partus laboribus extinctæ relicto in utero fœtu, apertionem in obstetricis & chirurgorum hujus loci usum a viduo ex impia pietate, ut verbis Excellentissimi D. Rosc. Lentilii *Misc. Cur. dec.* 2. *ann.* 2. *p.* 336. utar, ann. 1707. obtinere nequivi, cujus tamen renutus ipsum postea pœnituit, cum aliquid ingrati de mortua uxore rescivit.

OBSERVATIO LI.

Dn. D. Johannis Matthiæ Mülleri.

De arsenici vi cito infracta.

ANno 1707. mense Majo pueruli hujus loci quadrimi, (qui puerorum more saccharo admodum delectabatur) ex hypocausti quodam angulo, quorsum antea nunquam pervenit, conspectum subit pulvis albus, (nimirum arsenicum cum farina triticea permixtum ad necandos mures illuc collocatum): hinc saccharum ibidem inveniendi spe allectus, magno illuc repit labore, testulam cum pulvere deportans, quod cum faciebat, maxima quidem ejus pars dissipabatur, ast reliquum de testula lambendo hauriebat: post statim de doloribus ventris apud patrem in alio conclavi degentem conqueritur, qui ipsum adventu matris mox ex horto redituræ conatur erigere, crescentibus interim cum anxietate doloribus, mater adventans ex veneni dissipatione doloris statim animadvertit causam, meumque anxiose implorat consilium, sine mora igitur ol. amygdal. dulc. rec. ℥v. postea lac calidum copiosum cum cult. cusp. 2. theriac. Andr. propinavi, sicque præsens, quod imminebat, periculum fuit sublatum.

SCHOLIUM.

SImile fere proprii filioli exemplum communicavit *Franc. Reinard. in Manget. addit. ad Bonet. sepulchr. l. 4. s.* 11. *obs.* 13. *hist.* 6. *p. m.* 513.

Ante plures annos tota familia ex incuria fere periisset loco calcis vivæ pulverisatæ, qua aselli albiores antea coquebantur, pulverem arsenici sumendo, hinc uxor & liberi pauca degustando fru-

do fruſtula ſtatim ἄνω καὶ κάτω purgabantur, maritus vero totam fere aſelli portionem comedens, ex inſequente illico abdominis intumeſcentia, doloribus, anxietatibus &c. errorem commiſſum cognoſcens, & ſibi & familiæ pinguibus aliisque in tempore ſuccurrit, ex cujus in vivis adhuc exiſtentis ore hancce hiſtoriam plus vice ſimplici audivi.

De felici arſenici hauſti curatione obſervationes memoriæ prodiderunt *D. Max. Preuſſ. Ephem. Nat. Cur. cent. 3. obſ. 15. p. 33. Joh. Jod. Cyſat. in Manget. l. c. hiſt. 2. p. m. 512. &c.*

Agyrtæ ſæpius arſenicum ſine noxa deglutiunt, ſed cibis oleoſis & plurimum viſcoſis ventriculum præmuniunt, quibus vis particularum corrodentium reprimitur & hebetatur; *Id. l. cit. hiſt. 13. in ſchol. p. m. 515.* qualia jamdum olim commendata ſunt *a Paul. Æginet. de re med. l. 5. c. 60. p. m. 550. d. e. Aët. tetr. 4 ſ. 1. c. 48. p. m. 639. &c.*

Archibald. Pitcarnius ſæpius arſenicum dedit non ſine ſucceſſu iis, qui doloribus ventris ferociſſimis cruciati, nullis auxiliis liberari poterant, *in opuſc. med. ex Act. Erud. Lipſ. ann. 1714. menſ. Octobr. p. 482.*

De arſenico ſine inflammatione necante, ob aſſumta prius viſcida & oleoſa, temperamentumque phlegmaticum, *vid. Ephem. alleg. cent. 4. obſ. 26. D. Mich. Erneſt. Ettmüller. p. 283. ſqq.* & de arſenici aſſumti lenta præter ſolitum operatione *Frid. Wilh. Clauder. lb. dec. 2. ann. 8. p. 540. &c.*

In Scholio *obſ. meæ 4. ſupra allegatæ decadis primæ p. 11.* uxoris cujusdam ruſticanæ veneno mortuæ mentionem quidem feci, quia vero ob brevitatis ſtudium obſervata ibidem reticui, huc idcirco lubet apponere. Hujus inquiſitio per cadaveris apertionem a Magiſtratu Anno 1708. in pago quodam vicino Bütelbronn mihi fuerat demandata: aperto nunc per inciſionem corpore, ſuperiorem hepatis partem ad imperialis circumferentiam inveni quaſi elixam, friabilem, membranamque exeſam; idem etiam erat epatis vitium ab aſſumto arſenico ortum *in Manget. l. c. hiſt. 1. p. m. 511.* Præter hæc ſequentia etiam videbantur

bantur mihi notatu non indigna, nimirum quod 1. tota cutis variis fuerit maculis notata; 2. in ventriculi fundo veneni rudimenta apparuerint; 3. œsophagi, ventriculi, intestinorum tenuium & crassorum ductus vesiculis refertus, in plurimis locis tunica inferior, in quibusdam etiam tunica media cum rubescentibus stigmatibus quasi inflammatis, & hinc inde quoque omnes tunicæ plane subtiliter fuerint perforatæ; 4. pulmonum membrana externa maculis fœta conspiceretur; 5. hujus parenchyma esset sanguine, picis fluidæ instar nigricante coagulato tumidum; & denique 6. cordis auriculæ ac ventriculi eodem sanguine repleti, reliqua vero viscera sana reperta sint. Ex quibus observationibus symtomatibusque, e. gr. doloribus abdominis ineffabilibus, vomitibus, diarrhæa, anxietatibus, palpitationibus cordis, animi deliquiis, siti intensa &c. 16. vel 20. horas ante mortem sustentis, conjunctim sumtis, *cum Dan. Sennert. Instit. Med. l. 3. p. 2. c. 2. p. m. 676. D. Joh. Bohn. de offic. Med. dupl. l. 2. c. 6. p. m. 653. D. Valent. Pand. Med. Legal. p. 1. s. 3. c. 18. seq. p. m. 333. seqq. it. Novell. Med. Legal. cap. 17. p. 359. seqq. Paul. Amman. Prax. vuln. lethal. dec. 6. hist. 2. Paul. Zach. Quæst. Med. Leg. l. 2. t. 2. q. 7. p. m. 217. sqq. Joh. Dom. Sal. Thom. Barthol. cent. 2. hist. 18. Phil. Salmuth. cent. 1. obs. 9. Ballon. parad. 144. Bonet. l. c. l. 3. s. 7. obs. 2. 4. 17. p. m. 63. 64. 70. 71. Joh. Jac. Wepfer. c. Henr. Scret. a Zavorziz. Manget. l. c. p. m. 512.* &c. veneni corrosivi non modicam portionem fuisse haustam, non immerito argumentatus sum.

OBSERVATIO LII.

Dn. D. Johannis Matthiæ Mülleri,

De Liene duplici.

IN modo memorata muliere veneno extincta, præter jam relata & hoc notatu dignum fuit, lienem obvenisse parvum, cum parte juxta substantiam, membranas, vasaque in totum per naturæ lusum separata, ovi columbini majoris magnitudine, adeo ut inde istum jure merito lienem duplicem appellare potuerim.

SCHO-

SCHOLIUM.

DE liene duplici. *Conf. Henr. Samſon. Miſc. Cur. dec. 1. ann. 3. p. 327--281. du Poy, en Zodiac. Med. gallic. ann. 2. obſ. 14. Ful. Joh. Jac. Harder. obſ. anat. pract. Manget. addit. ad Bonet. Anat. Pract. l. 2. ſ. 7. obſ. 4. 19. p. m. 768. 783. Id. Bonet. l. 3. ſ. 14. obſ. 3. ſ. 21. obſ. 34. p. m. 279. 445. ex obſ. Barth. Cabrol. Hippol. Boſc. de faculs. anat. lect. 2. p. 14. &c.* & de liene triplici *Harder. M. C. D. 3. ann. 9. 10. p. 127. W. Cheſelden. Anat. corp. human. p. 109. Act. Erud. Lipſ. ann. 1714. menſ. Octobr. p. 484. Gabr. Fallop. obſ. anat. p. 465. l. 53. &c.* de lienis defectu *Lentil. M. C. D. 2. ann. 3. p. 398. Zacut. Luſit. Pr. adm. l. 5. obſ. 137. Caſp. Bauhin. Petr. Paur. obſ. 39. Bonet. l. c. ſ. 18. obſ. 30. ſ. 21. obſ. 69. 70. p. m. 332. 472. &c.* nimia parvitate *Id. ib. ſ. 20. obſ. 16. ſ. 21. obſ. 7. 8. 11. Ott. Heurn. obſ. 19. Andr. Veſal. Anat. l. 5. c. 9. Alb. Kyper. Nic. Fontan. reſp. & Curat. 117. Joh. Frid. Travelmann. p. m. 359. 397. 406. 414. A. E. L. ann. 1682. p. 220. &c.* inſolita vero magnitudine *D. Joſeph. Lanzon. animadv. ad Med. Anat. & Chir. ib. ann. 1689. p. 180. Neh. Grevv. obſ. de morboſ. lien. ib. ann. 1692. pag. 534. Adr. Spiegel. corp. hum. fabr. l. 8. c. 5. p. m. 236. Excellentiſſ. D. D. Joh. Maur. Hoffmann. Patron. m. ſumme venerand. Id. mach. hum. anat. phyſ. ſ. 8. §. 2. p. 61. Wepfer. Ant. de Pozz. M. C. D. 1. ann. 1. p. 15. ann. 4. 5. p. 37. Horſt. t. 2. l. 9. obſ. 4. Boſc. l. c. Gerh. Bloſ. obſ. med. 14. Joh. Helvvich. obſ. med. 98. Bonet. l. c. ſ. 16. obſ. 9. ſqq. ſ. 19. obſ. 2. ſ. 21. obſ. 34. p. 282. ſqq. 340. 446. & Manget. addit. ad l. 4. ſ. 1. obſ. 7. p. m. 243. &c.* tumore febriculoſo *Georg. Hier. Welſch. M. C. d. 1. a. 8. p. 68. &c.* qualem in conjuge aliisque bono cum Deo ſæpius curavi; figura rotunda *Joh. Rhod. in Th. Barthol. Anat. reform. p. m. 159. D. Lanzon. Ephem. Nat. Cur. cent. 3. obſ. 62. p. 144. Petr. Quenez. Bon. ſ. 21. obſ. 40. p. 452.* conglobata, *Wolff. Gabelchov. cent. 3. Cur. 36. Bon. l. c. obſ. 6. p. 392.* in lobos diviſa, *Barthol. l. c.* ſita in thorace *Theod. Craan. tr. phyſ. med. de homine A. E. L. a. 1689. p. 536. &c.* inter ventriculum & hepar *Henr. a Moinichen. Bon. l. c. obſ. 42. p. 453. &c.* in latere dex-

tro

tro *Joh. Riolan. in fin. anthropogr. Bon. l. 4. ſ. 11. obſ. 4. n. 4. p. 545.* &c. de liene indurato ſcirrhoſo & fere lapidoſo *Matth. T. ling. M. C. d. 1. a. 6. 7. p. 180. Joh. Nic. Pechlin. Mang. l. c. l. 3. ſ. 17. obſ. 2. p. 315. Fontan. l. c. p. 90. Vid. Vid. Joan. Petr. Foreſt. l. 2. de incert. urin. jud. p. 199. Bonet. l. c. l. 3. ſ. 18. obſ. 22. ſ. 20. obſ. 3. ſ. 21. obſ. 6. p. m. 329. 354. 396. l. 4. ſ. 12. obſ. 12. p. 562.* &c. Cartilaginoſo *D. Dan. Bſcherer M. C. d. 2. a. 6. p. 457. Chriſtian. Radnic. M. C. d. 1. a. 3. p. 288. - 247.* &c. de lienis ruptura ab ictu *Joh. Matth. Faber M. C. d. 2. a. 9. p. 466. D. Chriſt. Vater. ib. ann. 8. p. 498. Joh. Petr. Albrecht. M. C. d. 3. a. 9. 10. p. 10. Bud. Ephem. Nat. cur. cent. 2. obſ. 8. p. 222. c. Schol. Domini Præſidis. ib. p. 223. ſq.* &c. extirpationis in cane effectu *ib. cent. 3. obſ. 30. & cent. 4. obſ. 97. D. Ant. Vallisner. & ſupra laudat. D. Heiſter. p. 56. 468. Paul. Barb. Prax. med. l. 4. c. 10. p. m. 235. it. Not. Frid. Decker. & Manget. ad eundem locum. D. Bohn. circul. anat. phyſiol. prog. 18. p. m. 281. ſq. Tim. Clarck. Mang. Bibl. Med. Pract. l. 10. p. 58.* &c. Licet autem in homine lien exciſus ſine noxa *in M. C. d. 2. a. 3. Obſ. 195. Dan. Crüger. p. 378. Clarc. Manget. l. c. p. 59.* alibique legatur, juxta modo cum veneratione allegati D. D. Hoffmann. l. c. tamen ſ. 6. p. 64. universalitatem nullam comprobat.

OBSERVATIO LIII.

Dn. D. Joannis Matthiæ Mülleri.

De calculo in orificio penis urinam reprimente.

FRater meus natu minimus anno 1695. 7. annorum tunc puer, nunc civis Francofurtenſis, ſubito intenſiſſimos paſſus eſt lumborum dolores, ita ut ad terram incurvatus ejulansque inceſſerit atque repſerit, inde ad ureteris ſiniſtri, poſtea ad hujus in veſicam inſertionis regionem, & tandem ad urethram tranſiit ex calculo dolor, inque hujus orificio ſubſtitit, ac calculi particula tactui, ut & viſui ſeſe obtulit, nec tamen ad præſcripta a D.D. Eraſm. Kiſnero diuretica promoveri potuit; unde ſuaſu hujus celebris Medici urethra in glande inciſione parum fuit dilatata, inſtrumentoque idoneo calculus ad fabæ minoris magnitudinem extractus, quo facto, urinæ via iterum aperta, frater reſtitutus ſanitati eſt

SCHO-

SCHOLIUM.

SImilem fere historiam recenset *Dan. Winckler. M.C. d.* 1. *a.* 6. 7. *p.* 70. *Conf. Dol. obs.* 62. *ejusdem operibus annex. p. m.* 132. *it. Isbr. de Diemerbroeck. obs. & cur. med.* 73. *Mang. Bibl. Med. pr. l.* 3. *p.* 345. de calculo ex pueruli 4. annorum pene feliciter exsecto. *Id. Diemerbr. l. c. Mang. l. c. l.* 12. *p.* 534. de calculi ex urethra juvenis, absente chirurgo, a patre excisione. *Joh. Burg.* de calculo ad radicem penis exeunte. *Vit. Riedlin.* de calculo urethræ infixo *D. Gustav. Cas. Garliep.* von der Mühlen. de calculis per octennium fere in urethra gestatis. *M. C. d.* 2. *a.* 3. *p.* 340. *d.* 3. *a.* 1. *p.* 218. *a.* 9. 10. *p.* 67. *Joh. Morton. Hist. Nat. Northamtonienf. comitat. c.* 8. *p.* 460. *A. E. L. ann.* 1713. *m. octobr. p.* 442. de calculo in urethra pueri semestris per biennium hærente. *Joh. Laur. Fehr.* de calculo vesicæ ab imperito medicastro in urethram protruso lethali. *Tulp. obs. med. l.* 4. de calculis 25. feliciter ex urethra excisis. *Pechlin. obs. Phys. med. l.* 2. de calculosi, lapides atque urinam bacillo juniperino urethram ampliando sibi ipsi sæpe provocantis, bacillum tandem confringentis, inque hujus per chirurgum forcipe facta extractione, stupenda duritie & insensibilitate. *Mang. l. c. l.* 3. *p.* 354. 343. 357. *A. E. L. a.* 1693. *p.* 511. de calculo ex anteriori penis parte exsecto. *Zacut. l. c. l.* 2. *obs.* 76. de Ischuria a lapide urethræ impacto, *Fel. Plater. obs. l.* 3. *p.* 600. *Bonet. l. c. s.* 24. *obs.* 14. 15. *p.* 636. a præputio foramini glandis innato. *Tulp. l. c. c.* 45. *Mang. l. a. p.* 365. de calculo ureterem obturante, per 18. dies urinæ profluxum plenarie inhibente mortemque concitante. *Bartholin. cent.* 4. *hist.* 28. *Bon. l. c. s.* 23. *obs.* 4. *n.* 4. *p.* 586. de calculo cum vesica in scrotum illapso. *A. E. L. a* 1706. *p.* 317. de calculo intra vesicæ tunicas latente; talismodi observationis etiam memini *ex Is. Cattier. obs.* 111. *Petr. Borello communicat.* §. 32. *disp. meæ inauguralis de inflammatione vesicæ urinariæ.* (ubi §. 15. 16. retuli, me cum D. D. Jul. Wilhelm. Siegmanno, amico & contubernali quondam suavissimo, tunicæ vesicæ secundæ triplicem fibrarum seriem, primam & tertiam

longitudinalem decussatim sibi, mediante secunda transversali, impositam in plurimis non tantum humanis, sed & variorum brutorum vesicis Argentorati anno 1699. sæpius subtiliter separasse; & §. 19. urachum in 2. vel 3. dies circiter nato infante a vesica ultra digiti longitudinem perviam ibidem advertisse, quem usque ad umbilicum apertum reperit *D.D. Heister. Ephem. Nat. cur. cent.* 4. *obs* 94. *p.*465.) *Corn. Stalpart* van der Wiel *obs. rar.* 52. *Mang. l.c. p.*344. calculum cum urina per ulcus prope inguen emissum; arenulas autem in dolore nephritico intensissimo, circa renis sinistri regionem cum pustulis erumpentes, *in Schol. obs.* 10. *decadis meæ allegatæ primæ* ipse notavi.

Testiculum calculosum vel osseum *D. Reinh. Wagner. Ephem. cit. cent.* 1. *obs.* 20. *p.*93. & subitaneum penis tumorem tympanicum *Melch. Friebe M.C.d.* 1. *a.*2. *p.*161. -- 137. commemorant; illius mentionem feci in *Schol. obs meæ* 6. *dec. cit.* de maximo testiculi tumore inflammatorio, ejusdemque ac scroti supervenientibus ulceribus, hujus vero *in obs.* 5. de ingenti membri virilis tumore tympanitico, seu emphysemate.

Excellentissimus D.D. & P. Med. Primar. Argent. Val. Scheid. Præceptor quondam meus & fidelissimus rerum anatomicarum demonstrator, vesiculæ, cujusdam in nosocomio mortui, felleæ nonnullos diversæ magnitudinis calculos in theatro anatomico ibidem anno 1698. nobis monstravit; quales etiam observarunt Auctores *in Misc. seu Ephem. Nat. cur. d.*1. *a.*1. *p.*134. -- 117. 289. 253. *a.*3. *p.*381. 498. -- 429. *a.*4. 5. *p.*302. *a.*9. 10. *p.*421. *cent.* 3. *obs.*91. *p.*227. *&c. in Bonet. l. c. l.*2. *s.*7. *obs* 127. *p. m.*744. *l.*3. *s.*7. *obs.* 33. *s.*8. *obs* 36. *s.*10. *obs.*24. *s.*13. *obs.*12. *s.*14. *obs.*5. *s.*18. *obs.*4. 8. *s.*20. *obs.*16. *s.*21. *obs.*5. *s.*24. *obs.*2. *p. m.*77. 107. 161. 203. 211. 321. 324. 359. 391. 617. *l.*4. *s.*1. *obs* 31. 40. 57. *s.*10. *obs* 2. *s.*11. *obs.*2. *p. m.*168. 180. 220. 458. 530. *& Mang. addit. ad l.*2. *s.*7. *obs.* 41. 43. *p. m.*801. 803. *l.*3. *s.*7. *obs.*1. *p. m.*84. *l.*4. *s.*1. *obs.*12. *p.*246. *&c. item Rein. Solenand. cons. med.* 16. *s.*8. *p. m.*493. *D. Valent. de polychrest. exot. disp.* 3. *c.*4. §. 1. *p. m* 42. *Balth. Tim. a Guldenklee cas. med.* 28. *l.*3. *p. m.*145. *&c.* & in ductu cystico

cystico *D. Frid. Ruysch. in obs. Anat. chirurg. Mang. l. c. l. 3. s. 21. obs.* 38. *p. m.* 490. quorum omnium concretionem bili lapidescenti adscribit *c. Blegny. in Zod. Med. gall. a.* 3. *p.* 29. *Mang. l. c. s.* 10. *obs.* 1. *p.* 165. *D. Marc. Gerbez. in Ephem. Nat. cur. cent.* 1. *obs.* 57. *p.* 128. *&c.* eosque apoplexiæ auctores accusat *D. Gothofred. Heid. Eph. cur. cent.* 4. *obs.* 69. *p.* 380. *&c.*

De calculo ex muco cum urina excreto extemporaneo *vid. Joh. Henr. Brechtfeld Act. Haffn. vol.* 3. *n.* 70. aliisque de calculis notatu dignissimis *hinc inde in M. C. A. E. L. &c.*

Calculi occasione recordor informatoris cujusdam Argentoratensis, ad linguam balbutientem corrigendam lapillum latiusculum supra linguam ponentis, (non vero ad Demosthenis imitationem exiguos lapillos infra linguam collocantis,) eumque sub linguæ motu inopinato deglutientis; hinc anxius proximum adit tonsorem, qui lapidem a superiori ad mediam œsophagi protrusit partem, postero vero die, vomitorio frustra propinato, ab alio chirurgo, Gallo admodum experto, me aliisque præsentibus, per instrumentum, œsophagum dilatans, lapis ad ventriculi cavitatem fuit promotus, & post octiduum per alvum eliminatus; cum die ante secretionem patiens ingentem, uti mihi narravit, circa coli valvulam perpessus fuerat dolorem.

Alias de osse, gutturi 14. dies inhærente, tandem feliciter extracto, *vid. D. Garliep. l. c. a.* 2. *p.* 79. & de annulo aureo ab unius anni infante deglutito, septem fere hebdomadum spatio in viscеribus commorante *Id ib. d.* 2. *a.* 10, *p.* 22. it. de nummo deglutito, & post 2. menses vomitu rejecto, *D. Lanzon. ib. d.* 2. *a.* 9. *p.* 81.

OBSERVATIO LIV.

Dn. D. Joannis Matthiæ Müllеri.

De mensium fluxu in puella 7. annorum.

IN civis hujus loci filiola, septimum nondum prætergressa annum, initio mensis anni præcedentis Decembris mater per biduum vel triduum ex induso tibialibusque sanguine macula-

tis purgationem sexui sequiori alias plurium annorum consuetam sat copiosam cum consternatione animadvertit; qui fluxus calendis hujus anni Januarii copiosius rediit, atque iterum in tertium usque diem duravit, ita ut puella pudibunda linteis aqua calida madefactis clam matre pudoris sinum atque femora sed frustra abstergere conaretur, circa diem illius mensis 24. tum cum sociis pueris atque puellis ludens, ac hyberno tempore traha vecta subito correpta fuit convulsionibus, post paucos tamen horas remittentibus, atque tertio abhinc die fluxus talis menstruus iterum, sed parce admodum, animadversus secundo cessavit die; a quo jam per septem libera permansit menses, sanaque hactenus vixit. Matri ab anno 12. lunare istud tributum ad 40simum, excepto graviditatis lactationisque tempore, fuit solvendum, jam autem per quadriennium catameniis est destituta.

SCHOLIUM.

MEnsium fluxus notatus est post nativitatem *Jac. Aug. Hunervolff. M. C. d. 2. a. 9. p.* 172. *Garliep. ib. d. 3. ann. 7. 8. p.* 259. *Theod. Kerkring. obs.* 87. *Alard. Herm. Commen. Mang. Bibl. Med. Pr. l.* 11. *p.* 400. *seqq. Bohn. l. c. prog.* 16. *p. m.* 243. ab anno ætatis secundo *Decker. l. c. c.* 12. *p. m.* 252. tertio, *Kerkring. Commen. l. c.* quarto *a Georg. Tob. Diirr M. C. d.* 3. *a.* 7. 8. *p.* 267. *D. Lanz. M. C. cent.* 1. *obs.* 42. *p.* 111. quinto *ab eod. ib. it. D. Georg. Dethard ing. app. ad M. C. cent.* 2. *p.* 186. *Dol. Encyclop. Med. dogm. l.* 5. *c.* 3. *§.* 1. *p. m.* 490. *Hild. obs. cent.* 6. *Mang. l. c. l.* 8. *p.* 710. sexto *Comm. l. c.* septimo, *Lanzon. Decker. l. c.* nono *Joh. Schmied. Mang. l. c. l.* 11. *p.* 401. undecimo *Tim. l. c. l.* 4. *c.* 13. *p. m.* 211. Et fluor albus a nativitate *a Garliep. l. c.* & anno ætatis sexto *Casp. Colichen.* septimo *D. Dethard. l. c. p.* 193. octavo *Joh. Matth. Nesterchen. Mang. l. c. l.* 6. *p.* 513. *&c.* Attamen ubi natura tam præpropere & mature agere & quasi anticipare videtur, multum futuræ valetudini roborique decedere, vel ipso hoc indicio necesse est. *Kerkring. l. c.*

Observationes prægnantis infantis in utero *vid Christ. Franc. Paullin. M. C. d.* 2. *a.* 4. *p.* 198. & puellæ novennis *Harder it. d.* 3.

a.2. p.262. item puellæ cujusdam a 3. ætatis anno ad matrimonium, atque in eodem ſtupendæ & deteſtandæ ſalacitatis hæreditariæ a parentibus nimis ſalacibus. *D. Sieg. Schmiedler. Eph. Nat. Cur. cent.4. obſ. 56. p. 354.* & alius puellæ a nativitate minus verecunde ſeſe moventis ex ſingulari matris imaginatione. *Dan. Ludov. obſ. operib. annex. 21. p. m. 643.*

De menſibus ſerotinis ſeu mulierum in ſenio conſtitutarum evolv. *Tim. l.c. conſ. 54. p.m. 212. Solenand. l. c. conſ. 15. p.m. 492. Ehrenfr. Hagend. Joh. Benj. Scharf. Joh. Henr. Hottinger. Lanz. Hoyer. Miſc. Cur. d. 2. a. 6. p. 305. d.3. a.5.6. p.176. a.9.10. p.402. cent.1. obſ.42. p.111. cent.2. obſ.15. p.239. Hild. cent.2. obſ.61. cent.4. obſ.63. Kerkring. Spicil. anat. Commen. Febr. Joël Langel. Sig. Graff. Joh. Petr. Prackel. Mang. l.c. l.11. p.399. ſeqq.* De prægnatione in ſenectute *Donat. Hiſt. Med. mirab. l.4. c.14. p.m 381.*

De menſibus per aliena loca fluentibus, e. gr. per ſudorem expulſis, per talum, genu ulcus, femoris abſceſſum, alvum, umbilicum cum calculis, vulnus dextræ manus, digiti, mammas, vomitum, ductus ſalivales, gingivas, labia, aures, nares, oculos, verticem &c. *vid. Donat. l. c. c. 19. p. m. 409. ſeq. Solenand. l. c. p.m. 488. Dol. Encyclop. Chirurg. rat. p. m. 76. b. & 221. b. Joh. Muys. obſ. in Chir. Barb. Id. Wolff. obſ. Chir. Med. A.E.L. a.1693. p.511. ſq. a.1705. p.287. Harder. Kerkring l.c. Sim. Schulz. Scharff. Barthol. D. Georg. Wolff. Wedel. Ol. Borrich. Commen. Manget. l.c. p.404. ſqq. & l.1. p.12. M.C. d.2. a.5. p.41. a.6. p.54. a.7. p.431. a.8. p.199. a.10. p.374. d.3. a.7.8. p.150. cent.1. obſ.41.48. p.110. 120. cent.4. obſ.1. p.241. ex obſ. Paullin. Carl. Joſeph. Müller. Sam. Ledel. Petr. Romel. Joh. Bened. Gründel. Lanzon. Michael. Albert. &c.*

De animalibus menſtruatis ac ſanguineo virorum menſtruo plurimorum auctorum, ut & de hoc, menſibus ſerotinis, ac per nares aliaque aliena loca fluentibus, proprias hic tasco obſervationes.

OBSERVATIO LV.

Dn. D. Johannis Matthiæ Mülleri.

De mola triplici sanguinea, carnea, & aquosa vesiculari, seu ex hydatidibus conflata.

MEnse anni præcedentis Majo civis hujus loci aliquot mensium uxor animi pathematibus dedita, post venæsectionem superfluamque sanguinis excretionem continuo per quatuor hebdomades laboravit mensium fluxu; hinc vocatus molamque suspicatus, pulverem temperantem nitratum cum hepate anguillæ & mixturam analepticam propinavi; licet post horum medicamentorum assumtionem vomuisset, nixus tamen insequentes non tantum molæ sanguineæ, sed & secundinarum instar carneæ, ut & aqueæ, ex meris vesiculis, aqua limpida repletis, per fibras sibi invicem annexis, constantis, exitum promoverunt. Adstantes interim mulierculæ ex aquæ, in vesiculis istis adhuc calidis contentæ, motitatione vitalitatis quidpiam subesse statuerunt. Ægrota medicamenta licet aversans sine istis paulatim tamen convaluit.

SCHOLIUM.

MOlas cum & sine fœtibus multoties in praxi observavi, sed rarius vesiculares, quales etiam scriptis consignarunt *Ern. Frid. Schelbas M. C. d. 2. a. 1. p. 304. D. Joh. Christ. Gottwald. ib. d. 3. a. 9. 10. p. 288. Franc. Valeriol. l. 1. obs. ult. Donat. l. c. c. 25. p. m. 461. Lud. Mercat. de mulier. affect. l. 3. c. 8. Mang. l. c. p. 441. Frid. Loss. obs. 16. l. 4. Bonet. l. c. l. 3. s. 21. obs. 57. p. m. 467. Joh. Christ. Bautzmann. M. C. d. 2. a. 8. p. 130. Hoffmann. ib. a. 6. p. 329.* de partu mendoso hydatidum, *cent. 4. obs. 11. p. 266.* de hæmorrhagia uteri vesiculari. *D. Valisner. ib. cent. 3. obs. 32. p. 60.* de miro vesicularum partu, ubi *in schol. p. 62. sqq.* de vesicularum istarum essentia doctissime admodum disserit.

Bened. Sylvat. obs. de 150. molis unico partu editis varie figuratis communicavit *cons. & resp. med. cent. 4. Mang. l. c. pag. 426.*

426. & ex *Corn. de Gemm. Cosmocr. l. 7. c.* 1. *Donat. l. c. p. m.* 458. de mola ventosa cum tormenti bellici instar fragore & flamma exurente ex utero exiliente. *Mang. l. c. p.* 443. de mola ex parte ossea. *Ambros. Par. Oper. Chir. l.* 23. *c.* 34. *p. m.* 692. de mola cartilaginibus & tanquam ossibus conspersa 17. annis gestata. *Joh. Jænis. M. C. d.* 1. *a.* 2. *p.* 153. de mola quinquenni prolapsum uterum mentiente. *Remb. Dodon. obs. med. c.* 49. *p. m.* 107. de mola carnea pro utero prolapso habita in vidua per 15. annos gestata. *conf. decad. meæ* 1. *obs.* 7. *p.* 17. de fungosa uteri excrescentia fluori albo superveniente. *Kerkring. Spicileg. anat. Mang. l. c. p.* 439. de fœtu molæ incluso. *D. Ad. Brendei. M. C. cent.* 4. *obs.* 64. *p.* 375. de gemellis in mola comprehensis. Quibus observationem addo propriam *l. c. in schol. obs.* 8. *p.* 20. *D. Joh. Paul. Wurstbain. M. C. d.* 3. *a.* 7. 8. *p.* 402. de mola ex vidua sexagenaria, & de molis virginum. *Hannemann. D. Sylv. Sam. Anborn ab Hartuv. Mang. l. c. p.* 436. De mola animata *ex Matth. de Gradibus Donat. l. c. p. m.* 462. De mola volatili *id. ib. & Barthol. M. C. d.* 1. *a.* 2. *p.* 255. *Paullin. Mang. l. c. l.* 3. *p.* 600. de Massa ex multis vesiculis inflatis contextæ ex viro post dolores colicos per anum excretione. *Solenand. l. c. p. m.* 490. de multis vesiculis aqua plenis ex inguinis abscessu excretis. &c.

De molis insectis similibus, insectisque ex utero exclusis plura huc apponere superfluum esset.

OBSERVATIO LVI.

Dn. D. Johannis Matthiæ Mülleri.

De vulnere vaginæ uteri feliciter curato.

Cum ad fœtus mortui ex utero matris maxime enervatæ extractionem, (quem casum obs. mea citata 8. p. 19. brevibus descripsi) una cum Chirurgo vocarer, illum de uncis, cultello aculeato & aliis instrumentis in ejusmodi occasione necessariis secum ferendis admonui, sicque ad parturientem festinans istam a partus conatibus admodum debilitatam inveni cum vomitibus, passionibus hystericis &c. admodum molestis, maxi-

moque

moque pudendorum tumore; fœtus vero per biduum vel triduum jamdum mortui caput tumidum per uteri orificium parum prominens cum ossibus bregmatis confractis observavi. Hinc summo vitæ periculo statim demonstrato, mixturaque ad suscitandos nixus incassum propinata, anceps quam nullum experiri malui remedium, & primum operam dedi, ut remediis internis & externis lipothymiæ & passionibus hystericis resisteretur: deinde mulierem supinam cum cruribus elevatis jussi in lectum poni, consuluique, ut novacula (quia chirurgus præter opinionem nullo alio instrumento instructus, & tamen periculum in mora erat) capitis cute incisa, de ossibus bregmatis confractis, frontis atque occipitis, quantum possibile fuerit, suspensa manu rescinderetur, cerebrumque cochleari eximeretur, demta sic capitis insigni portione fœtus facilius extrahi potuit: (ad cujus pedis dextri talum vesicula aquæ limpidæ plena ad pugni magnitudinem conspiciebatur, sicuti Doct. Joh. Dan. Dorstenius b. m. Præceptor quondam meus famigeratissimus obs. de fœtu abortivo hydropico M. C. *d.* 2. *a.* 3. *p.* 198. inseruit; *conf. Marc. Aur. Severin. l. de abscess. p.* 266. *Plat. obs. l.* 3. *p.* 748. *Bonet. l. c. l.* 3. *s.* 21. *obs.* 15. 16. *p. m.* 421. *sq.*) Ex chirurgi tamen incuria uteri vagina cum subjecto intestino recto fuit incisa, ita ut excrementa alvina per hanc uteri vaginæ læsionem simul ejicerentur; quod verò malum per balsf. ex oleo N. M. expr. balsf. peruv. g. carann. sarcocoll. sangv. drac. &c. paucis fuit diebus sublatum. Postea puerpera hæc a diris istis symptomatibus sese recollegit, & forsan adhuc in vivis existit.

SCHOLIUM.

EXemplum puellæ cum ano imperforato natæ, cui intestinum in pudendum desit, per quod fæces nunquam non excrevit, quæque vitam ultra annos sex produxit, tradidit *Joh. Bapt. Minad. l.* 5. *de ext. aff. c.* 18. *p.* 27. & aliud de excrementis per genitalia puellæ ejectis, ab erosione vaginæ uteri & intestini recti per urinæ acrimoniam excitata *Schmid.*

Uteri

Uteri cervicis rectique intestini ex partu difficili perforationem feliciter curavit *D. Ruysch. obs. anat. Chir. Mang. l. c. l.* 9. *p.* 1074. 1052. *l.* 5. 597. In inguine etiam quandoque per abscessum alvi fæcibus atque vermibus transitus conceditur, *testante obs. D. Joh. Vict Jægerschmidt. M C. d.* 3. *a.* 2. *p.* 245. qualem abscessum ex mera sibi accersivit pertinacia mense hujus anni Martio civis hujus loci uxor, imminente iliaca laborans passione, quæ præ enematum applicationibus a me ordinatis lubentius per agyrtam intestina, tumorem hernioſum dolorosissime distendentia, vi sibi intrudi concessit, unde postmodum abscessus inguinalis obortus, ex quo flatus, lumbrici & excrementa exivere. *Conf. Salom. Reisel. M. C. d.* 2. *a.* 8. *p.* 118 de prolapsu ab hernia secta perpetuo & fœcum exitu in inguine. *Petr. de Marchett. obs. Chir.* 55. *p. m.* 131. de bubonocele loco bubonis venerei ab imperito barbitonsore secta, prodeuntibus alvi fæcibus brevi temporis spatio sanata. Alias hoc in loco & vicinia plurimi ex vulgo clysmatum usum admodum abhorrent, & sæpe mortem ex horum neglectu sibi ipsis accelerant, sicuti contigit mense anni præcedentis Julio viduæ hujus loci ileo decumbenti, & herniam dissimulanti, oblatumque enema respuenti, quem intempestivum tamen pudorem postea, appropinquante morte, admodum deploravit. *Conf. Ledel. M. C. d.* 2. *a.* 4. *p.* 299. de pudore intempestivo mortis causa, it. *Albrecht. ib. dec.* 3. *a.* 9. 10. *p.* 7. de intempestivo pudore ægris noxio, *ut & obs.* 3 *decadis meæ sæpius allegatæ* 1, *p.* 5. de cura passionis iliacæ cum ischuria renali conjunctæ &c.

OBSERVATIO LVII.

Dn. D. Johannis Matthiæ Mülleri.

De funesta ulceris antiqui consolidatione.

OPifex hujus loci, ulceris, quod quatuor jam annos in pede habuit, valdeque latum erat, pertæsus, modo hujus, modo alius, & tandem etiam anno 1709. meum exposcit consilium; sed diætæ regulas, fonticuli femori inustionem, curamque ali-

quot hebdomadum methodicam præscribenti, patulas minime præbuit aures, sed potius Chirurgi hujus civitatis, alias satis experti, curæ sese subjecit, qui etiam ægroto per ulceris consolidationem ex asse satisfecit; cui facie hilari felicem hanc mihi narranti curationem, respondi: illam, absente fonticulo, tragicum forsan mox excepturam effectum, & licet fidelem meam spreverit admonitionem, eventus tamen prognostici docuit veritatem, apoplecticus enim mense anni 1710. Aprili, medicamentis nullum plane effectum habentibus, subito occubuit.

SCHOLIUM.

SImile fere fatum mense hujus anni Aprili, antegresso tamen 10. dierum morbo, civium hujus loci primarius expertus est *Conf. D. Valent. M. C. d. 2. a. 8. p. 197.* de funesta ulceris antiqui consolidatione. *D. Joh. Georg. Volckam. ib. ann. 5. p. 317.* de ulcerum in cruribus periculosa curatione. *Tim. a Guldenklee cas. med. 31. l. 6. p. m. 295.* de gangræna brachii & sphacelo ex ulcere pedis intempestive occluso. *it. l. 1. cas. 28. p. m. 60.* de cœcitate ex ulcere pedis rheumatici intempestive occluso. *Joh. Jac. Waldschmidt. disp. 23. obs. 4. disp. de dyssent. malign. adj. p. m. 236.* de lyssenteria, ob ulcus pedis curatum, lethali. *D. Lentil. Ercodr. ad. pract. ann. 1709. m. Decembr. p. m. 1273.* de asthmate & tumore pedum œdematoso ab ulceribus pedum diuturnis sanatis &c.

OBSERVATIO LVIII.

Dn. D. Johannis Matthiæ Mülleri.

De morbillis intra unius mensis spatium secunda vice redeuntibus.

CUm per totam hanc æstatem morbilli hoc in loco & vicinia epidemice, sed non adeo maligne grassarentur, nulli fere familiæ parcentes, die 1. Julii & filiolus meus natu minimus, tum sesquianni puerulus adhuc lactens, illis initio statim cum convulsionibus epilepticis, (quibuscum antea sæpius ex dentitione admodum difficili ipsi fuit conflictandum) corripiebatur; postea

ea diarrhæa & tussis totum fere comitabantur morbum, quæ duo symptomata hoc anno alias morbillis admodum fuere familiaria, quibus in principio temperantibus antepileptŏcis, die tertio mixtura seq. ℞. amygd. dulc. exc. ʒß ferm. card. ben. aquileg. ana ʒß. f. c. ▽ fumar. card. ben. ana ʒij. cinam. cydon. ʒß emuls. add. pulv. pannon. r. viperin. cinnab. nat. præpar. ana ʒj. syr. ros. sicc. ʒj. M. cap. sæp. cochl. 1. &c. obviam ivi; unde quarto ad septimum diem maculæ copiose prodeuntes postea sensim evanuerunt. Vix vero sanitati restitutus decimo octavo a primo insultu die iterum admodum ægrotare cœpit, atque eodem ut antea modo morbillis denuo, sicque intra 4. hebdomades secunda vice viribus plane prostratis fuit afflictus. Sublato vero morbo, vires quoque mox recuperavit, atque nunc, Deo benedicente, sanitate fruitur integra.

SCHOLIUM.

IN hisce morbillis epidemicis diarrhæa apud nonnullos infantes fuit dysenteriæ instar cum torminibus cruenta, quod secundum *River. cent. 1. obs. 71. Mich. Estmüller. doctrin. pract. l. 1. c. 15. p. m. 372* lethale signum esse solet, tussis etiam quandoque ferina suffocationem sæpe minitans molestavit; pauciſſimi tamen inde occubuerunt. De morbillis epidemicis cum tussi & diarrhæa, vide etiam *Joh. Franc. M. C. d. 3. a. 3. p. 103.*

Cum variolæ & morbilli non differant, quam secundum magis & minus, *juxta Estmüller. l. c. p. m. 369.* de illis pauca inserere placet, quippe quæ similiter intra breve temporis spacium bis circulum plenarie absolventes, a Diemerbr. notatæ sunt *hist. 65. Mang. l. c. l. 18. p. 766.* de novis post variolas decidentes 14. die in priorum interstitiis prorumpentibus variolis cum pryalismo aliisque pessimis symptomatibus, feliciter tamen curatis.

Morbillos matris in fœtu se exserentes observavit *Lod. l. M. C. d. 2. a. 3. p. 204.* & variolas fœtus in utero. *Id. ib. a. 6 p. 146. it. Valent. Andr. Mœllenbr. ib. d. 1. a. 1. p. 150. — 131. Joh. Georg. Sommer. ib. d. 2. a. 9. p. 54. Joh. Georg. Grübel. ib. p. 178. &c.* puel-

lam cum variolis natam *D. Lanz. M. C. cent. 1. obs. 40. p. 109.* variolas in senio *id ib. d. 2. a. 10. p. 165. D. Lentil. etcodr. med. pr. m. Fabr. p. 168.* Senis morbillis decumbentis indeque evadentis exemplum in pago Elpersheim ann. 1703. cum praxin in physicatu Weiggersheimensi exercerem, observationibus meis addidi. Variolas item, superveniente mensium fluxu, ac convulsiones post morbillorum eruptionem *cum Grubel. l. c. a. 9. p. 183. sq.* non lethales reperi; hosque anno 1709. mens. Febr. in obstetricis hujus civitatis filiolo, illas vero anno 1710. in illustri virgine divina benedictione curavi. Pleuritidis morbillos excipientis *cum Carol. Rayger. M. C. d. 1. a. 4. 5. p. 10.* mentionem feci *in schol. obs. mea 2. p. 4.*

In variolis & morbillis post mortem sæpe interiora viscera illis obsessa, imo ossa quandoque ab iisdem exesa deprehensa sunt, exinde phthises, hydropes, dysenteriæ &c. *a Par. l. c. l. 19. c. 1. 2. p. m. 560. Joh. Fernel. l. 2. c. 12. de abd. rer. caus. Joh. Dan. Horst. obs. anat. 9. Barthol. c. 3. obs. 29. Ballon. Epid. & Ephem. l. 2. p. 207. Greg. Horst. oper. t. 1. p. 140. Rod. a Castr. l. 3. c. 16. Kerkring. obs. anat. 62. &c.* Vermes etiam in pueri morbillis extincti hepate a Joh. Bauhino reperti *Bonet. l. c. l. 4. s. 1. obs. 6. n. 2. sqq. p. m. 234. sq.* De morbillis verminosis *conf. Paullin. M. C. d. 2. a. 5. p. 54* & de variolis in cute verminantibus. *Schmidt. ib. d. 1. a. 8. p. 142. &c.* ac de variolis insititiis tutissimis, quas pauca leviaque tantummodo comitantur symptomata, ex quibus etiam nec faciei deformitas, nec luctuosi quicquam, nec futurum variolarum contagium metuendum. *Eman. Timon. A. E. L. a. 1714. m. Aug. p. 382. sqq.* Hæc variolas tractandi methodus hic locorum magis sane plausibilis est quam illa, quæ æthiopibus consueta esse solet: ægrotos nimirum primo febris fervore in flumen mergendo, secundo die oxygalam, tertio acetarium copiosum e cucumeribus propinando, quarto ceu eruptionis die denuo in flumen mergendo &c. *Ludov. obs. in operibus 32. pag. m. 683. &c.*

(*Günzelsavio Augustam Vind. d. 20. Novembr. Ao. 1715. missa.*)

OBSERVA-

OBSERVATIO LIX.

Dn. D. Christiani de Helvvich.

De Impedita deglutitione cum aliis ſymptomatibus.

VIr muneris dignitate & meritis Illuſtris propemodum ſexagenarius ſanguineo-cholerici temperamenti, a multis annis Catarrhis obnoxius vixerat. Poſtquam vero ſatis longo tempore ſub quovis cœlo iter faciens omnigenas aëris injurias in Polonia pertuliſſet ac ſubinde etiam pro more gentis generoſiſſimum ex ſuperiori Hungaria vinum largiter bibiſſet, intentis meditationibus ſerio vacaſſet, vernali tempore de dolore capitis ac ſcapularum ſatis intenſo, tuſſi multo quam antehac violentiori, motu colli impedito, & omnium maxime de ingraveſcente ciborum ac potus deglutitione, ſermonis difficultate, linguæ in alterutrum latus quaſi contorta, maxima raucedine, uvulæ laxitate ac prolongatione & virium debilitate ac contabeſcentia conqueri coeperat. Maxime omnium eum angebat depravata deglutitio & multi ac glutinoſi phlegmatis rejectio. Nam quando mane duo aut tria cochlearia juſculi calidi ægerrime deglutierat, in faucibus incredibilis quantitas pituitæ viſcidæ albicantis cernebatur, & cum ſcreatu ejiciebatur. Ego 27. Septembr. ad Illuſt. Dn. ægrum vocatus, qua potui diligentia, in cauſas horum ſymptomatum, præcipue vero imminutæ deglutitionis inquiſivi. Pervulgatæ res eſt notitiæ, deglutitionis operi duo ſervire organa, 1. linguam, cujus miniſterio alimenta ad fauces devolvantur & 2. Oeſophagum ratione medii potiſſimum involucri, quod carnoſum ac craſſum ſatis eſt, & judice Williſio in *Pharmacia Rationali* & avtopſia teſte, ſi tunicam hanc a reliquis ſeparaveris, ex duobus compoſitis muſculis mirando artificio contextis conflatur, quorum fibris ſpiralibus, quæ ſe mutuo interſecant ac duas cochleas contrario ſibi ductu occurentes efformant, prout ex Nicol. Stenon. de *Muſculis & glandulis* explicat Celeberr. Caſp. Bartholinus in *ſpecimine Hiſtoriæ Anatomicæ*, cibi commanſi ac ſaliva perfuſi ad ventriculum propellun-

pelluntur. Cum itaque in lingua nec vulnera nec tumores apparerent, cavitas quoque gulæ ab obturamentis, verrucis &c. quod fieri interdum ex Sennerto, Willisio, Marcello Donato, Stalpartio &c. constat, non occuparetur aut oppilaretur, præterea neque vestigium compressionis, a vertebris dorsi laxatis cerneretur; in musculis & quidem œsophagi præcipue causam difficillimæ deglutitionis hærere concludebam. Hos & convulsionem ac paralysin subinde pati, doctissimi viri, Hoffmannus & Lindanus, jam olim notarunt, idque experientia propria prídem mihi innotuerat: Enim vero in nostro ægro paralyticam fibrarum motricium debilitatem potius accusari debere quam convulsionem, obvium erat. Et linguæ in alterutrum latus contortæ affectus paralyticum aliquid sapere nobis videbatur. Tametsi vero canalis ciborum alieno corpore in nostro ægro, ut innuimus, non esset infarctus; dubitare tamen non licet, eum aliquanto fuisse angustiorem, & ad hanc œsophagi angustiam non exiguum contulisse momentum intumescentiam glandularum, sub tunica nervea reconditarum, (quarum primus, quantum memini, mentionem facit Vesalius *de humani Corporis fabrica lib. 5. cap. 3.* apertius vero & clarius deinde descripsit Warthonus Adenograph. cap. 17.) ac crustæ villosæ illi superextensæ, hancque intumescentiam glandularum ac crustæ villosæ seri lenti ac tenacis collectioni imputat Excell. Dn. I. M. Hoffmannus; hinc enim perviam gulæ fistulam angustari, exemplo memorabili edocemur in *Centur.* 2. *Consilior.* expertissimi Practici Benedicti Sylvatici pag. 262. & seq. Nec ab omni culpa absolvere possumus thymum, in quo abundantia humorum excrementitiorum sæpe deprehensa fuit. Celeberrimus Regis Daniæ quondam Archiater, Simon Pauli, in *digress. de febrib. malignis* pag. 31. scribere non veretur: *hanc glandulam tam certo instar spongiæ ab excrementitiis humoribus intumescere, quam ter tria sunt novem.* Idem doctissimus vir arbitratur, thymi tumorem causam esse, cur ægri non sint sonora voce, difficulter cibum potumque deglutiant, imo interdum per foramina nasi in nares excernant &c. manu vero palpari

palpari poteſt, quomodo a tumore thymi œſophagus comprimi & renitente cartilaginoſo arteriæ aſperæ corpore, deglutitio imminui queat. Quinimo vere affirmari poterat, laticem lymphaticum vappeſcentem ac viſcidum glandulas ac vaſa lymphatica tum totius corporis, tum præcipue capitis in hoc ægro inundaſſe ac tonum penitus enervaſſe. Genus quoque nervoſum ac membranoſum ſero magis, quam par erat, irrigari evidens erat. Nec obſcuræ horum malorum cauſæ, quippe jam ab aliquot hinc annis concoctio langvuerat, unde ingens balſamicarum partium in corpore penuria. Multum quoque momenti contulerant crebræ aëris mutationes, ac itinera cœlo vel nimis fervido, ubi ſpirituoſæ ac balſamicæ partes diſſipantur, vel nimis frigido, quo conſtrictis poris transpiratio impeditur, ad ſerum cumulandum ac membranis & nervis imprimendum aptiſſima. Abuſus vini generoſi ac ſulphurei aliique diætæ errores, cruditatum cumulum auxerant, & in hanc cacochymiam ſeroſam ſenem noſtrum præcipitaverant. Cauſis hoc modo erutis, ſcopi ac indicationes latere non poterant: Nimirum (1. ſerum in tota maſſa ſanguinea imminuendum, evacuandum & a cerebro & faucibus avertendum. (2. Quod altius ſe inſinuavit glandulis & nervis, diſcutiendum & nervos cum glandulis roborandos. (3. Proventum ulteriorem pituitæ eſſe præcavendum. Cum vero macies & totius corporis imbecillitas non permitteret, ut purgantibus ac ſudoriferis, cauteriis, picationibus, veſicatoriis, fonticulis, ſerum copioſum vel ex corpore exterminaremus, vel a partibus affectis derivaremus, ſolis pilulis balſamicis D. Stahlii & de ſuccino Cratonis cum extracto Cacarillæ locum relictum eſſe cernebamus. Deinde diæta provide ordinata, præmiſſis attenuantibus & incidentibus, caute uſi ſumus internis detergentibus & partes affectas roborantibus, decoctis variis ex radice Chinæ & Saſſaparill. modico Saſſafr. Guajac. Betonica, ſtœchade, ſalvia, origano &c. ut & liqu. C. C. ſuccin. & ſale vol. oleoſo D. Sylv. Gargariſm. ex ligno S. radice pyrethri, Caryophyll. fol. ſalv. R. orismarin Majoran. fl. beton. Roſar. ſalv. Cubeb. Maſtiche &c. decoctis & cum melle

anchosato edulcoratis: externe sacculis siccis, deinceps linimento ex Unguent. Nervino, Martiato, Balsam. Paraytic. Mynt Oleo Nucist expresso, lumbricorum pinguedine castorei cucuphis, balsamis, frictionibus. His aliisque remediis effectum est, ut dolor capitis & scapularum non adeo affligeret, tanta viscidæ materiæ copia in faucibus non conspiceretur, liquida præprimis, non calida, facilius etiam cum solidis minutim incisis deglutirentur, phlegma in tanta quantitate non ejiceretur. Imo & raucedo cessaverat majori ex parte, sed recruduit, postquam humidi sacculi nervini in vino decocti & calide collo circumpositi usque ad refrigerationem incaute gestati fuissent. Nihilominus cum remaneret insignis deglutiendi difficultas, corporis macies, uvulæ laxitas, quam nulla etiam efficacissima remedia chirurgica corrigere non poterant, nobisque ab Hippocrate monitis verendum esset, ne effœtæ languidi senis nostri vires superandis hisce malis, quæ tantopere senectuti infesta sunt, impares essent, aliorum Celebriorum Medicorum consilium & auxilium imploratum. Miro consensu Cæsarei Archiatri, viri omni laude nostra majores, Fackh, Garelli, Rossinger & magnæ famæ, ac experientiæ Medicus Pragensis Dominus J. F. de Löw meum consilium, quod ab ægro ad illos transmissum & omnia, quæ hactenus egeram, tributis mihi invidendis elogiis approbarunt. Medici Cæsarei nuchæ fonticulum lege artis inurendum censebant; nulla vero ratione æger noster, vix ossibus hærens, persuaderi poterat, ut hoc Chirurgicum auxilium admitteret. Iidem pilulas de succino Cratonis cum extracto Marocostino & Sale volatili succini maritatas enixe commendabant. Præter decocta iis, quæ a nobis erant præscripta quam simillima & Mixturam ex liq. C. C. part. 2. & sale volatili oleoso part. 1. balsamicas pilulas laudabant his verbis: *ante decubitum commendamus pilulas balsamicas, genus nervosum & fibrillas relaxatas iterum resocillantes, & earum tonum confortantes, aliisq; pertimescenda symptomata avertentes, ex sequentibus speciebus compositas nimirum: extracti pœon. ℈ij. Castorei ℈j. gumm. ammoniaco ʒj. pulv. Hannover. March. epilept. ana ʒß. Sal. vol. succ. ℈j.*

Opo-

Opobalſamo vero, q. ſ. pilulæ mediocris magnitudinis in aurandæ, de quibus. 5. nocturno tempore veniunt ſumendæ. Gargarismatibus addi volebant ſpirit. vini Camphor. & modicum ſpirit. ⊖ ammoniaci. Excellentiſſimus Dn. de Löw cernens actum eſſe de ægro noſtro, duplex analepticum remedium, quod ſibi in diuturna praxi & deſperabundis propemodum caſibus non raro ſalubre fuerit, & ſpem dubiam ſublevarit, benevole communicabat. ℞. Raſur. Ebor. ʒvj. C. C. ʒiß. Ungul. Alc. ℈ij. Viper. Venetæ minutim inciſæ N. 1. Granor. Kermes N. X. Indantur ollæ mundæ, deſuper fundantur ▽ fontanæ ℔ij. f. l. a. gelatin: cui Confectionis Alkermes incompletæ ʒj. addi volebat. Et hoc erat primum. Alterum ita habet. ℞. Galli veter. exenterati & mundati una cum oſſib. & carne conciſi & cont. Pulmon. vituli conciſ. N. 1. carnis vitul. macr. contuſ. & conciſ. ℔ß. Raſ. C. C. ʒij. ebor. ʒj. Ungul. Alc. ℈ij. rad. chin. ſelect. ʒß. Saſſaparill. ʒiij. Mac. ʒj. Croc. ℈ß. gr. v. Herb. Veron. Epatic. Nob. agrimon. pulmon. Chærefol. ana Mij. Meliſſ. ℞. borrag. Bugloſſ. bellid. min. ana Mj. Radic. Cichor. ſylv. ʒß. Pom. de Chin. cum Cortice flav. N. 11. ▽ flor. tiliæ borragin. ana ℔ß. indantur hæc omnia lagenæ ſtanneæ bene obturat. & coq. in B.M. per 5. vel 6. horas expr. & ad locum frigidum, ut congeletur, repone. Clariſſ. Medicus Viennenſis D.D. Lombardus præfatus non ſine laude nominis mei glandulas gutturis & œſophagi tantum humoris excipere in noſtro, ut illum continere nequeant, easque ex ſtagnatione intumeſcere, & vicinas opprimere partes, fibras motrices muſculorũ deglutitioni inſervientium ex continuo illo impuræ lymphæ ſtillicidio ita flaccidas eſſe, ut nec erigi nec tendi pro deglutitione valeant, ac veluti paralyſi affectas motu tonico deſtitui; præcipue vero uvulam nimis laxatam impedire deglutitionem: tandem ita pergit: *Profecto ſi poſt tot optima remedia poſſet unquam pertinax & grave hoc malum curari, id fieri deberet, ni fallor, per diaphoretica, ut ſcilicet peccans lympha non amplius internam oris provinciam invaderet, ſed in peripheriam corporis per ſudorem verteretur. Verum cum patiens ſit adeo viribus & carnibus extenuatus, quæ ſudorem cient, val-*

de suspecta sunt. Itaque alia tentanda credit & decoctum baccarum juniperi, quibus maximam vires reficiendi ac serosam colluviem in vias urinarias revocandi vim tribuit, summopere extollit illisque jungi cupit lignum Sassafr. & folia Rorismarini. Inter externa laudabat sternutatoria, præterea quoque auctor erat, ut pararetur Tinct. Castor. c. spirit. Cerasor. & ea per gossypium omnes internæ oris partes colluerentur, ita tamen ut ante collutionem ore fumus Mastichis & foliorum Rorismarini exciperetur. Inclytæ famæ Medicus, Dn. D. Suttner Viennensis Practicus, spiritum ♀ri compositum & pulver. ex specif. ceph. D. M. & sale vol. succini proficuum fore ægro, per amicum interpretem declaraverat. A setaceo magnam quoque sibi pollicebatur opem eruditione & varia experientia Nobilissimus Lignicensium Medicus D. Thebesius, cui quoque remedia ex castoreo & succino parata arridebant. Insignis aliquis Medicus Parisiensis per amicos ægri consultus, ægri morbum arbitrabatur esse Coqueluche nomen, quod apud Riverium *in observ. Morb. infrequent. Anonymi N.* 5. imponitur epidemico catarrhali malo, ab Helvetio autem eo nomine denotatur tussis violentior, noctu diuque corpus concutiens. Le Dictionaire de l' Academie Françoise p. 246. ita describit: *Espece de Maladie populaire, qui est une espece de Rhumatisme, qui attaque la teste & les espaules*, adduntque auctores nomen morbi sub regno Ludovici XII. primum innotuisse. Cæteroquin affirmabat Parisiensis Æsculapius, ægrotantem reperturum efficax remedium in Syrupo du vin battu, cujus descriptionem his verbis communicabat. Syrup du vin se fait avec une, pinte du bon vin de Bourgogne, une livre de sucre Royal, de la Canelle, du cloud de gerofle & la Muscade, de chacun un gros: le tout en poudre, qu' on fera bouillir jusque a ce qu' i soit reduit en consistence de Syrup. Hujus Syrupi Cochlear unum in vitro aquæ calidæ dissolvendum & aquam cbibendam esse dictitabat. Adhibebantur aliqua ex hisce remediis ægro commendatis pro circumstantiarum ratione parumper, ut res exigebat, mutata; sed nullo penitus effectu Ægri valetudo

ſtudo indies in pejus ruebat, ac deglutitio ſingulis quaſi horis impeditior reddebatur, majorque relaxatio uvulæ obſervabatur. Cum quam maxime perplexi hæreremus, in mentem venit, adhuc experiri notam mihi jam aliunde virtutem *Gargariſm. de tormentilla D. Mynſichti*; cum per triduum non ſegniter adhibuiſſemus, uvulam roborari ac conſtrictione exaltari cibisque liberiorem patere ad ventriculum viam conſpeximus. Enim vero gaudium hoc minus fuit diuturnum. Nam accedente febri & convulſionibus, exhauſtis omnibus viribus die 11. Januar. cum mœrore omnium bonorum extinctus eſt vir longiori vita digniſſimus.

OBSERVATIO LX.

Dn. D. Chriſtiani de Helwich:

De

Miſtu cruento & tuſſi violenta ex intertrigine nimis cito ſanata.

TUm humores ſeroſi ichoreſcentes, tum forte etiam acrior urina, ſymbolam quoque attritione per motum conferente, cutim teneræ puellæ ſex circiter annorum circa muſculos femorales interiores eroſerant. Mater non cunctata excoriatam partem aqua Roſarum, niſi fallor, abluit, linteolisque recentibus locum affectum munit, poſtero etiam die pulvere tutiæ conſpergit. Sine difficultate tenella iterum cutis cuticulæ tegumento veſtitur. Enim vero elapſis paucis diebus puella ſive ulla evidenti cauſa repente ſanguinem mingere cœpit, manifeſtiſſimo indicio, acrius ſerum, cui exitus quodammodo patuerat in parte excoriata, exilia renum vaſa, quæ forte etiam in tenerrima Virgine, debilem, laxam & tenuem conſtitutionem naturalem ſortita fuerant, exediſſe ac ſanguinis exitum provocaſſe; urinam quoque cum recrementis aliis per renum tubulos transeuntem acrimonia ſua vaſis ſanguiferis noxam attuliſſe, haud incredibile videri poteſt. Urina mihi oſtenſa & cui liquidi ſanguinis copia adhuc admixta erat, viſa quoque, in qua coagulatus ſanguis fun-

dum petierat, ita ut serum urinosum cruori supernataret. Huic fluxui admodum, si invalescat, pertinaci, ut aliquoties expertus sum, tempestive occurrendum ratus, cum ventilationem sanguinis in puella tantillæ ætatis nostrates horreant, illico præscripta diæta, & imperata corporis quiete, motu violentiori potissimum prohibito, ad idonea & corrigendis humoribus ac consolidandis vasis apta remedia non omissis diapnoicis ad eliminanda per corporis poros acriora recrementa pristinamque per cutim excretionem revocandam progressus sum. Non fefellit spem meam equisetum, multiplici usu in hoc affectu mihi probatum, cujus decoctum jam olim pro merito & ex vero laudavi in Histor. Morbor. Vratisl. An. 1701. pag. 284. utut hujus loco ipsa herba cum millefolio & ocul. 69. in pulverem comminuta cum Conserva Rosarum & Syrupo dialth. in forma Electuarii nauseabundæ puellæ fuerit exhibita. Conquievit post octo circiter dies ab usu ejus fluxus sanguinis omnis. Tametsi vero nobis probe essemus conscii, quod sanguinis mictus adstringendo a nobis oppressus non esset, metuebamus tamen, ne qua labes in corpusculo ex cohibito seroso effluvio remaneret, & ut correctioni ac evacuationi acrium humorum insisteretur, admonuimus, sed frustra. Effluxu enim sanguinis sedato, ab usu medicamentorum puella feriabatur. Post breve temporis intervallum vehementi adeo cœpit affligi tussi, ut exulcerationem pulmonum formidarent parentes. Ac huic quoque malo obviam ibatur per decoctum ex radice Chinæ, Sassaparill. Herb. Hed. terrestr. hyperic. florib. Virg. aureæ ac Syr. dialth. Fernel.

OBSERVATIO LXI.

Dn. D. Christiani de Helwich.

De

Interceptione vasorum & spasmo fibrillari ex male curata gonorrhœa & febri, ac remoranti hæmorrhoidum fluxu.

INclytus quidam heros temperamenti sanguineo melancholici, a primis adolescentiæ annis vehementioribus corporis motibus

tibus deditus, poſt graviores in Brabantia exceſſus in calidioribus potibus ac aquis, quas vulgo vitæ vocant, aliqua hæmorrhoidum molimina bis terve ſenſerat, & aliquot abhinc menſibus in Germania in febrim tertianam inciderat, quæ Corticis Peruviani abuſu ſine prævia corporis præparatione & evacuatione in herba, ut ajunt, ſuffocata fuit. Et cum poſt febrim haud ita pridem gonorrhæa laboraret, ab eadem ſine purgantibus non optimo, ut opinor, conſilio liberatus ſine notabili corporis moleſtia, vixit. Poſtquam vero per aliquot dies fere ſine omni corporis motu, qui per integrum quoque annum multo fuit remiſſior, quam olim, in aula paterna exegiſſet, iter ante aliquot ſeptimanas ingreſſus non tantum præcordialibus anxietatibus, quibus etiam olim fuit obnoxius, affligi cœpit, ſed & novo ſymptomate tentari ſibi viſus eſt. Nam primo in ſiniſtra thoracis parte dolorem, quem verbis exprimere nequit, quemque cum Galeno innominatum vocare poſſes, percepit, qui diffuſus ad jugulum usque reſpirationis ſuppreſſionem ſeu ſuffocationem minabatur. Deinde ſecundo aliquid fieri ſenſit in cerebro, unde tacitum ſibi omnium virium ac ſenſuum deliquium, ac periculú caſus in terrã vel repentinæ etiam mortis imiminere poſſet. Acceſſerunt ad cumulum malorum vigiliæ pertinaciſſimæ & initio morbi, obſtructiones quoque alui. Ego omnibus circumſtantiis penitus conſideratis, potiſſimum in impedito ſanguinis motu cauſam horum ſymptomatum latere nullatenus dubitavi, quamvis flatus quoque a concurſu ad producendum hunc effectum non eſſent excludendi. Nam & autopſia me docuit, ſanguinem ex vena in pede extractum viſcidum eſſe, & hæreditaria illa ad malum hypochondriacum diſpoſitio me ulterius in ſententia mea confirmavit: enim vero hypochondriaco malo, quod humoribus glutinoſis ac viſcidis, & hinc ortis in abdomine obſtructionibus ac impeditiori per venam portæ motui incunabula unice ac incrementa debet, tales motuum anomaliæ perquam ſolennes ſunt. Itaque firmiter perſuadebar, quod, cum æger alterum illud ſymptoma in itinere primum experiretur, ſangui-

vis majori quantitate ad caput propulsus copiosa sua mole cavitates vasorum oppleverit, & per sinum non inveniens promptum exitum, in venas jugulares incubuerit, & quietam ad breve tempus seu potius ad aliquot momenta moram ibi fixerit. Quanta enim incommoda oriantur ex ἀπολήψει seu interceptione vasorum, præter experientiam docet Hippocrat. lib. 4 *de Ratione victus acut* & affectus paucis Medicis scriptoribus cognitus, quem in Austria & Stiria *timorem* appellant, cujus mentionem facit Spigelius lib. 2. *de semi-tertiana* cap. 10. & Petrus Salius Diversus *de Affectib. particul.* cap. 2. Alter vero sensus aliunde non oritur, nisi quod, cum sanguis per cor & pulmones in universum corpus propellitur, refluus de circumferentia ad centrum & ab exiguis venis in majores & tandem in venam cavam remeans, ad valvulas offendatur ac parumper ibi hærens, ac ab insequenti protrusus talem excitet sensationem, qualem noster exacte describere nequit. Patiuntur ex mente viri alicujus clarissimi hoc in casu venæ in corpore, quod vitrum angustioris orificii aut in tubulum prælongum excurrens oleo plenum, nam ubi tale vitrum celerrime inverteris, ægre ac guttatim solum oleum stillat. Subitæ aëris mutationes, cœlo jam pluvio, mox sereno, calido mox tempestuoso, symbolam contulerunt, ut sanguis in vasis contentus & instar euripi means remeansque offenderetur. In thorace vero spasticæ illæ contractiones maxime percipiuntur, quia ex diuturna consuetudine pectus adversus subito ingruentes aëris injurias debite munitum non est. Cum talis esset dispositio ægri, curæ initium a venæ sectione in pede celebrata factum est. Quoniam vero febrim & gonorrhœam absque evacuantibus curatam intelligebamus, & simul molimina quædam febrilia incertis horis redeuntia percipiebamus, illico pulveribus salinis ac digestivis lentos viscidosque humores attenuare, materiamque febrilem, siqua restaret in corpore, subigere ac rite præparatam saburram laxantibus ex corpore eliminare conati sumus. Tuti a febri oculos convertimus ad gonorrhœam præpropere suppressam, hujusque consectaria veriti purgantia

gantia repetiimus, ac depurationi humorum invigilavimus, ordinatis decoctis lignorum aliisque ſanguinem purificantibus. Confugit etiam ad ſacram illam in hypochondriaco morbo anchoram, acidulas, inquam, Egrenſes, easque Princeps non ſine ſublevatione per octo circiter dies calefactas, & ſale proprio exaltatas bibit. Remittebant hiſce adhibitis ſymptomata ex parte, ſed denuo natura hæmorrhoidum fluxum, adeo in his morbis ſalutarem, operoſe non ſine magnis in abdomine turbis excitare aggreſſa eſt. Adjuvimus hunc naturæ conatum, appoſitis ad venas hæmorrhoidales hirudinibus ſeu ſanguiſugis, quod decreſcente luna bis terve factum, quinimo ſanguis denuo ex vena in pede aperta eductus eſt, qui floridus quidem apparebat, ſed viſcidus, ac omni ſero deſtitutus & pellicula alba obductus deprehendebatur. Hiſce debita cura in uſum vocatis, hæmorrhoides ſponte fluere cœperunt, non ſive inſigni ſublevatione Celſiſſimi Ducis, & ſpes eſt, fore, ut a ſpaſmo fibrillari in pectore & regurgitatione ſanguinis ad caput in poſterum vivat immunis, aut non tantopere turbetur.

OBSERVATIO LXII.

Dn. D. Chriſtiani de Helwich.

De

Infuſo Cantharidum, egregio in ſuppreſſione urinæ remedio.

SEnex ſeptuagenario propior, poſt vehementiorem in vino generoſiſſimo Hungarico exceſſum & abuſum, calidioris Elixir. ſtomachico-balſamici in doſi enormi vel certe hactenus apud nos non uſitata, in plenam urinæ ſuppreſſionem inciderat, ſive per nimiam ſanguinis effervescentiam & ebullitionem, humores corporis ita commiſti eſſent, unde ſerum urinoſum inde ſeparari non poſſet: (Lowerus certe & Williſius malunt in plethora animia humorum combinatione urinæ ſuppreſſionem deducere, quam cum Riverio ab emulgentium vaſorum magna diſtenſione)

ne:) sive quod pori vel canaliculi renum, cavitatem pelvis spectantes per inflammationem justo angustiores forent redditi, sive quod paralysi hinc data esset occasio. Calculum nullum senex hactenus, ut mihi narratum, excreverat, unde calculi commoti & vias urinarias obstruentis, absentibus etiam cæteris calculi signis, nulla erat suspicio. Tres Medici operose medicamenta interna & externa nauseabundo & stomachabundo seni ac diligenter præscripserant, quibus nulla urinæ gutta fuerat provocata. Exegerat inter maxima tormenta & vigilias perpetuas jam septem dies, & ab omnibus conclamatus æger; ubi consanguineis placuit & meam de tam gravi symptomate ejusque medela audire sententiam. Invitatus, cum nulla inflammationis indicia, quæ primis morbi diebus adfuisse Collegæ referebant, unde etiam venam aperuerant, deprehenderem, quod sequenti die multo clarius mihi ex pulsu & reliquis circumstantiis innotescebat, postquam diligenter ex meo consilio adhibuisset misturam ex vino Rhenano, succo limonum & syrupo Dialth. Fernel. mihi alias in Ischuria ex ingurgitatione ferventioris potus probatum remedium. Cum nulla, inquam, adesset inflammatio, sine ulteriori mora infusum Cantharidum proposui, quod etiam a Dominis Collegis benevole approbatum, turissimo illo, quem Clarissimus Thomas Bartholinus ex communicatione alterius Medici *Centur.* 5. *Histor. Anatom. Histor.* 82. nobis aperuit, modo præparabatur; scilicet scrupulus unus Cantharidum in pulverem redactus tribus unciis vini Rhenani infundebatur, ac postquam per 24. horas saltem in infusione stetisset, per chartam bibulam filtrabatur, ut ex substantia Cantharidum nihil admisceretur. Ex colato liquore Cochlear unum septem aliis vini Rhenani admiscebatur & sic propinabatur cum tanta & in omnium oculos incurrente utilitate, ut tocium suppressum in larga quantitate ab ægro redderetur. Ex manifestissimo vitæ periculo creptus, in aliud propria culpa sibi funestum lapsus est, nempe in tetram melancholiam, quæ tantopere cerebrum ejus conturbavit, ut sanitatis curam imperitissimo Medicastro crederet, sub cujus ineptissima

sima directione post aliquot septimanas, urinæ cursu semper libero, ultimam attigit metam.

(*Vratislavia Augustam Vind. d. 23. Nov. Anno 1715. missa.*)

OBSERVATIO LXIII.

Dn. D. Godofredi Klaunig.

Observata circa Febres malignas petechiales Vratislaviæ Anno 1715. epidemice grassatas.

ILiada post Homerum scriberem, ac crambem jam sæpius cocta vixque ulli palato arridentem apponerem, si Lectorem prolixa atque nauseosa enumeratione symptomatum, quæ malignas Febres utplurimum concomitari solent, ulterius defatigarem. Quot enim prostant medicæ Praxeos scriptores, tot facile invenies atrocissimi hujus morbi historias, earumque vulgaria phænomena, ut itaque de salute nostræ Reipublicæ unice esse videatur, ea modo annotare, quæ non ubivis obvia & rarioribus observatis annumeranda veniunt. Horum nonnulla nobis suppeditavit principium currentis anni febres malignas petechiales epidemice inter nostrates introducentis, cujus ex fertili segete spicilegium facere in animo est. Plurimi epidemica hac strage decumbentes, quorum cura mihi demandata erat, & ante & post decimum quartum diem circa lotium mira experti fuere fata. Vicissitudines certe observare licuit intermittentium febrium typis simillimas, cum ultra 24. horas plenaria Urinæ suppressio, stipata lipothymiis & atrocissima symptomatum syndrome sæviret, hancque exciperet, insciis ægris, copiosissimum urinæ croci instar tingentis ac maxime fœtidæ profluvium cum symptomatum aliquali remissione, supervenientibus tamen omnium membrorum motibus convulsivis in conspectu adstantium perseverantibus, usque dum stato tempore recurreret Ischuriæ paroxysmus. Absque induciis apud non paucos ad 14. usque diem hæc ludebatur comœdia, quæ utplurimum, Deo sint

grates! felicem sortita fuit eventum, postquam illo tempore, quo cum lotio appareret symptomatum remissio, Potionem chinatam vino malvatico paratam aliquoties opposuissem, alexipharmaca antispasmodicis maritata atrociori paroxysmo adjudicans. Etenim omnibus bene perspectis, nullus hæreo statuere, periodicam hanc metamorphosin dependisse a spasmis mox partes corporis internas, intellige vesicam, viscera reliqua & organa, mox externas præsente artuum tremore convulsivo molestantibus: Quid vero his spasmis ansam dederit, ut alternative diebus intercalaribus stataque hora locum mutaverint, determinare nolo, consultius ducens profiteri ignorantiam, quam frivole philosophari.

Exanthemata etiam, quorum apud plurimos numerosa apparuit cohors, Protei instar varias induerunt formas. Quis crederet, naturam uno conatu tot & diversos extrudere hostes? nisi autopsia docuerit, præter maculas petechiales, scorbuticæ indolis pustulas magnitudinis variæ petechiis copiosissime intermixtas, quæ successive suppuratæ pus plorarunt, propulsas fuisse. Evanescentibus petechiis miliaria illa exanthemata, quæ Purpuram albam dixisses, per 20. & plures dies cum lipothymiis, deliriis, æstu intensissimo, Ischuria sæpius recurrente &c. adhuc permansisse, observavi. In primis memorata illa exanthemata, ex quibus pustulæ hinc inde in furunculos satis magnos & molestos, degenerarunt, Religiosis virginibus ad S. Annæ insidias struxerunt, fueruntque contagiose propagata ab una ad alteram, adeo quidem acute, ut ex illis una obiret, reliquæ vero per plures septimanas chirurgi ope ad sananda ulcuscula indigerent. Præterea reticere nolo exoptatissimum auxilium ex venæ sect. præsentibus petechiis. Medicinam feci Juveni plethorico, febri petechiali epidemica laboranti, qui, expulsis jam ante tres dies copiose maculis, hæmorrhagiam narium nullis remediis compescendam ad animi usque deliquium patiebatur. Agonizantem accedens ancipitis aleæ morbum judico, anceps itaque remedium, cum omnia styptica, refrigerantia, sanguinis motum compescentia &c.

irrito

irrito succesſu fuiſſent adhibita, Venæ sect. pedis arripio, perſuaſus, exanthemata a Venæ sect. pedis revulſoria haud citius retrogreſſura, quam a largiſſima narium hæmorrhagia, quæ tamen illorum efflorescentiæ nihil impedimenti attulerat. Nec ſpes me fefellit, vix enim tria cochlearia ex vena pedis aperta effluxerant, cum ſtatim ceſſaret impetuoſa per nares hæmorrhagia, petechiis parum quidem diſparentibus, ſed nihil damni ægro inferentibus. Interim tamen impediri non potuit, quo minus ex aſſueto ſanguinis ad fauces affluxu ſtaſis in lingua gigneretur tanta quidem, quæ inter rariores locum ſibi vendicare poſſit. Nullus ſane linguam ſe videre credidiſſet, niſi aſſignatum ipſi faucium fornicem inhabitaſſet, reliquæ enim proprietates toto cœlo a naturalibus diſtabant. Non amplius floride rubra, ſed obſcure cærulea, nec humida, ſed inſtar pumicis exſiccata erat, & uti farcimen rotunda in tantam excreverat molem, ut fauces eam non caperent, ac æger miſerrimus aperto ore jacens, uſu linguæ penitus fruſtraretur. In hoc diſcrimine conſtituto venas raninas ſecari juſſi, ex quibus maxime turgeſcentibus multum congrumati ac nigricantis ſanguinis protrudebatur, quo excreto linguæ motus, color humidumque naturale & ſucceſſive toti corpori ſanitas redibat integerrima.

OBSERVATIO LXIV.

Dn. D. Godofredi Klaunig.

De Fonte medicato Werſingavenſi.

Silesia noſtra in producendis naturæ gazis, quas inprimis D. Caſp. Schwenckfeld olim detexit, nulli Provinciæ cedens, unice Thermarum atque acidularum defectu hactenus laboraſſe videbatur. Si enim Jaurovienſis Ducatus Thermas Hirſchbergenſes, multis palmam præripientes, & Ducatus Suidnicenſis aciduias Altwaſſerienſes bitumine carbonibus foſſilibus proprio refertas, exciperes, vix veſtigium aquarum medicatarum præteritis ſeculis innotuiſſe fatendum eſt. Interfuit itaque Incolarum,

quibus ad ſuſcipiendum iter longius res anguſta domi obſtitit, in plures inquirere ſalutiferas Patriæ ſcaturigines, ut burſæ & ſanitati conſuleretur ex voto. Harum alias invenire contigit in Lignicenſi ſuburbio, natales Nobiliſſ. Lignicii Phyſico D. D. Hoberg debentes, ac externo uſui dicatas, alias vero in Olſnenſis Ducatus pago Skarſchine dicto, produxit ſedulus Maſslenſium naturalium ſcrutator D. Mag. Herrmann, quarum virtutes inquirere meum non eſt, cum nonnullis hoc negotium jam demandatum ſciam. Sufficiat hic indicaſſe Skarſchinenſem fontem Generoſiſſimo antiquiſſima Proſapia ſato, Domino Erneſto Friderico de Mutſchelnitz, prælaudati Ducatus Seniori, per tranſennam ibidem iter facienti occaſionem præbuiſſe, ut fontem, quem Atavorum ſuorum Terra Werſingavenſis gignit, & cujus laudes jam olim antiquitas celebravit, ab interitu vindicaret, cum obſervaſſet recentem Skarſchinenſium aquarum famam non attingere ſui fontis effluvia, e longinquo longe fortius ſulphur ſpirantia. Quapropter Vratislavia Werſingavam in confiniis Ducatus Olſnenſis, qua Wolavienſem reſpicit, ſitam Collegas Honoratiſſimos D. D. Michaëlem Pauli, D. D. Chriſtianum de Helwich & me vocavit, ut cum vicino Wintzigenſium Phyſico, D.D. Georgio Adamo Logan, examini conjunctim ſubmitteremus prælaudatum fontem, temporum injuria obſoletum atque neglectum, odore tamen, guſtu, viſu, tactu ſingulare quid præſagientem. Supervacaneum duco delicias, quas amœniſſimus loci ſitus promittit, exprimere, etiamſi me minime lateat, ſanitati non parum conducere ſuaves telluris varietates, grato nemorum, collium, vallium, pratorum, tagnorum luſu condecoratas, harumque læta germina inferre animis lætitiam, non minus corporibus profuturam. Perluſtrabatur potius telluris ſuperficies, multo pyrite hinc inde tecta, atque ejus viſcera, quæ fodiendo diverſa quaſi ſtrata ſalientibus aquis perluenda in apricum ſiſtebant. Fontem ad radicem collis ſeptentrionali plagæ expoſitum, cingebat terra Ochræ ſimillima, hanc excipiebat lutum argillaceum cinerei coloris, infra argillam ultra dimidiam ulnam bituminoſum chaos, & profundius adhuc

areno-

arenoſum ſabulum ſe manifeſtavit. Altioris indaginis inprimis bituminoſum ſtratum judicabatur, cum & arundinoſis radicibus, quæ incenſæ ſulphureum fumum dabant, undiquaque compactum, atque odore, colore, ſapore, olibano ſimillimum appareret. Per has vias abundanter proſilit aqua limpidiſſima, odorem ſulphureum longe lateque ſpargens, ſulphureo-nitroſum ſaporem linguæ, tactui pinguem glabramque mollitiem communicans & pellicula albicante, quæ inſtar pulveris cyprii ſupernatat alluendoque lateribus ac lignis adhæret, a communibus fontibus primo aſpectu ſe diſtinguens. Præterea qualitati non ubivis obviæ annumerandum, quod piſcibus mortem inferat, prout de Spadanis annotavit H. ab Heer, vaſa argentea nigerrime tingat, martem rubigine obducat, & gelu in rigidiſſima etiam hyeme reſiſtat. Plura vero latentium virium documenta prodit analyſis chymica; miſcendo enim fontem ſyrupo violarum & Tinctura veneris ſpiritu urinoſo parata color viridis, gallis virideſcens, decocto foliorum quercus, ſolutione Lunæ & cinerum clavellatorum flaveſcens, ſolutione mercurii ſublimati lacteſcens enaſcebatur. Oleum Tartari per deliquium nubis inſtar ſuperficiei fontis innatavit, a ſpiritu ſalis armoniaci fons reddebatur turbidus & vitri parietes bullulis efflorеſcebant, quales etiam produxit effervеſcendo ſpiritus vitrioli mixtura, laminisque cupri inhærebant fonti impoſitis. Longe jucundius ſpectaculum exhibebat Nitri ſpiritus, utpote qui fonti inſtillatus luctam & plures bullulas excitando coagulari videbatur. In deſtillando Excellentiſſimi noſtri Lentilii effatum experti ſumus apodicticum, qui Ephem. Dec. 2. an. 5. obſ. 201. Aquarum mineralium deſtillationes inanibus laboribus adſcribit, cum nihil præter aquam communem & tantillum empyrevmaticum tranſcendat alembicum, relicta in fundo parca calce. Evaporando vero fontis libras duodecim lucrabamur drachmam unam ſalis fuſci ſapore falſo amaricante, vulgo dictum Arcanum duplicatum æmulans, quod carbonibus candentibus injectum liqueſcebat. Spirituoſis maxime ſubtilibus & volatilibus particulis Fontem noſtrum

non carere, odor evincit, qui nares prope ſcaturiginem potenter ferit, penitus autem evaneſcit aliorſum tranſportato fonte, id quod aliis famoſiſſimis acidulis pariter ſolemne eſſe, docet Doctiſſimus Vicarius in Hydrophylacio, & aſſentientem habet AmpliſſimumSebizium, qui tales aquas ſpiritualiter tinctas vocat, quibus ſpiritus tenaces & ſuperficietenus adſperſi, hocque de Grisbaccenſibus in erudito de acidulis tractatu p. 427. prædicat. Senſuum itaque beneficio & paucorum experimentorum, quæ temporis locique ratio ſuppeditabat, ſcrutinio evidenter ſatis apparuit Werſingavenſibus fontibus ineſſe ſpirituóſos halitus vectura ac motu facile avolantes, ſulphur præter volatile etiam fixum bituminoſum, quod ope ignis adeo exaltatur & reſuſcitatur, ut poſtmodum ſulphureo odore Hirſchbergenſibus Thermis æquiparari poſſint, atque ſal muriatico-vitriolicum alcalinis propius accedens. Nec defuit hactenus his principiis adæquatus effectus; legitime enim adminiſtrata potando & balneando cura, vires corroborandi, aperiendi, abſtergendi, incidendi, evacuandi, reſolvendi, humectandi, diluendi experientia notas fecit in morbis ſimilem methodum requirentibus, intellige affectus paralyticos, hypochondriacos, hyſtericos, nephriticos, febres intermittentes, Catarrhos, Colicas, chloroſin, ſcorbutum, ſcabiem, ulcera, tophos &c. Tædioſum foret Catalogum nectere eorum, qui præſente anno, quoFons noſter externe pariter atque interne in uſum fuit vocatus, cum ſanitate in gratiam redierunt, dabitur tamen occaſio D. D. Logan Loci ordinario, hanc ſpartam aliquando in ſe ſuſcipiendi & ſupplendi ea, quæ deſunt meæ obſervationi.

OBSERVATIO LXV.

Dn. D. Godofredi Klaunig.

De Medicamento antifrebili empirico.

MEdicamentorum energiæ non ſemper obſtare ingredientium etiam e diametro ſibi contrariorum Mixturam, docet præter alia ferme innumera per tot ſecula maxime celebrata

brata Andromachi Theriaca. Invenies in ſtupenda ſimplicium farragine, qua hoc antidotum conſtat, aperientia adſtringentibus, dulcibus acida &c. combinata: nihilominus Compoſitum, quod exinde emergit, eundem applauſum promeruit, quem ſuavis Muſicæ harmonia ex diverſiſſimo utplurimum ſono judicioſe producta. Propterea nullus dubito antifebrile in ſcenam proferre, cujus natales non leges Artis, ſed Empiriam ſapiunt, effectus vero febribus intermittentibus quam ſæpiſſime fuit exitio. Conſtat illud ex corticis peruviani ℈iiij. floribus ſalis armoniaci ʒβ Diagrydii ſulphurati gr. xvj. vel hujus loco reſinæ jalappæ gr. viij. hæc mixta & in pulverem redacta dividuntur in duas doſes, quarum una duodecim, & altera duabus horis ante imminentem paroxysmum febrilem cum infuſo herbæ Thée exhibetur, ejusque potus interalari temporis ſpatio largiter bibitur. Teſtem voco R. R. F. F. Miſericordiæ Noſocomium, intra cujus parietes febrium omnis generis intermittentium primus utplurimum paroxyſmus hoc polychreſto empirico quaſi in herba ſuffocare, & hac unica, ut ita loquar, fidelia tres parietes, evacuando ſcilicet corporis pravos ac peccantes humores, viſcidos attenuando atque febri feliciter obicem ponendo, dealbare mihi contigit, iterum iterumque edocto, non ſolum rationi, ſed quandoque etiam ſoli experientiæ locum deberi in Medicina.

OBSERVATIO LXVI.

Dn. D. Godofredi Klaunig.

De novo Medicamento antiarthritico.

ARthritidis tam vagæ, quam fixæ medela inter deſiderata medica antiquitus acquievit, & adhuc acquieſceret, niſi morbi frequentia acuiſſet mortalium ingenia ad opprimendum hoſtem, inprimis lautioris fortunæ filiis maxime infenſum. Vix invenitur tantus numerus armorum atque machinarum, quo belligerantium cohors oppugnanda fortaliția & inimicum exercitum aggreditur, quantus quidem medicamentorum præterlapſo & moder-

moderno seculo fuit excogitatus in perniciem dolorum & tophorum articulos molestantium. Non extra oleas vagandum, aut e longinquo mihi petenda erunt hæc specificorum specimina, cum nostræ Ephemerides de selecto talium apparatu gloriari possint. Quem enim fugiunt Experientiss. Cnœffelii antiarthritica in Ephem. Dec. 1. append. ad an. 6. & 7. recensita, & Celeberr. Testi balsama antipodagrica, quæ Cent. III. & IV. Ephem. Observ. 33. exhibet? Ut Moxam taceam, tot laudibus Dec. 1. an. 6. & 7. mactatam, & balnea medicata Angliæ, quibus Arthritidem fuisse sanatam docent Ephem. Dec. I. an. 2. Plura adhuc prostant remedia interno usui dicata, quorum Præcones agunt Academiæ nostræ Lumina. Provoco ad Lactis Curam, quam præter Clariss. Greiselium Ampliss. noster Dolæus, ut summum antiarthriticum ratione ac experientia suffultum, promeritis encomiis in Furia Podagræ lacte victa & mitigata extollit. Huic accedat saccharum lactis, cujus Guilielmini in Dissertatione de Arthritide Exercitationi de Idearum vitiis &c. annexa & Ephem. Dec. III. an. 9. & 10. mentionem injiciunt, atque Decoctum famosissimum ab Excellentiss. Behrens in Miscellan. Berolinens. p. 128. & Ephem. Cent. I. & II. Observ. 81. communicatum, de quo efficaciam memini tantam, ut huic morbo obnoxii, si effervescente saliva, quod signum imminentem paroxysmum arthriticum indicabat, largiter haurirent, omnem insultum prævenire potuerint. Nec reticendus est Mercurius, quem salivam provocando arthriticis sæpe salutem dedisse confirmant Ephem. Dec. III. an. 5. & 6. Dec. II. an. 9. qualem energiam etiam Cortici Peruviano inesse discimus ex Celeberr. Heldii, Sydenhamium sequuti, Obs. 170. Ephem. Cent. III. & IV. Maneat cuique sua laus, liceat tamen mihi ea in medium proferre, quæ de radice Aristolochiæ rotundæ tanquam excellenti antiarthritico innotuerunt. Jam olim Aristolochiæ rotundæ veræ, ex Helvetiæ montibus nobis allatæ, insignis alexipharmaca, emmenagoga, hydragoga, asthmatica & exterius vulneraria virtus in pretio fuit habita, nullibi autem legi specificam in arthritide vim ipsi

fuisse

fuisse attributam, si unicum Galenum excipiam, qui in lib. de Medic. simpl. verbulo saltem innuit, radicem hanc auxilio esse asthmaticis, singultientibus, comitialibus, *podagricis*, si cum aqua bibatur. Hinc forsan commotus Medicus quidam, Germaniæ decus, ut ex radic. Aristolochiæ, chin. & cichor. concinnaret Decoctum, in articulorum morbis sibi familiare, cujus formulam in Consilio Magnati cuidam misso videre contigit. Verum majori fama ante paucos annos inclaruit vinum adustum in Belgio, modo etiam Lipsiæ venale, quod arthriticis & præservative & curative ad aliquot uncias propinandum maximopere commendatur. Hærebam primum æstuantem hunc potum concedere, usque dum expertus fuerim, arcanum hoc arthritidem feliciter abegisse & ab hac furia per multum temporis præmuniisse. Novi hic nonnullos, qui tamdiu arthritidis torturam, antea per annum aliquoties cruciantem, nesciunt, quamdiu duabus vel tribus vicibus in septimana hoc utuntur vino cremato. Quapropter sollicite in euporisti hujus compositionem inquisivi, & tandem a Pharmacopæo fide digno didici, quod unice constet ex prælaudata Aristolochiæ rotundæ radice, spiritu vini rhenani obiter extracta. Persuasus itaque omnem virtutem, quæ ab hoc Medicamento in Corporis nostri sanitatem attenuando, aperiendo, promovendo motum humorum, eosque quocunque modo corrigendo redundat, deberi radici & inprimis ejus parti resinosæ, cujus uncias duas circiter libra radicis continet, Essentiam exinde præparavi maxime saturatam, quæ concentraret diffusam in vino cremato efficaciam. Nec me fefellit opinio, ea enim in cerevisia vel alio vehiculo ad 50. guttas assumta, eundem, quem prælaudatum vinum, si non majorem præbet effectum, qualem etiam non satis laudandum in quocunque articulorum morbo ab extracto radicis resinoso, in pilularum forma ad XV. Grana dato, me obtinuisse recordor.

(*Vratislavia Augustam Vind. d. 24. Novembr. A. 1715. missa.*)

OBSERVATIO LXVII.

Dn. D. Viti Riedlini.

De Uteri Hydrope & in hoc non juvante Paracenteſi.

PRæfecti cujusdam ruralis Uxor Juvencula, per quævis indicia ſana, (licet Virginem menſium eruptionem non tam expectaſſe, quam medicamentis quibusdam ante tempus acceleraſſe, quidam retulerint,) in conjugio talem ſe geſſit, ut non ſolum, licet menſes nunquam plane emanſerint, ipſamet gravidam ſe crediderit, & maritus harum rerum non prorſus ignarus idem ſtatuerit, ſed & ab Avia, pro peritiſſima obſtetrice & a Principibus habita, talis judicata fuerit; adeo quidem, ut, non ſolum abdomine quotidie increſcente, ſed & interdum fœtus motu quaſi ſe exſerente, tum tempus partus fuerit deſtinatum, hincque non ſemel partum jamjam inſtare, præſente memorata Avia ſtatuente hunc etiam promovere voluerit: Verum enim vero fruſtra ſemper; ſicque per aliquot hebdomadas abdomine non decreſcente, menſibusque ſemper rite fluentibus, tandem, eam non eſſe gravidam, utut difficillime credebatur: Varia hinc medicamenta tum ab avia, more harum fœminarum ſane ſat audaculo ſuppeditata, tum a Medico ſat docto præſcripta fuerunt. At nec tumor imminuebatur, nec cetera melius ſe habebat, hincque tandem & ego conſulebar: malum itaque uti talia ſoleo, martiatis aggrediebar; & his parum proficientibus, Balneum Rötelenſe vicinum concedebam: quod ſic profuiſſe credebant, ut de convaleſcentia vix dubitaverint, tam aſſueti ſcilicet abdominis tumori, ut hujus reſtitantis nec mentionem quidem fecerint: at vix domum redeunti hoc magis intumeſcebat; & præſertim in pubis latere ſiniſtro dolebat: afferebat quidem quoddam levamentum infuſum laxans, quod meo ſuaſu biberat, ſed non imminuebat tumorem, quotidie incrementum ſumentem; quem hydropem Uteri nominandum eſſe, tum ſtatim & ſtatuebam, & de Paracenteſi viribus adhuc integris cogitabam; increbeſcebat vero tum fama, cujusdam Balnea-

Balneatorum miniſtri, qui uti quosvis morbos audacter aggrediebatur, ita ſympatherica & ſuperſtitioſa præcipue remedia commendans, uno alterove forſan juvante, tantum acquirebat nomen, ut quamplurimi tum vicini, tum ex longius diſſitis locis eum acceſſerint; permovit idem & noſtram, ut, cum prius falſo, illam bene ſe habere, mihi reculiſſent, cum vocarint; qui gnaviter quidem tum lixiviis ex cineribus juniperinis præcipue paratis, tum Eſſentia fuliginis rem aggreſſus eſt: aſt tantum abeſt, ut hæc vel minimum profuerint, ut potius poſt bimeſtre exactum me denuo conſulere opus habuerint; ubi & abdomen magis tumidum, & reliquas partes magis conſumtas inveni: ſed appetitu adhuc valebat, & plerasque actiones alacriter perficiebat: primo itaque denuo quidem medicamenta ordinavi; at ſimul paracenteſin, difficile quidem, & de quo certi quid promitti minime poſſet, remedium commendavi: medicamentis ergo fruſtra omnino in uſum ductis, juvencula & vitæ amantiſſima, ipſamet ut illa tentetur, rogavit: præmiſſis itaque præmittendis, & quibusvis neceſſariis in ordinem redactis, cum ſedulo Chirurgo Hekingio ad eandem profectus fui: ubi, quia nunc de dextro præcipue latere quærebatur, ad hanc operationem hoc idoneum judicavimus: utque minores dolores inferret acus ad Sculteti exemplum facta, veſpera antecedente loco infra umbilicum electo, cauſticum in parca admodum quantitate admovere juſſi, quod maculam vix piſum æquantem inuſſit; verum enim vero majores ac aliàs excitavit dolores, hincque vix hora elapſa removendum fuit: ſequenti die, precibus ardentibus præmiſſis, hora matutina octava tribus transverſis digitis ſub umbilico, acu illa in cannula ſic recondita ut illa finita operatione commode extrahi poſſet, hæc inſtituebatur; & quidem ſat feliciter: illico enim aqua glutinoſa viſcida fuſca emanabat, ſic quidem, ut primo tres fere méſuræ partes haud ita difficulter; & elapſo bihorio integra fere méſura ſubductæ fuerint: viribus conſtantibus quidem, at facie inſigni pallore obducta: ſubſtitit apud illam Chirurgus, & tum eodem adhuc die tempore veſpertino, tum ſequenti, altera quidem vice tres, altera quinque

menſuræ partes ſubtraxit: obſervavit, cannulæ interdum aliquid obverti, quod tamen facile ſtilo per illam inducto removit; notavit quoque febriculam, & ego optaſſem, ut major ſeri copia ſubduci potuiſſet, & abdomen magis detumuiſſet: licet enim ſequenti die duæ denuo menſuræ fuerint ſubductæ, quarto tamen ex foramine facto ſic omne ſerum fluere deſiit, ut ægrotæ jam nulla ſpes reliqua fuerit, nec ſane ego quoque quid boni ſperavi; ſic ſcilicet ratiocinatus: quia abdomen præcipue qua latus ſiniſtrum magis tumidum adhuc exiſtat, non in una ſolum, ſed pluribus veſicis ſerum in abdominis cavitate detineri, cumque medicamentis ſubduci minime poſſit, vix tuto vero alia apertio tentetur (quam ſi ſtatim admiſiſſet, tentaſſem,) humana ope convaleſcentiam hic obtineri vix poſſe: Suaſi interea, ut Chirurgus tentet, annon per cannulam in abdomine relictam inducto altius catheterе aliquid ſeri ſubducere poſſit? refert interea maritus, dolere latus dextrum Uxoris, nec quicquam ulterius per vulnus arte inflictum effluere, niſi quod alvum deponere conanti octava fere menſuræ pars ſeceſſerit: uti vero alvo duriori folia ſennæ oppoſui, ita deligato abdominis vulnuſculo dolores ceſſaſſe maritus brevi poſt retulit; aliquanto plus ſeri poſtmodum, cum catheter modo a me præſcripto applicari potuiſſet, ſeceſſiſſe, referebatur: aſta vires ſemper magis deficiebant, quin die ſeptimo animi deliquium ſuccedebat; licetque quotidie fere quarta menſuræ pars & paullo plus per cannulam excretum fuerit, hinc inde tamen in ventre, hinc collo & humeris dolores ſe exſeruere, facile quidem cedentes, at cetera in eodem ſtatu relinquentes, quæ & poſt Clyſterem applicatum minime mutata fuere, ſemper magis defecere vires, & die decimo ſerum adhuc effluens fœtere incœpit, abdomenque magis ac prius unquam intumuit: per biduum hinc nil ulterius per foramen factum excernitur, cannulam etiam fere totam extruſam fuiſſe, obſervat Chirurgus; aliam tamen plumbeam ope ſtilorum intrudit, cujus ope primo flatus, hincque ſeri quinque menſuræ partes denuo ſeceſſere, ſymptomata quoque remiſerunt, molliores etiam dextra hypochondrii pars

pars & Ventriculus exiſtebant; at dura contra ſiniſtra, majusque quam prius abdomen conſpiciebantur: licet vero per tres ſequentes dies, quotidie ſerum ad dimidiam fere menſuram ſubductum fuerit, & decimo quarto die pus quoque ſeceſſerit, semper tamen vires magis defecere; tuſſisque jam inſuper acceſſit, ægrotam multum incommodans: utut autem tum ſponte multum ſeri effluxerit, tum & quædam pars ſubducta fuerit, tum ſymptomatibus dicata nunquam omiſſa fuerint, indies tamen abdominis ſiniſtra pars magis intumuit, tandemque ab inſtituta paracenteſi die vigeſimo primo placida cum morte hanc ærumnoſam vitam commutavit: ubi licet facta cadaveris apertione plura innotuiſſent, hanc tamen amici admittere noluere: tentavit vero ſiniſtri lateris perforationem Chirurgus, nec parum inde ſeri profluxit, ſicque patuit, hoc itidem in peculiari veſica fuiſſe contentum: certum ſiquidem eſt, identidem in hydrope uterino plura ova inflari, & hæc paullatim in inſignem excreſcere magnitudinem, qualia in Cereviſiarii cujusdam uxore olim jam obſervavi, & alibi deſcripſi: interdum vero in uno ſolum folliculo omne ſerum continetur, uti quidem in beata mea Matre (cujus caſum in Lincis medicis dedi) obſervatum fuit; & in hydrope ſaccato, qui omnino huc referendus eſt, alii notarunt: quemadmodum autem in hoc aliquoties viſcera labe vacua fuere reperta, ita haud ita vana ſpes in talibus malis concipitur, paracenteſin juvare poſſe, hincque & ego eandem tentavi: Sicut autem noſter D. Præſes, D. D. Schröckius, fautor devenerandus, in noſtris Ephemeridibus in ſimili fere caſu prudenter eam diſſuaſit: ita, cum certo ſciri nunquam fere poſſit, an in pluribus veſicis contineatur ſerum, & plerumque nimis diu differatur talis cura, tam facile in poſterum in eandem nec ego conſentirem: utut, ſi in tempore adhuc conſulerer, ſi notatis diverſis veſicis & in altero latere apertionem ſe admiſſuram promitteret ægrota, illi nec omnino me opponerem: varia interea notatu digna qua hanc præſertim operationem, hincque uſu ſuo non carentia hæc obſervatio ſuggerit.

OBSERVATIO LXVIII.

Dn. D. Viti Riedlini.

De mictione pultacea diuturna, in dorsi ulcera degenerante.

MAtrona quædam Illustris, triginta nunc & quod excurrit, annorum, teneræ quidem constitutionis, at alacris ingenii, cum vix undecimum ætatis annum egressa fuisset, jam tributum lunare solvere cœpit; verum uti sæpius fit, sequentibus mensibus, sanguine nondum sic abundante, ut porro hoc solvere potuisset, menses denuo subsitere: quod pro morbosa habens obstructione Perillustris ejusdem Mater, multum solicita fuit, ut mensium fluxum restitueret; Varios itaque consuluit, &, prout agnati quidam retulere, menses pellentibus fortioribus scopum suum obtinere tentavit; nec frustra; successit vero simul multæ pituitosæ viscidæ & albæ materiæ cum urina excretio: nonnunquam comitata doloribus, nonnunquam absque his facta; quemadmodum vero & ipsi dolores non adeo acerbi extiterunt, nec diutius institerunt, ita sana cætera, hos tantum non penitus neglexit; quin & venationi sæpius non absque delectatione vacavit. Contigit hinc, ut & conjugium iniret, nec ita diu post concepit: at, sicut nihilominus semper modo descriptam urinam excrevit; ita quo magis abdomen increvit, eo majores inde in dorso & pubis regione persensit dolores; adeo, ut tandem & in lectum inde fuerit prostrata; ubi cum me consuluisset, morbi historiam sic retulit & descripsit, ut calculo vesicæ eam laborare, totus credideriem; nec alia nunc quam lenientia, Oc. caner. Balf. Peruv. scilicet & Sir. Dialth. F. præscripsi, quæ exiguum quidem levamentum attulerunt; sic vero subsequens felix partus quævis delinivit, ut urinæ mucosæ albæ nullam ulterius habuerit rationem: donec secundo gravida dolores iterum haud exiguos in regione pubis præcipue passa fuit, denuo tamen cum partu, & quidem tam felici, ut filiola tum edita hodienum superstit.

perſit, ceſſantes: Adeo vero nunc dolores moleſti extiterant, tam ſæpe quoque urina urferat, nec abſque dolore emitti potuerat, ut ipſamet, utut invita, de calculo cogitare cœperit; unde & die quodam Lithotomum jam vocaverat, ut hic mediante catheſere exploracionem inſtitueret, quod ego aliquoties petieram, cum alio modo quam hoc certior hujus rei fieri minus potuerit: Et pudor tamen & horror a quibuscunque Inſtrumentis chirurgicis eandem detinuere, ne hæc exploratio ſucceſſerit: contigit, ut tertio gravida urinam quidem eandem albam turbatam emiſerit, a doloribus tamen ad partum usque immunis extiterit, hincque denuo de calculo minus cogitavit: in alio deinde loco aliquandiu degens, loci Phyſicum, virum egregium interea nondum quadragenarium haud absque rei medicæ detrimento vivorum numero ſubtractum, conſuluit; qui de hoc caſu dubius Celeberrimum Lentilium propterea per litteras interrogavit; qui re ultro citroque perpenſa, Mictionem pultaceam malum nominavit, & tam diu jam inſtantem hanc non ſiſtendam quidem, at quodammodo inhibendam eſſe, judicavit, remedia etiam idonea ordinavit, quæ & in uſum ducta fuere, eodem tamen cum aliis eventu; ſemper ſcilicet inſtante illa mictione; quam nunc & ego pultaceam nomino, in hac ſententia confirmatus ab Excellenti Medico beato Camerario, qui in peculiari diſſertatione hanc ſic deſcripſit, ut commodius nomen vix imponi poſſe, credam. Sic ſat commode autem vixit, quamdiu aliam, quam talem non mingebat urinam: Subito vero, uti ſancte teſtata eſt, ſponte ſubſtitit hæc ſane copioſiſſima pultis excretio; vel forſan, ipſa inſcia, cum pluribus aures dederit, ſub alio prætextu inhibita fuit; & per integrum quidem trimeſtre absque ullo alio incommodo, ut adeo & ego cum illa gaudere inceperim; utut gaudio vix perfecto, ſemper ſcilicet metuens, ne materia tam diu, minimum per tredecim ſcilicet annos ſic excreta alias quæſiverit & quærat vias: & hoc ſic factum fuiſſe poſtea cum acerbiſſimis doloribus fuit experta, qui latus dextrum præcipue ab Iſchio ad genu usque ſe extendentes ſic tor-

ſerunt,

ferunt, ut nec pedi insistere, nec præ doloribus somnum capere potuerit, & in principio quidem nec tumor nec rubor observabantur, hincque pro doloribus Ischiadicis habui, eo magis in mea opinione confirmatus, quia noveram ab avia summe arthritica progenitam ipsam fuisse: quæcunque vero medicamenta tum interna tum externa adhibebantur, tam parum tamen quævis proderant, ut frustra in usum ducta fuisse apparuerit: quod tum ægrotam tum me permovit, ut in balneis Rötelensibus auxilium quærendi consilium fuerit captum, cum præcipue his olim jam quasi assueverit: quibus aquis, quia levamentum primo afferebant, diligentius corpus immersit, quamdiu hoc notavit; ast, cum tandem & sic dolores minime cessarent, tumorque in regione dextri renis observaretur, de hoc sollicita Geislingam me evocavit; ubi hunc cutim adeo non mutasse, tam durum quoque existere deprehendi, ut dissipandum potius quam aperiendum judicaverim; dum vero & emollientia & dissipantia fuere applicata, tandem pus subesse, constitit; hincque abscessus a duobus Chirurgis Geislingensibus fuit apertus, nec parum puris cocti fudit, cum insigni juvamine, quamdiu pus excernebatur, quamprimum vero hoc ab hac via aberrabat auctis doloribus: rediit tamen domum, & taliter qualiter rei domesticæ denuo præfuit: Verum enim vero, quia nullo modo persuaderi potuit, ut turundas admisisset; & malesanus Chirurgus, qui ei adstabat, & cui multum fidebat, hisce minime opus esse, ipsi persuaserat, tantum ex duobus orificiis quatuor vel quinque digitis transversis a se invicem distantibus, materiæ non evacuabatur, quantum quotidie separabatur, cum præcipue hucusque urinam clarum semper mingeret, hincque secundo adhibitum balneum tantum non conferebat: licetque per hoc siphone quoque injectum constiterit, ductum subtus adesse, quo mediante duo orificia jungantur, turundas tamen nondum admisit, vel millies licet a me rogata; hinc vero dolores semper aucti, & tumorem simul excitantes eam permoverunt, ut & balneum Bollense adierit; quod ut dolores delinivit, ita tumorem sic emollivit, ut

jam

jam plurimum denuo puris per conſuetas ſeceſſerit vias: ſimul vero ibidem inſignem Eſslingenſium Phyſicum Bilgerum offendens, huic paulatim aures dedit, itidem ſcilicet monenti, ut majorem ulceris gereret rationem, utut de convaleſcentia fere deſperarit; perſuaſit tamen, ut celebrem Tubingenſium Chirurgum Simonium in conſilium vocarit; qui tandem eidem perſuaſit, ut turundas, & quidem ex plumbo factas cavas admiſerit; ſicque materia ſemper vias apertas reperiens, paullatim ſic evacuata fuit, ut tumor imminutus fuerit, & dolores ſic ſe remiſerint, ut pedi denuo, (quod per aliquot menſes nequierat,) inſiſtere potuerit: Non absque metu tamen, eundem breviorem factum priſtinæ longitudini nunquam reſtitutum iri: continuavit tamen balneum, quin hoc ipſo Auctumno iteravit, & in primis aquas bibendo ſic ſibi conſuluit, ut domum rediens indies melius incedere potuerit; interdum urina pultacea denuo comparente, & præſertim aliquando menſibus redeuntibus de plenaria convaleſcentia non parvam ſpem conceperit, cum præſertim paullatim denuo incedere ſicut olim cœpiſſet, nec vel minimum claudicaret: cetera quoque ſic valebat, ut ſanis omnino annumerari potuiſſet, niſi ulcera reſtitiſſent, multum puris quotidie fundentia, binis foraminibus inſtructa, altero haud procul a renum regione diſtante, altero vero verſus femina ſe extendente; quæ quidem inter ſe invicem ſubtus communicare, ſiphone per unum injectus liquor per alterum refluens teſtatur, & ego quidem conjungi ſicque demum rite curari poſſe, totus ſperarem; at, dum nec ſufficientem dilatationem turundis dilatatoriis admiſit, multoque minus ad inciſionem perſuaderi potuit, pro fonticulis ſponte ſubortis hæc foramina habens, tamdiu quoque ſic ſat bene ſe habet, quamdiu pus profundunt: repetiit quidem hoc Anno MDCCXV. Balneum Bollenſe, ſicque membra inde fuere roborata, ut & unam alteramve viam pro ejus conſtitutione ſat longam emenſa fuerit, vix tamen mali quid inde notarit, ſed ulcera eadem reſtitere; nuper vero iterum parum admodum putis fundentia ſtatim inferioris ventris dolores

excepere, quos laxantia & balsamica urinam movencia, quæ hic & pus movent, abegere quidem; qualem vero exitum sortiturus sit hic affectus, tempus docebit, nec ego, modo vivam, viresque supersint, tum eundem subticebo. Docet interea hæc observatio, quæ per urinam excernuntur, interdum & in externo corporis habitu, exitum tum quærere, tum invenire. In vias Marcus Aurelius Severinus in tractatu quem de abscondita abscessuum natura, occasione ejuscemodi fere abscessus in Regia quadam Principe, evulgavit, sedulo indagavit; non desunt tamen plura rimanda, quem laborem plus otii me nactis egregiis Viris, quales non desunt, lubens trado: disces vero, quam cautos nos in tractandis ejuscemodi malis gerere debeamus; inprimis autem solliciti, ne intempestive tales excretiones inhibeantur, ægrotis suis bene consulunt.

OBSERVATIO LXIX.

Dn. D. Viti Riedlini.

De Cornuum Cervinorum ramis.

EX ramis Cornuum Cervinorum de ætate horum animalium quosdam judicare voluisse, vel exinde constat, quia Aristoteles jam quosdam, qui hoc statuerunt, refutavit, qui scilicet de his Cornubus sic differit, quod nempe anniculis Cornua nondum nascantur, nisi quod initium quoddam in brevi hirtaque protuberatione observetur, bimis vero Cornua primo simplicia & recta oriantur ad subularum similitudinem, unde & subuli tum temporis nominentur. Trimis bifida exeant, quadrimis trifida, atque deinceps ad hunc modum procedat numerus ad annum sextum usque: qua in re quidem Experientiam illum refutare Ulysses Aldrovandus, qui de Quadrupedibus Bisulcis l. 1. cap. 27. p. m. 319. hæc ex eodem refert, his verbis subjungit: *dum sic rami Cornuum ultra quinque non ascenderent, quos tamen in quibusdam ad viginti & unum excrevisse, notatum fuit:* quæ utut omnino sic se habeant, nec vel ætatis, quæ longe & multos hos ramos

ramos superat, Cervorum gnarus ex his de hac judicare unquam sit ausurus; quomodo tamen rami augeantur, plerique animalium historiæ scriptores tacent; quæ itaque Generosissimus quidam Baro, & ipsemet Venationi multum deditus, & inter Venatores multum degens, de illis retulerit, repetere juvat: Hactenus quidem ipsemet sæpius audivi, (verba fere sunt Baronis) quando ramos Cornuum emittere incipiunt Cervi, quod singulis annis hi rami uno augeantur, at observatum fuit, quod hi rami pro pastus differentia vel multiplicentur, vel & quibusdam annis iidem eodem quo priori anno numero protrudantur; non plures scilicet, si pastus sit parcior, si fruges in minori copia excreverint, & harum notatu dignus defectus se exserat; ubi contra, quando fertilis sit annus, & læte, ubivis, ubi Cervi degunt, excrescat frumentum, tribus quin aliquando quatuor ramis unico anno illorum Cornua aucta fuisse constat. Qua in re licet tam illustri, nec alias multiloquo aut mendaci testi fidem detrahere minime sustineamus: juvat tamen & in hæc ulterius indagare, quod facile, qui inter multos Venatores vivunt, poterunt, ut historia naturalis semper magis perficiatur; quorsum non minimum conferre, persuasus sum, si ejuscemodi relationes identidem communicentur, cum vel eo ipso, ut diligentius & in talia investigemus, instigemur.

OBSERVATIO LXX.

Dn. D. Viti Riedlini.

De Pecorum lue defunctorum carne merito suspecta.

QUamvis, sicut noster Dn. Præses in Ephem. nostrarum Cent. III. & IV. Appendic. optime differit, lue demortuorum Caro pluribus, egenis præcipue, in cibum venerit, nec sinistri quid inde accidisse rescitum fuerit, tutius tamen esse, ab iisdem abstinere, tum ratio suadet, qua ex viscerum observata labe prompte etiam eandem Carnibus communicari, quin & nauseam facile exin oriundam, multum noscere posse, evincitur;

tum Exempla confirmant; quibus ab Ipsomet adductis & sequens addere licebit: Cum Anno hujus Seculi XI. Lignorum in Ulmensis Territorii quadam parte curam gerens, sanus equum morbo contagioso subito vivis sublatum ipsemet tumulasset; & carbunculo inde suborto brevi post vivorum numero subtractus fuisset, Inclutusque Senatus Collegii Medici sententiam de hoc casu desideraſſet, hoc respondit: quod hic Vir vix nunc mortuus fuisset, nisi huic labori ad Excoriatorem spectanti vacasset; caute hinc omnino in tractatione talium cadaverum esse procedendum, nec rusticis concedendum, ut vel ipsimet eadem tumulent, vel & cutim ipsis detrahant, aut ipsimet Carbunculos aperiant, quod quidem sæpius fuisse factum, fama ferat: nec abs re futurum, insuper judicavit Collegium, si rusticis, quorum pecora lue contagiosa sunt infecta, injungeretur, ut sibi de præservantibus quibusdam prospicerent: Si ergo nec tuto quidem tractantur talia cadavera, eo minus tuto in esum cedent: cujus rei postmodum evidens mihi testimonium suggessit Præfectus quidam vicinus, qui vaccam morbi contagiosi non suspectam quidem at subito ægrotantem mactavit, & carnem pauperibus distribuit, quorum tres Carbunculis correpti intra biduum mortui, reliquis incolis non parvum incusserunt metum; quibus plures non succedentes metum quidem sustulerunt: at quam parum tuto talis caro in usum cedat, abunde exinde constat; præstat itaque omnino a tali carne, utut uni alterive innoxia extiterit, omnino abstinere, quam cum periculo eam comedere; Medici sane in tali casu consulti, ejus esum nunquam concedent, nisi noxæ inde metuendæ se reos facere voluerint.

(*Ulma Augustan Vind. d. 27. Novembr. Anno 1715. missa.*)

OBSER-

OBSERVATIO LXXI.
Dn. D. Josephi Lanzoni.
De
Sudore colorato.

ALiquos apud Persas esse, scribit ex Tavernierio illustr. D. Joh. Bapt. Bianchi in hist. hepat. part. 2. cap. 10. pag. 137. qui aliqua viscerum indispositione detenti, verno tempore decoctionem radicis chinæ recentis copiose potant, hinc ad lectum compositi uberrimis sudoribus perfunduntur, atque sudorem flavum emittunt. Ego bis in praxi medica facienda sudores coloratos me vidisse recordor; primo Bajulus erat annorum ætatis 33. laborans maligna febre, cui circa undecimum diem delirium successit, cum motibus tremulis ac convulsivis; exhibito pulvere bezoar occidentalis cum aqua cord. Saxon. theriacal. & scord. compos. in maximum sudorem incidit, qui ad decimam quartam diem usque perseveravit, cessantibus pravis symtomatibus, & accedente salute; notatum autem fuit, sudorem coloratum fuisse, ita ut subucula & sindones virides apparuerint. Secundo Meretrix quædam virulentia venerea affecta, cum nodis & ulceribus, ad decoctum guajaci & sassaparillæ confugit, concitato sudore; hic apparuit odore fœtidus, ac colore ater, ita ut totam pene cutem tinctam observaverimus una cum indusio & linteis; & quod notabile insuper fuit, cum ista linea supellex a sordibus mundanda ad lixivium traderetur, illico tota disrupta, ac in minutas partes discissa fuit, veluti ab aqua forti tacta fuisset. Pariter mihi narravit Chirurgus aliquis noster fide dignissimus, se vidisse olim adolescentem febre ardente correptum non sine mortis periculo, cui undecima die sudores flavi copiosi acciderunt, ita ut ictericus putaretur, & si aliquis ex domesticis eum tangebat, statim is flavo colore tingebatur; qui sudor ad plures dies perduravit, cessato autem eo, pariter cessavit & febris.

OBSERVATIO LXXII.

Dn. D. Josephi Lanzoni.

De

Vermibus in variis corporis partibus observatis.

VErmes in sanguine febri maligna correpti Anno 1702. clarissime observavi, atque meis discipulis ostendi; in ejusdem etiam urina vermiculos rubri coloris, licet exiguos, non semel vidi; qui æger nono morbi die frigido sudore perfusus obiit; ex ejus vero cadavere per nares duos vermes atri coloris vivos exeuntes se vidisse famulus retulit. Post magnum auris dextræ pruritum atque dolorem in quodam plebejo nonnullos vermiculos flavos ab aure exeuntes vidi, quos sequuta est modica sanguinis portio guttatim exstillans. In ulcere auris antiquo vermes exiguos in magna copia obortos fuisse, observavi Anno 1704. mense Junio in quodam pauperculo, duro lienis tumore per plures annos laborante. Puellus novem annorum post variolas ophthalmia dextri oculi contumaci adeo laborabat, ut de visu illius partis dubitaretur; in oculi laborantis angulo tumor apparuit, ex quo suppurato ac aperto, pauco cum pure exivit vermis rubri coloris.

(*Ferraria Augustam Vind. d. 10. Dec. Anno 1715. missa.*)

OBSERVATIO LXXIII.

Dn. D. Andreæ Fackhii.

De Insectis.

UT nullam plantam sine semine, ita nullum animal sine seminio generari posse, Modernorum fundamenta demonstrant, quorum veritatem sequens confirmat casus, quem rusticus quidam, fossis & agris vernali tempore reparandis dicatus, præfigurat, dum sic laboribus nimium calens ac sitiens ex fonte proxi-

mo

mo seminiis & spermatibus insectorum referto avidius haustum sumeret, semen alicujus animalculi, lacertæ scilicet deglutivit, quod successu temporis beneficio fracedinis putredinosæ maturatum, in sui simile animalculum est exclusum, quod parvum adhuc & exiguum paucas adferebat molestias, successive vero ex alimentis copiosius assumptis adeo crevit, & tantum accepit vigorem, ut animal hoc in ventriculi, & intestinorum latebris absconditum unguibus suis, rostro, & cauda adeo vellicaret, & dilaceraret sensiles tunicas, ac membranas, ut sæpius in lipothymiam, cardialgias, nauseam & anxietates præcordiorum delaberetur, excoriationis sensum manifestum adverteret, ac contractiones violentas sentiret; hinc Patiens coactus est, quæcunque obvia devorare alimenta, & omni ferme momento liberaliorem suppeditare alimentationem, ut esurienti æque animali famem compesceret, ejusque motus impetuosos quietaret, quam continuis, & intolerabilibus rosionibus, vellicationibus, & spasmodicis contractionibus aliqualem conciliaret medelam. Ad quam tragœdiam sæpius vocatus, symptomata dicta observando, & animalis ascensum, ac descensum manifestius advertendo, suasi quidem frequentiorem esse concedendam alimentationem, ut eadem importunitas esurientis animalis, & impetus ille violentus compesceretur; sed, ut simul anthelminticis, & appropriatis antidotis sit permixta, ut iisdem miasmata putrilaginosa corrigerentur, excretio, & suffocatio animalis procuraretur, & ad exitum stimularetur, simul & gravioribus symptomatibus quandoque urgentibus prospiceretur; ideoque per inferiora clysteres dulces, & Saccharati multum nutrientes sæpius sunt injecti, per superiora modo laxantia rhabarbarina, aloetica, mercurialia, modo amaricantia putredini resistentia, vermes, & insecta enecantia ex absinth. tanacet. card. bened. centaur. min. gentian. fem. fanton. aloe, myrrhæ, &c. sub varia forma, varia sunt propinata, & in majori copia exhibita, imo mithridatio cum Mercurio dulci sæpius dato, una cum amaricantibus loco vehiculi admixtis animalculum hoc adeo irritatum, & molestatum erat, ut hujus tra-

ctamen-

ſtamenti indeſinenter oblati aliquomodo impatiens, ſubterfugere conaretur, hinc facto impetu per œſophagum & os, gravi cum conamine, & ſuffocationis periculo exitum tentavit, ac peregit, non ſine adſtantium ſtupore, ubi animalculum hoc, lacerta dictum, vivum magnum & robuſtum, capite ſat grandi, quatuor pedibus, longa cauda, ac maculis ſubflavis, cæruleis, ac rubris ſtipatum per cubiculum hinc inde circumvagari conſpicerent, donec tandem fuſtibus cæſum & extinctum fuerit, quod, niſi adſtantes in fluvium projeciſſent, pro raritate, beneficio ſpiritus vini in vaſculo incorruptum conſervare tentaſſem.

Pauperculus vero ab inquilino hoc hoſte quidem liberatus, & ob deliquia, ac languores extremos bonis & gelatinoſis alimentis cum adjunctis mucilaginoſis, traumaticis, & cordialibus refocillatus eſt, ſed hiſce non obſtantibus altero poſt excluſionem die fatis ceſſit, quod equidem non mirandum, ubi exenteratio anatomica, detecta mali ſede, oſtendebat, ventriculi tunicas totaliter eroſas, dilaceratas, & adeo læſas, ut undique ulcuſcula, eroſiones, & gangrænoſæ apparerent inflammationes, ac corruptiones; hinc non ſolum dicta dolorifica irritamenta, & ſpaſmodica ſymptomata cum lipothymiis, cordialgia, vigiliis, nauſea, ſuam ſumpſerunt originem, ſed & fruſtrata inde chyloſi vitali motu ſufflaminato, reliquisque balſamici nectaris particulis, una cum liquore nerveo deficientibus mortifera tandem cataſtrophe ſuccedere debebat.

OBSERVATIO LXXIV.

Dn. D. Andreæ Fackhii.

De Aneurismate.

INter tumorum ſpecies, quæ vaſis ſanguiferis, iisque arteriosis peculiares ſunt, numerantur aneuriſmata, quæ tam ex inepta ſectione, aut alia externa cauſa, & tunicarum arteriarum læſione contingit, ut exinde ſanguis per eosdem tranſudans inter partes muſcu-

muſculoſas, & integumenta ſtagnando tumorem talem, non ſine obſcuro arteriarum pulſu repræſentet, quam ex interna etiam cauſa vas arterioſum ita dilatatur, ut illi tumorem ſacciformem & nimium extenſum pulſatione utplurimum manifeſtum, preſſioni cedentem, & cutis colorem naturali ſimilem elevetur: talem tumorem referebat juvenis quidam viginti aliquot annorum, bilioſo, ac ſeroſo temperamento præditus, vitæ ſedentariæ deditus, quam violentiori quandoque motu, in pilæ luſu emendare conabatur, cum appetitu plerumque excedente, & hinc frequentioribus catarrhis, iisque ſalſis, cum faucium excoriatione, & raucedine affligebatur, ſucceſſu vero temporis moleſtum palpitantis cordis ſenſum advertit, qui incrementum ſucceſſive ſumens, ſub clavicula ſiniſtra in ramo arteriæ aſcendentis manifeſtius advertebatur, ibidemque ſedem fixit; nam ex continuata illa, & ultra annum durante pulſatione, arteria illa in tantam excrevit molem, & adeo extendebatur, ut ſaccum quendam ſat longum, & amplum repræſentaret, qui colorem naturali non multum diſſimilem, ſed pulſatione valde moleſtum diu noctuque durantem, & adeo violentum intulit, ut non ſolum continuæ fere urgerent vigiliæ, vires inde diſſiparentur, appetitus & reliquæ naturales functiones plurimum languerent, ſed & clavicula ſua illa de ſede amoveretur, & in figuram figmoidæam incurvaretur, uti Anatome manifeſtavit, & carioſa ſimul corruptione inquinaretur.

Hujus portentoſi mali rationem, & occaſionem a cauſis antecedentibus depromere perſuadebant catarrhoſa, eaque ſalſa diſcraſia, & violentior in pilæ luſu commotio; nam catarrhus ille ſalſus, & muriaticus longiori tempore durans, æque humectandi & vaſa nimium relaandi potentiam habet, ac ſimul tunicas eorundem, fibrillas, glandulas, ac partes ſolidas excoriandi, lædendi, & in unitate ſolvendi energiam poſſidet: cum itaque diſpoſitio talis infirma & læſa radicatur, ſanguis vero per tales arteriarum tubulos, maxima preſſione & impetu circulare ſoleat, facili marte accidit, ut fibris, & tunica interiore ſuo

modo læsis, & cedentibus in tumorem, qui ex continuato impetu ac pulsatione simile sumpsit incrementum, attolleretur, ea quidem faciliori ratione, dum violentus, & importunus corporis motus in pilæ lusu accessit, quo tunica interior arteriarum jam jam disposita, & relaxata magis dilatari, & in omnem dimensionem extendi potuit, maxime, ubi circulus sanguinis nimium effervescentis adeo impetuosus, & acceleratus erat, ut dictam expansionem, & distensionem facili modo augere, & promovere potuerit: & ubi similes rationes occasionales repetitis vicibus ad excessivum plerumque sudorem sunt reassumptæ, non tam succorum depuratio, & superfluorum discussio, quam volatilium balsamicarum partium, viriumque dissipatio est introducta, hinc massa sanguinea & lymphatica in acrimonia salsa, & acri magis excedens, & in circulo remorata ad talem impulsionem & impetum, tunicarum extensionem, ac similem tumorem producendum majorem accepit dispositionem.

Ad hujus affectus alleviationem, & palliativam curam varia quidem interna, & externa adhibebantur remedia, quibus tonum partium & fibrillarum invigorare, elevationem deprimere, acrimoniam irritantem, & stimulantem demulcere, diluere, & dulcificare, viresque conservare incumbebat, inter illa pulveres variii echelis 69. compos. materia perlata, cerussa Antimon. analeptico frig. Mind. March. Epilept. cephalico Mich. jusculæ alterantia, aperientia, & demulcentia, tincturæ Antimoniales, martiales, coralliorum, Essentiæ traumaticæ, viscerales, & balsamicæ, aliaque innumera eminebant; inter externa vero ligaturæ competentes, compressiones laminæ plumbeæ, liquores styptici, emplastra confortantia, aliaque topica tonum partium roborantia, ac dolores lenientia methodice sunt adhibita, aft sine effectu, malo enim indies crescente, & circulationis impetu deficiente, spiritibusque exhaustis animam Creatori reddidit.

Instituta proinde anatome, arteria illa tunica interiore nimium erosa, & relaxata in tantam dilatationem extensa conspiciebatur, ut spithama longiorem, latum, & amplum repræsentaret

taret ſaccum, ubi clavicula ex continuato illo & violento impetu æque incurvata, ac carioſa corruptione inquinata erat: Etſi enim ſanguis orificio ſuperiori arteriæ, & inferiori adhuc aperto aliqualem circulationis legem obſervare potuerit, dum tamen minori copia, ac impulſus eſt, propelli potuit, ſucceſſivâ collectione adeo adaugebatur, ut ſaccum hunc in omnem dimenſionem extenſum, liquore hoc cruento valde repletum referret, qui ibidem ſtagnando corruptionem, conſueto liquidorum more, ac acorem quendam acutum contraxit, cujus miaſmata per poros tranſpirantia, & oſſibus aliunde inimica communicata, carioſam hanc labem claviculæ impreſſerunt, eo fere modo, quo in ulceribus phagædenicis ichor acris, & corroſivus oſſa exedere, exfoliare, & corrumpere ſolet, cum ea ſit ſuccorum ſtagnantium conditio, ut principia a ſua inde craſi, & harmonia declinantia, ac per fermentationem vitioſam confuſa ſuoque juri reſtituta indolem ſuam perverſam, ſalſam, acrem, aut acidam reaſſumant, quæ dein ſua libertate nociva gaudens expeditam operandi, & lædendi potentiam obtinet, hinc non mirandum, dicta accidentia ſimili operandi vi & energia in actum fuiſſe deducta.

OBSERVATIO LXXV.

Dn. D. Andreæ Fackhii.

De Colica.

EX morbis in obſcuro poſitis, divinus noſter ſenex lib. de art. par. cap. 17, numerat imprimis illos, qui ex hypochondriorum latibulis tanquam equo troiano reſultant, atque ventriculum, inteſtina, meſenterium, eique annexum pancreas infeſtant, inter quos non ultimum occupat locum Colica, imprimis hypochondriaca, & convulſiva, quæ in noſtro climate plurimos, maxime inordinatam obſervantes diætam, acidis, ſalſis, & duris partibus refertam, aut paſſionibus animi obnoxios, aut a morbis chronicis imperfecte curatos, aliisque pravis exceſſivis erroribus deditos, frequentius invadere ſolet, in quibus dolores abdominis mox vagabundi, & irregulares, mox

in uno, vel altero latero fixi, sæpius in medio abdominis hærentes contorsionis, & rosionis sensu adeo molesto repræsentantur, ut nullis auxiliis, sive attemperantibus, & laxativis, sive anodynis & demulcentibus mitigari & leniri possint, sed urgentibus continuo torminibus, ac per intervalla sæpius recurrentibus, alia simul graviora symptomata, utpote sitim inextinguibilem, febriles paroxysmos, anorexiam, vomitus, contumaces alvi constipationes, flatuum detonationes, spasmodicas abdominis constrictiones, convulsiones, aliaque nervosum systema occupantia accidentia inferunt, & producunt.

Unde colligendum, hos dolores non intestinorum cavitates & anfractus, nec nerveas eorum fibrillas humorali quadam & flatulenta saburra affligere, quæ convenienti alias absterstione, incisione, & laxatione facili marte esset abigenda cum symptomatum remissione, verum mensenterii glandulis & plexibus nervosis altius infixam esse causam morbificam, quæ irregularibus suis acribus, acidis, & acutis spiculis indesinenter sensiles illas partes vellicando & irritando spasmodicas, & dolorificas inferre solet crispationes, demonstratur.

Ubi enim per dictos diæteticos errores in sex rebus non naturalibus commissos, aut præcedentes morbos sinistra methodo tractatos, viscerum fermenta enervantur, functionum naturalium operationes hebetantur, filtrationes, ac depurationes succorum impediuntur, ibi cruditates plurimæ, & heterogeneæ partes tam in primis viis stagnantes cumulantur in similem pernitiem lapsuræ, quam successiva communicatione totam inquinant sanguineam massam, ut exinde loco laudabilis, & restaurativi succi, suppeditentur inconvenientes, ac heterogenei, qui priori in primis viis hærenti cacochymiæ comunicati deteriorem augmentant conditionem, poros inde & meatus, vasorumque oscula obstruunt, transfretationes, & depurationes impuritatum præpediunt, majorem, & corrosivam adipiscuntur dyscrasiam, qua succi stagnantes imbuti cum reliquis disproportionatis miras fermentationes, flatuum detonationes, dolorificas inflationes, & quod pejus est, alta

infi-

infixione ſua & inhæſione in partibus membranaceis, fibrillis & plexibus nervoſis meſenterii, iteratas colicas, motus violentos, & ſpasmodicos cum ſenſibili, & acerba moleſtia cauſantur, & procreant, a quorum roſione, ac vellicatione continuata, exceſſivæ ſpirituum inordinationes, & impetus, ſpasmodicæ contractiones, dolorum pertinacitas, & reliquorum ſymptomatum rationes proficiſcuntur.

Hinc affectus iſte valde dolorificus & ſymptomatibus dictis ſtipatus non flocci pendendus videtur, qui contumax & rebellis cauſam difficillime mobilem, ac radicatam agnoſcit, quæ fermenti inſtar corrumpentis omnia ingeſta & digeſta in ſui naturam transmutat, maxime dum annuente Hippoc. Lib. 4. aph. 11. dolores & tormina, quæ medicamentis non cedunt, in tympanitidem, aut Ileum, quem vomitus, & contumax alui conſtipatio jam jam præſagit, convertuntur, vel in pareſim, motus convulſivos & epilepticos metaſtaſes procuratur.

Ideoque cum indicationibus, quæ cauſæ morbificæ alterationem, correctionem & evacuationem requirebant, medicamenta alias adhibita non ſatisfacerent, licet eadem per diluentia, & alterantia juſcula, & ſerum lactis, abſorbentes, dulcificantes, & antiſpasmodicos pulveres, tincturas, & eſſentias appropriatas, demulcentia & anodyna antidota, lenientes & laxantes clyſteres, potiones ſpecificas cum topicis bona methodo adhiberentur; ad aliud itaque remedium recurrendi neceſſitas exigebat, maxime ubi Patientes, uti mihimet ipſi contigit, omnia omnino reſpuerent remedia, illaque vi & conamine aſſumpta ſine effectu per vomitum ejicerent: inter reliqua excellebant Acidulæ Roitſchenſes nobis hic valde familiares, & celebratæ, quæ uti me ipſum ex eadem infirmitate periclitantem, in integrum reſtituerunt, ita & plurimos alios ſua ſacra virtute in vita & ſanitate conſervarunt, quatenus intentionibus cunctis adimplendis ſingularem præſtant operam, ſua enim diluente, aquoſa & ſaponaria virtute materiam peccantem blande emolliunt, & abſtergunt, veteres, & profundas viſcerum obſtructiones penetrant, & reclu-

dunt, ob aquarum vero copiam e latibulis ſuis per omnis generis emunctoria ſuavi operatione evehunt, & eliminant, alcalina ſua & ſalina efficacia acrimoniam ſuccorum, & phlogoſes temperant, humores in tubulis ſtagnantes attenuant, & colliquant, viſcidum, & obſtruentem mucum reſolvunt, martiali autem energia ſalia acida, & pontica, caſtrant, & præcipitant, ut exinde fæces ſecretæ viridiſſimo colore tinctæ cum euphoria eliminarentur, acres & excrementitios liquores mitigant, atque elaſtico ſuo, ac minerali ſpiritu omnes omnino peregrinas qualitates corrigunt, & in naturalem, ac homogeneam transmutant craſin, flatulentias diſcutiunt, & ſpasmodicas relaxant criſpationes, ſimul ſua & elaſticitate relaxatarum, aut quocunque modo læſarum partium tonum in priſtinum & perfectum reſtituunt ſtatum, roborando vero fibrillasque ſuavi popismate titillando ad ſuperfluos, & inutiles ſuccos ex emunctoriis ſecernendos & foras proſcribendos procurant: & hi quidem effectus eo faciliori eventu ſunt obtenti, quo Acidulæ hæ majori cum appetitu ſine reſiſtente nauſea, urgente maxima ſiti, modo in lagenis firmiter clauſis calefactæ, modo frigidæ ad tolerantiam, & neceſſitatis exigentiam fuerunt potatæ, & continuatæ, quibus, dum cauſa morbifica, rebellis, & altius infixa optime alteraretur, & epicratice diminueretur, Patientes ſine recidivæ metu integram, & conſtantem aſſecuti ſunt ſanitatem, quam alia etiam exquiſitiſſima antidota procurare non potuiſſent.

OBSERVATIO LXXVI.

Dn. D. Andreæ Fackhii.

De Hydrope.

PLurimi, & innumeri morborum inſultus humana corpora infeſtare ſolent, quorum aliqua iisdem tanquam delictorum ſuorum vindicibus, juſto DEI judicio, plectuntur, non pauca hæreditario jure, & morboſa parentum diſpoſitione donantur, plurima vero diæta depravatis modis peccante, & occaſionalibus cauſis trucidantur, inter quæ ex ſexcentis aliis unicum

cum ſubjectum, idque ex nobiliſſima Proſapia Hiſpanica oriundum, præfigurare placet, quod a juventute variis miſeriarum humanarum & infirmitatum ſatellitibus ſtipatum, in virili dein ætate formalis, & actualis Aſcitis malo erat moleſtatum, in quo, non obſtantibus ſuo tempore adhibitis prophylacticis, & curativis auxiliis, urgebant difficilis reſpiratiõ, tuſſis ſicca, ſitis intenſa, hypochondriorum tenſio gravativa, anxietates præcordiorum, urinæ craſſæ, crudæ & paucæ, intenſoque colore tinctæ, quibus ſucceſſive pedum & femorum inſignis tumor veſtigia digiti prementis in fovea retinens, moles abdominis grandior cum fluctuationis & diſtenſionis ſenſu, totius corporis laſſitudo, & partium ſuperiorum contabeſcentia accedebant.

Hæc itaque phænomena tumorem aquoſum & aſciticum abdominis, & pedum præfigurantia inſinuant lympham vario modo peccantem, extravaſatam, & hinc inde ſtagnantem, quæ tanquam genuina cacochymiæ cachecticæ progenies, defectuoſam chyli & ſanguificationis functionem, labefactatam circulantium ſuccorum craſim, ac fermentationem volatilium, & activarum partium ſuppreſſam, cruditatum vero variarum exaltationem agnoſcit, & veneratur: dum enim principia factiva ob varias cauſas occaſionales languida, & effæta nullam digeſtionibus, ſecretionibus & diſtributionibus perfectionem conciliant, neceſſario lympha craſſitie, viſcoſitate, aciditate, aut acrimonia peccare incipit, quæ proinde talibus vitioſis qualitatibus contaminata, irregulari, & diſproportionata ſua dyſcraſia circulationis legi refragatur, in motu ſuo impedita & ſtagnans a tergo inſequenti obicem ponit, maxime ſpirituum impetu deſtituta, aut ab aliis obſtaculis obſtructionum latentium retardata, unde vaſa lymphatica ultra ſphæram ſuam extendi neſcia adeo diſtendit, & extendit, ut eadem, aut copia disrumpi, aut acrimonia accedente dilacerari neceſſe ſit, quæ dein liquorem in ſe contentum, qua data porta in cavitatem abdominis exſtillare, & in muſculoſarum partium interſtitia effluere ſinunt, non minus, ubi lympha hæc ſtagnatione vitioſa majorem contrahit acrimoniam, tunc continui unitatem diſſoluere,

vaſa

vasa tenella exedere, excoriare & fores vi sibi paratas reserare, claustra perrumpere, sicque abdomen in tumorem elevare potest, qui pedes pariter occupans eo contumacior est, quo difficilior per vasa lymphatica graviorum ascensus, minor circulantis & impellentis naturæ impetus existit, a cujus vitiosæ lymphæ degeneratione, stagnatione, & confusione reliqua in simili casu accedentia symptomata suam desumere solent progeniem.

Affectus hic juxta magni senis prognosim in Coac. tit. 451. & aphor. 55. sect. 7. non sine ratione gravissimus, & curatu difficilis judicatur, quam quotidiana pariter experientia talem confirmat contumacissimum, maxime, ubi graviora symptomata, sitis, difficilis respiratio, tussis, & viscerum forsan organicæ læsiones adjunguntur, dictante eodem Hippoc. 2. prognost. Si quis hydrope correptus, superstes esse volet, visceribus bonis prædictus sit, oportet, & hinc, etsi patienti huic in dubio hoc statu versanti generosiora, longo etiam tempore, cum bona methodo, adhiberentur auxilia, nunquam tamen desideratum obtinuere effectum: medicamenta enim, quæ juxta indicationes lympham crassam, viscosam, & vappescentem incidere, & præparare, præparatam per competentes vias evacuare, viscera reserare, eorum fermenta invigorare, sicque coctionum perfectionem procurare intendebant, consistebant partim in digestivis salinis, & martialibus, succos viscositate acida peccantes incidentibus, & obstructa emunctoria reserantibus, partim evacuantibus, ut colluvies vitiosorum succorum, qui nullam coctionem admittunt, per epicrasin & varia emunctoria suavi modo eliminentur, quibus præmissis, diuretica varia, in quibus Hippoc. in Coac. omnem, & principalem reconvalescentiæ spem ponit, in usum vocata sunt, ut eorum lixiviali sale, vel aquositate diluente, aut virtute præcipitante serositates per vias urinarias copiosius elutriarentur; tandem vero non erant omissa illa alterantia, & confortantia, juxta modernorum praxim & necessitatem etiam exigentem, quæ frequentius & severius juxta Riverium, Ettmüll. Hoffman. aliosque Practicos, quam ipsa purgantia administrari debent,

bent, ut perfectior, circulantibus ſuccis craſis conciliaretur, volatilis, & balſamica vis invigoraretur, acida, & viſcoſa pernities ulterius peſſundaretur, fermenta, & tonus viſcerum iterum ſtabiliretur.

Cum itaque fruſtraneo labore, longo jam tempore fuerint adhibita dicta auxilia, in Conſilio hac de re convocato, a Medicis Hiſpanis propoſita eſt quæſtio, an non Acidulæ in diſtrictu Wickenſi ſcaturientes in uſum vocari poſſint? experientia enim pura & multiplici ducti aſſeverarunt, plurimis hydrope formali laborantibus fuiſſe ſalutares, ac proficuas. Reſpondebam quidem mihi nec ex libris practicorum, minus propria experientia conſtare, aliquem realiter hydropicum Acidulis quibuscunque fuiſſe reſtitutum, maxime ubi contumacibus obſtructionibus, ſcirhoſitatibus aut alio organico vitio quis eſſet obnoxius. In dubio hoc ſtatu hæſitans tandem conſenſi, juxta Celſi ſententiam melius eſſe anceps, quam nullum experiri remedium, Acidulas ſcilicet propoſitas hac conditione eſſe tentandas, ut a principio in pauca doſi ſumantur, quæ ſi cum levamine aut minori ſaltem moleſtia tranſeant, ulterius aſcendendo juxta tolerantiam eſſe pergendum; & ita practicatum eſt, incipiendo a ℔j. ad ℔ij. cum aliquali euphoria, addendo tamen ʒβ. ſpritus ſalis coagulati pro majori penetratione, hinc ſequentibus diebus mane ad ℔iij. a meridie ad ℔ij. tranſitus & aſcenſus aquarum eſt inſtitutus, adeo fortunatus, ut cum copioſa urina diu noctuque reddita, excrementa etiam ſeroſa, & viſcoſa per ſeceſſum cum euphoria per epicraſin eliminarentur, unde continuatis hiſce ultra menſis ſpatium aquis mineralibus, abdomen totaliter cum pedibus detumuit, functiones naturales cum incremento virium in integrum, & perfectum ſtatum ſunt redactæ, & ita deſiderata ſanitas in hodiernum adhuc diem vigens eſt recuperata, quam dictus Patiens in patria adhuc exiſtens, iisdem aquis ultra annum ante chocolatam ad ℔j. hauſtis conſervare ſatagebat.

Finita itaque Acidularum cura, in reditu adiit nobiliſſimus Dominus thermas in Civitate Caldes dicta ſcaturientes, quæ ſul-

phure ſuo penetrante & embryonato, una cum ſubtilibus mineralium ſalibus reſolvunt quasvis partium ſordes, nervoſo præcipue generi inimicas, easque per ſudorem, qui poſt balneationem, conceſſo ad lectulum decubitu copioſiſſime erumpere ſoler, evacuant, tumores quoſcunque flatulentos, duros, & ſcirrhoſos auſpicato tollunt, ſimul & ſapore ſuo ſubſtyptico reſolutas, ac debilitatas partes firmant, & corroborant, quæ in plurimis aliis morbis atonia, atque reſolutione fibrillarum, paralyſi, contractura, ſtupore partium, doloribus quibuscunque fixis, aut vagis, convulſionibus, fluore abo, ſterilitate, aliisque calamitatibus ſummè proficuæ & ſalutares deprædicantur.

Quamvis Hiſpani medici de conſtitutivis hujus ſaluberrimi fontis nullam hactenus inſtituerint Encheireſim, colligere tamen ex effectu licet, ſal quoddam alcalinum, ſpiritu elaſtico, ac volatili imprægnatum magnæ efficaciæ in eodem vigere, quod ex marcaſita martiali ſulphurea, accedentibus aliis mineralibus, & invicem fermentantibus reſultat, ſpirituque inde elaſtico per fermentationem elevato, nobilitatum maximas virtutes in reſerandis obſtructionibus, dyſcraſia ſuccorum peccantium corrigenda, & ſubtilizanda, per emunctoria competentia evacuanda, tonoque partium flaccidarum roborando poſſidet, ac manifeſtat, ut vox populi earundem Acidularum uſum in morbis plerumque chronicis ſaluberrimum pronuntiet; eſſet itaque ſuadendum, ut & medici, inſtituta prius exacta ingredientium inquiſitione, ulteriorem ſacri hujus fontis inſtituerent medelam, pro chronicis, & inveteratis morbis, qui pharmacevticis quandoque auxiliis minime auſcultant, felicius abigendis, & curandis.

OBSERVATIO LXXVII.

Dn. D. Andreæ Fackhii.

De Calculis.

ORganica Renum ſtructura in ſingulari ſua functione, quæ ſeroſiores maſſæ ſanguineæ & chyloſæ partes, ac cum iisdem

dem ſuperflua, & effæta ſalia, aliasque impuritates evacuare, & per colatoria ſua deſtillare ſolet, diverſimode læditur, & depravatur, dum vel inflammatoria & nephritica obſtructione intumeſcit, vel ſpasmodicis anguſtatur doloribus, vel grumo ſanguinis, purulenta, & phlegmatica materia, aliisque heterogeneis contentis infarcitur, præcipue vero calculoſo, & arenoſo concreto, tanquam morboſo producto, quod tam ſua moleſta diſtenſione, quam dolorifica vellicatione functiones renum interturbat, & totius humani corporis fabricam diruit, moleſtatur, & corrumpitur, cujus tyrannidem omnis omnino ætas, infantilis & puerilis æque, ac magis adulta & ſenilis valde crudelem experitur, viri pariter, ac fæminæ æquali ferme impetu ejusdem ſævitiam perſentiſcunt, imo omnes, & ſingulas humani corporis partes, utpote cerebrum, ductus pituitarios, veſiculam felleam, pulmones, uterum, inteſtina, articulos, linguam, aliaque identidem loca calculoſis concretionibus eſſe obnoxia, exempla ab Authoribus medicis copioſo numero conquiſita, & poſteritati tradita ſat manifeſtant. Majori vero ex parte in renibus & veſica germinare, & adoleſcere ſolent calculoſa hæc, & arenoſa contenta, quatenus ſerum ſanguinis urinoſum copioſis particulis ſalinis arenoſis, & calcariis imbutum, in renibus uberius, quam in reliquis excretoriis tranſcolatur, qui renes, dum vel a nativa diſpoſitione vitium conſtrictioris compagis contraxerint, vel a nimia quantitate materiæ calculoſæ tubuli arteriarum emulgentium, a quibus reſultant ductus renum excretorii, nimium diſtrahuntur, ac ultra ſuam activitatis ſphæram dilatantur, ſerum illud in renum tubulis, canaliculis, pelvi ac veſica facile ſubſiſtit, & accedentibus aliis improportionatis arctius inter ſe conjunctis, in calculoſam materiam forma, & figura differentem præcipitatur, & coaleſcit.

Nephritica hæc, & calculoſa renum affectio, quæ ex dolore acuto, premente, & fixo, qui ex concitatiore impetu, & motibus corporis exaſperatur, femoris ſtupore, teſticulorum e regione etiam affecti lateris ad ſuperiora retractione, ciborum averſione, ingeſtorum rejectione, urina in principio tenui, aquo-

sa, & pauca, mox copiosa, turbida, & arenosa, aliisque pathognomicis ab Hippocr. in Coac. lib. 4. & 6. Epidem. pluribus allegatis sat superque cognoscitur, & a reliquis consimili malitia affligentibus facile distinguitur, genesim suam, & materialem originem desumit a succis acido austeris, viscosis, & terrestribus, qui particulis balsamicis, spirituosis, & oleosis destituti sunt, vitio dissolutionis perfectoriæ genitis, & per urinam sanguinis, aut potus renibus communicatis, qui tanquam fomitem, & rationem causæ suppeditantes renum tubulos obstruunt, & ibidem sedem figunt, hinc urina per aliqualem resolutionis, & putredinis actum ita corrumpitur, ut aliqualis salis urinosi, alcalini scilicet, & acidi invicem prius conjunctorum separatio contingat, qua facta & sale alcalino seorsim existente acidum illud, & austerum suæ nocivæ & coagulanti libertati restitutum se jungit terrestribus, viscosis & calcariis partibus, illasque in unam massam calculosam successive constringit, ubi particulæ crassiores subsidentes & invicem implicatæ sese mediante acido coagulante comprehendunt, & nunc citius, nunc tardius incrementa capiunt, non absimili modo, ac particulæ tartareæ vino etiam clarissimo innatantes ad latera dolii sub specie minimarum molecularum, mox majoribus crustis concrescunt, & in lapideam, tartareamque convertuntur materiam : quod eo facilius in microcosmo nostro contingere potest, quo magis salina & acida spicula oleosis, & alcalinis particulis destituta, ac minus temperata seorsim existunt, quæ uti terrestres, & viscosas moleculas adoriuntur, eosdem quasi totidem claviculis compactas, & successive aliorum affluentium accessione auctas, & arctius irretitas in duros, & compactos, eosque inæquales, & asperos convertunt calculos.

Hoc vero acidum coagulans magis, minusque peccans, hypochondriaci, Scorbutici, Arthritici, aliisque morbis chronicis obnoxii abunde demonstrant, qui acidum hoc manifestum in suo sinu foventes calculosa plerumque tyrannide affliguntur : sicut enim acidum hoc arthriticum synoviam condensans, to-

phos

phos in articulis, & contracturas excitat, in hypochondriacis contumaces viscerum obstructiones & scirrhositates, in scorbuticis membrorum gravitates, cutaneas efflorescentias, stagnationes & grumescentias succorum, paræses fovet, eadem etiam ratione, & coagulandi potentia suo excessivo acido in renibus seorsim existens particulas terrestres, & crassas in calculosam concretionem commutare valet; materialem vero causam, utpote crassas, viscosas, terrestres, & indigestas particulas in hisce miseriis plurimum peccare & excedere, probant illi, qui pravam, & inordinatam vivendi rationem colunt, & inde calculosa plerumque tyrannide plectuntur, dum quævis alimenta, maxime sale, acero, & fumo indurata, duræque digestionis, sine habito selectu ingerunt, ventriculum nimia ciborum mole obruunt, chylificationem multis modis turbant, & chylum crudum, lentum, multisque heterogeneitatibus inquinatũ procreant, qui vel in primis viis stagnans, aut sine discrimine in massam sanguineã infusus, & in laticem purpureum minime conversus & assimilatus, varias parit cruditates, quæ suo tempore in arenulas, ipsosque calculos, labefactato imprimis viarum urinariarum tono, quo minus, vigore & impulsu illarum languescente, materia calculosa expelli potest, abeunt, & convertuntur: eosdem pariter natales suppeditant, & approbant illi, qui vitam sedentariam, & lucubrationes ducunt, motiones nimias, & venerem excessivam amant, aut suppressas fæcum, urinæque ejectiones, ac quævis animi pathemata patiuntur, aliosque naturæ modum excedentes errores, cõmittunt, quæ mala Hippoc. sec. 2. aphor. 4. utpote exitiosa damnare solebat, quæ, similesque causæ raro solæ, & simplices, frequentius sociatæ existunt, & vi unius alteriusve accessione invalescentes capiunt incrementum. Cum itaque morbus hic tam dolorum vehementia molestissimus & ob tubulorum inversionem valde chronicus, quam & periculosissimus videatur, qui frequentius inflammationes renum, & vesicæ exulcerationes, & gangrænas, febres, Ischuriam, mictum cruentum, aliaque sævissima symptomata producit, & arctissimam lapidis magni

compagem repræsentans nullum humana arte admittit dissolvens, & diminuens remedium, hæreditariam lithiasim, maxime in senibus ob virium inopiam, & succorum vitalium penuriam Hippoc. incurabilem pronuntiat, hinc allaborandum, ut nascentes arenulæ & lapides minores maturius ejiciantur, tonus, roburque vasorum urinariorum erigatur, & confortetur, & salutaris procuretur prophylaxis; dum itaque glandulæ & tubuli á commotis & non propulsis arenulis tenduntur, vellicantur, & rodantur in ipso paroxysmo, succurrendum utique anodynis, & emollientibus, acrimoniam temperantibus & antispasmodicis interne, & externe adhibendis, spiritibus inde sedatis, & crispationibus dolorificis sublatis, tristis hic leniatur sensus, viæ antea coarctatæ ad debitam amplitudinem redeant, sicque arenosa concreta sponte sua, aut moderatis diureticis ejiciantur, ex quibus varia a variis Authoribus, eaque infinita proponuntur specifica. Mihi ex omnibus etiam selectissimis sufficerent ad omnes omnino intentiones, exactissime adimplendas aquæ illæ minerales acidulatæ in Hispania Durvel scaturientes, quæ experientia teste, eaque multiplici in & extra paroxysmum mirabiles præstant effectus, quorum producta salutifera in Aulicis aeque nostris illinc transeuntibus, & aquas dictas affatim bibentibus, qui excreta calculosa frustulatim soluta magna cum euphoria & præservatione viderunt, quam etiam incolis ipsis ab omnibus calculorum, & arenularum tormentis penitus privilegiatis, qui pro ordinario suo assumunt potu, abunde observavimus: eluunt quidem sua aquositate canales hos, & ductus renales ab omnibus impuritatibus, & a saburra calculosa mundificant, speciali autem virtute alcalina, & spiritu minerali specifico acidum illud peculiare destruunt, fibrillarum tonum invigorant, & ab ulteriori generatione securissime præservant.

Cum vero sacro hoc fonte in nostris terris destituamur, nec unquam consimilis præstantiæ, & activitatis Acidulas in nostro climate videre contigit, viliori remedio contentus aliud aliunde quidem cognitum, insigni tamen virtute antinephritica nobili-

tatum proponere præsumo, & est decoctum lapidum silicum prius ignitorum, & calcinatorum, in vino, vase optime clauso, & ad consumptionem medietatis factum & institutum, cui quandoque herba Herniaria dicta tanquam specifica & appropriata, quæ per se sola in vino ad medietatis consumptionem cocta, mirabiles in calculosis concretionibus præstat effectus, utilissime adjungitur: dum enim silices per calcinationem, duram suam amittunt indolem, & friabilitate dispositi solarem suam, & alcalinam virtutem faciliori modo dispensare possunt, accidit, ut aciditate vini cocti & uniti, tertiam quandam salsam, & diureticam, acquirant proprietatem, mediante qua acidum quodcunque in primis æque viis, ac tota sanguinea massa peccans, & ad lithiasim disponens optime castratur, reliqui circulantes succi ab impuritatibus lapidescentibus, & calculorum seminibus liberantur, quæ in renum, & vesicæ tubulis jam luxuriantia per easdem vias urinarias a natura circulante, & monstrante affectas funditus extirpantur; & hac ratione, dum sanguinis integritas & puritas conservatur, renum obstructiones aperiuntur, transitusque succorum adjuvatur, unaque fundamenta calculorum futurorum everruntur, proficua, & infallibilis procuratur prophylaxis, maxime, ubi præmissis præmittendis evacuationibus & primas vias a cruditatum cumulo liberantibus, simile decoctum ad ℥vj. pro 1. dosi, bis in die, juxta necessitatem repetita, cum regimine continuatur.

OBSERVATIO LXXVIII.

Dn. D. Andreæ Fackhii.

De Febribus Malignis.

Febres illæ, quæ post obsidionem Viennensem a Turcis nefando ausu tentatam, undique grassabatur, merito malignæ & contagiosæ sunt deprædicatæ, quatenus omnes, & singulos, nullo hominum statu cujuscunque conditionis, sexus, aut ætatis, & temperaturæ excepto, doloso & fraudulento modo invase-

runt,

runt, dum in principio eam utplurimum indispositionem repræsentarunt, quæ quisque antea laboraverat, sicque plurimi colicis, & nephriticis doloribus obnoxii, eosdem vehementiores ab initio perpessi sunt, & anguem in herba minus cognoscentes, anodyna ideo, & antispasmodica, cum laxantibus alias assuetis, remedia adhibentes, absconditam malignitatem nonnunquam cum jactura vitæ luebant: alii catarrhosis stagnationibus & doloribus dentium obnoxii medelam per expectorantia ac inunctiones quæsiverunt, quæ tamen fallax, & minus appropriata nullum conciliavit commodum; fœminæ hysstericis malis deditæ, nolentes malignitatem agnoscere, detrimentum per sua antihysterica adhibita irreparabile sunt perpessæ; verum ubi cæteri per aliena pericula cauti hisce, & similibus fallacibus alterationibus minime siderent, maturius sapientes medicum requisiverunt auxilium; hanc autem mali moris indolem gravissima & periculosa symptomata, eaque nunc majora, nunc minora, quam Essentia febris exigebat, sat manifestabant, quæ primitus levibus signis, remisso calore, urina naturali simili & alteratione remissa suam occultabat pernitiem, instar hominum dolosorum aliud verbis aliud factis præferentium, successu vero temporis falsam, & variabilem suam indolem palam fecerunt, dum optimis criseos signis constitutos iniquo modo pessundederunt, morti vero proximos cum gravium symptomatum syndrome sanitati insperato commiserunt.

Inter symptomata vero extraordinaria sine manifesta causa urgens numeratur lassitudo, qua vires subito, & inexspectato prosternebantur; quam calor quidem levis, vesperi, alternis interdum diebus ingravescens, & lacessens sequebatur cum siti intensa, interdum minore, quam ardor linguæ exigebat, repentina animi deliquia, palpitatio cordis, pulsus frequens, debilis, & inæqualis, interdum naturali similis, respiratio difficilis cum cardialgia, stomachi inversio, oris amaror, nausea, quam vomitus excipiebat, intensi capitis dolores cum deliriis, sæpius vigiliæ, rarius sopores, corporis inquietudines urgebant, urina

naturali similis, interdum tincta, & lixivioſa cum excretionibus fæcum ſanguinis, aliorumque ſuccorum ſymptomaticis accedebat, quibus maculæ varii coloris, petechiæ, puſtulæ, tumores glandularum, aliaque gravia ſymptomata febrili eſſentiæ minus correſpondentia adjungebantur.

Cognitis itaque malignitatis ſignis, cauſam hujus & formalem rationem tam nefanda ſymptomata excitantem, cum majori Authorum ſententia fundare placuit in ſale quodam volatili, acido, acri, & corroſivo, ratione, & experientia conſentientibus: ſi enim hujus ſalis venenoſi aut in corpore humano geniti, aut aliunde ſuſcepti operatio conſideretur, eandem ſat manifeſtam, & reliquis venenis valde conſimilem experiri licet; nam ſicut reliqua venena in rerum natura reperibilia ſali cuidam luxurianti, corrodenti, & realgarino ſuam debent originem, uti chymia in eorum analyſi, correctione, & ad formam medicamenti reductione manifeſte probat, mediante quo in parva etiam doſi ſumpto, dolores, morſiunculæ, febres, vomitus, deliquia, inflammationes, gangrænæ, aliaque lethalia accidentia producuntur, ita & ſimili ratione auſim affirmare, febres has malignas conſimilem operandi rationem in humano corpore poſſidere, ubi ſale ſuo corroſivo, & quaſi realgarino multivarios dolores, irritamina, ſpaſmodicas conſtrictiones excitant, ſenſus, & ſpiritus omnes diſturbant, partes organicas corrodunt, humores vel ad exitioſam diſſolutionem, aut ſuffocatoriam diſponunt coagulationem, quam indolem hujus ſalis corroſivi ratio etiam ſymptomatum inde deducenda, & curatio ſal illud manifeſta, alcalina, & fixa actione corrigens, & extirpans approbare videntur.

Ad fomitem autem, & fermentum hujus deleteriæ qualitatis cumulandum, inter procatarcticas cauſas aër principalem contribuit calculum, qui æſtivo tunc tempore calidioribus juſto ſalinis, & volatilibus particulis refertus, per inſpirationem attractus non ſolum bilioſas maſſæ ſanguineæ partes, augebat, acidas, & auſteras, conſiſtentiam ſanguini alias largientes infringebat, ſpiritus diſſipando, craſim, & circulationem hebetando, ad ſtagna-

tionem & inde ſuccedentem principiorum ſeceſſionem, ac corruptionem diſponebat, ſed etiam fœtens, & a cadaverum inhumatorum tempore obſidionis occiſorum vaporibus infectus, ſordium & fæcum ex dyſenteria maligna tunc graſſante, & aliarum impuritatum teterrimis exhalationibus inquinatus, eandem deleteriam labem circulantibus ſuccis, partibus reſpirationi dicatis, & maxime ipſis ſpiritibus, qui exinde reſultare ſolent, infligebat, quibus itaque hoc miaſmate peregrino infectis, in craſi ſua, & motu vitali turbatis, omnes etiam reliqui motus vitales, naturales, & excretorii, qui inde dependent, pervertuntur, tota œconomia naturalis brevi deſtruitur, & ſucci omnes, deficiente depuratorio circulationis motu, ad corruptionis ſtatum diſponuntur.

Miaſma hoc malignum non tantum ab extrinſeca hac aëris corrupti inſpiratione eſt communicatum, ſed & intus genitum, ac collectum eſſe videtur, maxime ex animi paſſionibus, & prava diæta oriundum, dum ex illis terrores repentini, mœrores continui, & trepidationes ob formidabilia nova, horrendos hoſtium, & infirmitatum inſultus, urgebant, quibus ſpiritus vitales terribili modo turbati aut ſuffocati, hinc circularis, & inteſtini motus remora, impuritatum ſecretio impedita, ſuccorum confuſio, degeneratio corruptiva & putredinalis eſt procurata: ciborum pariter ſubſtantia prava, & malo ſucco, ob annonæ difficultatem, ſine ſelectu quantitate aucta, aut diminuta, potusque inſalubris peccantium uſu & abuſu vitioſi, crudi, heterogenei ſucci ſunt cumulati, qui ad miaſma externum facilius ſuſcipiendum æque diſpoſitionem poſuere, ac in ſinu ſuo ob defectum vitalium operationum deleteriam hanc indolem contraxerunt, mediante qua vitioſe infecti ad putredinalem inclinant corruptionem, ſalia inde ſuæ libertati reſtituta, ſua configuratione minus proportionata, ac inter ſe effervueſcentia, compagem totius cruoris ſolvendo, aut coagulando malignitatis potentiam præfigurant, & dicta, aliaque diverſa ſymptomata, & phænomena fomentant.

Licet Hippocrates prædictiones in morbis acutis incertas eſſe

aphor.

aphor. 2. jam dum agnoverit, maxime, ubi circulans natura de morbo nullam adhuc reportavit victoriam, cui experientia quotidiana adstipulatur, quod plurimi cum periculosissimis signis evaserint, cum melioribus verò perierint, nihilominus, ubi signorum collective sumptorum syndrome considerabatur, bonam aut malam prognosim statuere licebat, maxime ubi functionibus vitalibus, excretionibus variis, aliisque accidentibus critica, & salutaris, aut symptomatica & fallax observabatur operatio: hinc animadversum erat, ad curam feliciori, & securiori methodo instituendam fermentum illud salinum, acre, & corrosivum alexipharmacis, & bezoardicis esse infringendum, & absorbendum, aut quocunque modo suis viribus privandum, ut succi in putredinem, inordinationes, & stagnationes abeuntes emendentur, & in naturalem dulcorem, systasim debitam, & motum competentem cum conservatione virium reducantur.

Ad intentiones has adimplendas purgantia nullo modo esse adhibenda, ratio persuadebat, quod irritante sua resina particulas acriores magis exasperare, violentius commovere, nectari vitali altius imprimere, unitatem liquorum dissolvere, & Archæum animum irritare soleant; verum urgente necessitate, & cacochymia in primis viis peccante, clysteres emollientes applicare consultius erat, ut saburra ex primis viis absersa, vis alexipharmacorum per meatus liberius transire valeat; imo observare licuit vomitória levia ex radice pulverisata Ipecacuanæ, aut syrupo Emetico nostro in primo statim impetu, ubi nausea, graviras, & repletio stomachi cum magna pectoris angustia, & vomituriendi conatu, adverterentur, propinata, maximo cum emolumento fuisse proficua, quatenus fomite in latibulis glandularum stagnante subito extirpato, medicamentorum virtus promota, & morbus abbreviatus erat, quorum effectum in itinere Hispanico adeo felicem expertus sum, ut plurimos hoc unico auxilio, aut ab imminente præservarim, aut a præsenti morbo felicius liberaverim: interim de Venæsectionis administratione erat deliberandum, quam cum pluribus Authoribus, Michaële, Rumelio,

Minderero, Thonero, aliisque recentioribus non adeo proficuam expertus ſum, eo quod malignitatem nullatenus tollat, ſed balſamicis inde partibus exhauſtis, quæ acriores, & malignos ſuccos refrenare ſolent, janua panditur, qua virus hoc ſumme penetrans velocius univerſum corpus penetrare, & corrumpere poteſt: Verum in plethoricis cum virium robore, vel earum oppreſſione, in principio ſtatim morbi eandem conducibilem fuiſſe, cum expertiſſimis viris D. D. Sorbait. tract. 3. de febribus, Lœvenwalt, Rolfincio, Horſtio, aliisque affirmare auſim, adſtipulante ipſa experientia, quod plurimi ex neglecta Venæſectione perierint, omnes vero in tempore cum indicationibus ſuperius notatis Venæſectione celebrata evaſerint; imo petechiis jamjam ſymptomatice apparentibus, quæ ab oppreſſa natura expelli non poterant, celebrata Venæſectione, ac ſublato inde onere aggravante liberius cum ſalute Infirmorum eruperint, quæ quidem non demendæ malignitatis gratia, ſed ad ſuffocationis periculum tollendum, & ſudoriferorum majorem commoditatem, ſecuritatemque conciliandam ſumme neceſſaria fuit experta, cui tamen mixturam alexipharmacam ex aquis ſcorzon. prophylact. Sylv. ſyrupo acetoſit. citri, C. C. phil. præpar. Antimon. Diaphor. rec. factam præmittere, & ſubſequi volebam, ut per diaphoreſim blande inde ſecutam liberior fieret malignitatis diſſipatio: interdum vero in ſenibus, obeſis, debilibus, vel morbi principio jam elapſo cucurbitulas cum vel ſine ſcarificatione, loco Venæſectionis applicari juſſi, ductus Authoritate Celſi, Sennerti, Grülingii, aliorumque practicorum, ut vires hac ratione non diſſipentur, aura venenata a nobilioribus ad ignobiliores partes extrahatur, ſucci, & viſcera depurentur, & allevientur, uti exanthematum eruptio, & ſymptomatum remiſſio clare demonſtrabant.

Cæterum hiſce præmiſſis, curationis cardo verſabatur in bezoardicis fixis, iisque temperatis frequentius de die exhibitis, & juxta varietatem circumſtantiarum, Perſonarum, & maxime veneni vel coagulantis, vel diſſolventis, pariter diverſis, & variatis: inter quæ pulv. Bezoard. Sennert. Ludov. pannon. rub. ſpec. d. hyacinth.

hyacinth. march. Epil. sal scord. antimon. diaphor. rec. cum nitro, camphor. & cinnabarinis in principio conducebant: volatilia vero sudorifera, præsertim frequentiori, & immoderata dosi adhibita, nocebant, quatenus motum intestinum & putredinosum nimium augere, dissolutionem elementorum sanguinis promovere, & gravia symptomata cum petechiorum augmento excitare solebant; in progressu vero morbi mixturæ temperatæ, & alexipharmacæ bezoardicis pulveribus, mixtura simplici, ess. scord. nobilitatæ, una cum Emulsione Cratoniana adjungebantur: ubi vero diebus criticis circulans natura languida, & ab hostilibus miasmatibus fixius inhærentibus quodammodo obrueretur, succurrendum erat efficacioribus antidotis, ut penetrante eorum virtute venenatæ particulæ succis altius immersæ per cutis spiracula ejicerentur, & evacuationes criticæ promoverentur, unde prioribus diascord. fracost. syrup. contrayerv. Tinct. Bezoard. ▽ scord, theriacal. liq. C. C. succinat. aut sal volat. C. C. associabantur; quam intentionem confortantibus acidiusculis promovere oportebat, ut suppressi, aut dissipati spiritus jucunda, & restaurante vi invigorentur, impetuosior circulantium motus aliquo modo mitior reddatur, & oberrans malignitatis sal eadem fidelia figatur & intercipiatur, inter quæ aq. cordial. temperat. totius citri, e typh. cerv. confortat. usit. cum confect. alkermes, d. hyacinth. pulveribus cordialibus spec. d. gemm. frig. analept. frig. minder. syrup. de rub. idæo, d. succ. citri, granat. spirit. nitri dulc. mixtur. simpl. eminebant.

Quibus externa quædam topica, eaque confortantia, analeptica, theriacalia pulsibus, & regioni ventriculi calide applicata, aliaque diversis urgentibus symptomatibus appropriata adjuncta exoptatum tulerunt auxilium, inter quæ piedra de puerco de spina excellebat, qui lapis regioni pulsus impositus, cutique parum vulneratæ firmiter adhærens malignitatem sympathetica quadam energia extraxit, quo facto sponte sua relaxatior, decidit, & a sua adhæsione liberatur, depositus dein lacti immergitur, in quod attractam evomit malignitatem, dum vero simile

inquinatum lac cani porrigitur sorbendum, eadem malignitate correptus perit, & Patiens cum manifesta symptomatum remissione pristinæ restituitur saluti: præterea Vesicatoria pedibus imprimis, dein brachiis, & nuchæ, diebus non criticis imposita summam præstiterunt utilitatem, dum per ulcuscula excitata, miasma illud venenatum a vitali, animalique liquore revulsum feliciſſime & evacuatum est: morbo tandem ad declinationem tendente, ubi reliquias malignitatis ex urina adhuc tincta, & turbida, pulsu celeri, aliquali siti & æstu, somno interrupto necdum totaliter, & perfecte correctas, & expulsas hariolari licet, diaphoreticum adhuc leve & præcipitans ex speciebus d. gemm. frig. diamarg. frig. march. Epilept. lap. 69. coral. r. pp. ebor. sine igne præp. nitr. perlat. ad reliquias funditus extirpandas semel saltem in die cum mixturis temperatis propinare conveniebat; malignitate hac ratione subacta, & expulsa, uti ex omnimoda symptomatum remissione, & functionibus naturalibus ad pristinum vigorem redeuntibus colligitur, ab ulteriori remediorum usu abstinendum, & restauratis viribus fæces crassiores ope medicamentorum præcipitatas suavi minorativo eliminare decebat.

Cæterum victus rationem juxta Hippoc. 7. aphor. sect. 1. in acutis tenuissimam observavimus, cum tenuibus, liquidis, & facilis coctionis alimentis debito tempore datis & gelatina C. C. nobilitatis: potus ex decocto C. C. toto citro rad. scorzon. acetos. sem. fænicul. siti extinguendæ, diluendis, & per diaphoresin eliminandis impuritatibus erat dicatus, reliqua vero diætetica prudenti Infirmariorum directioni, informationi datæ & adstantium sedulitati committebantur.

OBSERVATIO LXXIX.

Dn. D. Andreæ Fackhii.

De Ichoroso Hæmorrhoidum Fluxu.

ELegans, & absolutum naturæ bene valentis, & munia sua bene administrantis opus esse separationes, & excretiones superflu-

perfluorum, & peccantium succorum debito modo, & tempore, critice, & cum euphoria peragere & expedire, Solenander cum Foresto, Lotichio, modernisque deprædicat, quatenus corpus non tantum a cacochymia impura, & multis heterogeneitatibus conspurcata saburra, & periculosis morbis inde resultantibus feliciſſime liberatur, sed & a plethorico & abundanti onere, quod occultam molitur pernitiem, vires aggravat, obstructiones morborum genitrices parit, & ipsi vitæ, nisi beneficio naturæ, aut artis proficua instituatur excretio, detrimentum adfert, securissime depletur: hinc sollicita, & circulans natura in variis ætatibus, varias instituit depletiones, per hæmorrhagias narium, pulmonum, uteri, aut hæmorrhoidum, teste Hippoc. aph. 30. 29. & 27. sect. 3, quotidiana simul experientia correspondente, quibus excretionibus semel assuetis, ubi a quacunque causa supprimitur, pessima & infinita mala fabricantur, spasmodicæ circa hypochondria crispationes, & angustiæ, viscerum infarctus & obstructiones, inflammatoriæ stagnationes, vomitus cruenti, colicæ, arthritides, & sexcenta alia mala propullulant, inter quæ serosus, & ichorosus hæmorrhoidum fluxus, tanquam depravatum hujus hæmorrhoidalis beneficii productum numeratur, quo Patiens meus juvenilis ætatis, plethoricus, laudabilis alias temperamenti affligitur, qui a puericia quidem eodem floridus, assiduis tamen studiis, lucubrationibus, vitæ sedentariæ, & pravæ copiosæque victus rationi deditus, tantam vigoris sui jacturam passus est, ut brevi post sanguinis sui floridi nitorem perdiderit, ut inde flatulentiis hypochondriacis, crudis & indigestis, acribusque ichoribus fuerit inquinatus, unde concurrentibus variis primarum viarum detonationibus, distensionibus viscerum, & maxime venarum hæmorrhoidalium obstructione, repletione, & dolorifica distensione, sanguinis stagnatione, & plurimis inde symptomatibus accedentibus, subsequuntur pariter succorum in serosam colluviem degenerationes, & perquam molestæ excretiones per hæmorrhoidalium vasorum propagationes.

Quod

Quod equidem non mirandum, ubi vita imprimis sedentaria in considerationem venit, quæ succorum, omniumque corporis contentorum intestinum æque ac progressivum motum sufflaminare, fermentationes vitales diminuere, sanguinem crassiorem, & impuriorem reddere, excernendarum fæcum excretiones, quæ in talem pernitiem conspirant, remorati, musculosam etiam substantiam relaxare solet, unde elasticitate deficiente, tonoque partium flaccido cruditatum progeniem ponendi, occasio datur, quas victus plenior, crassus, & difficilis resolutionis plurimum fovebat, dum fermenti gastrici aliunde languidi activitatem obruendo, chylificatio in pastam crudam, multis heterogeneitatibus repletam, in aliis coctionibus non facile corrigibilem transmutatur, continuata dein hac diæta cum studiis intensioribus diutius protractis, & solitudinis amore, coctiones viscerum ulterius debilitari, cruditatum acidarum, & crassarum cumulus augeri, & ita circulantium succorum discrasia acida, & crassa, viscerum infarctus, & obstructiones hypochondriacæ indies incrementum sumere debuerunt, eo quod per continuata studia spiritus, qui tanquam balsamum vitæ, omnia viscerum fermenta restaurant, massam sanguineam vitalisant, sensus, motusque fermentativos vegetant, & omnes functiones invigorant, vel dissipantur, vel aggravantur, quorum dein defectu omnes & singulæ digestiones, sequestrationes, & depurationes deficiunt, & massa inde effæta, multisque cruditatibus onusta ad hæc & similia mala producenda disponitur, unde circulans natura a crassis, acidis, & hypochondriacis succis dicto modo cumulatis aggravata per hæmorrhoidalem fluxum, levamen, & auxilium quærere tentabat, verum tam a crassitie succorum ab acido contracta, quam impetu spirituum deficiente remorabatur, quo minus laudabilis hæc depletio, ac depuratio succedere potuerit, ideo sanguis hic fæculentus per arterias, ex ramo iliaco & mesenterico oriundas, illuc quidem appulit, qui autem ob crassitiem suam, vasa distendendo & replendo remoram posuit, ut a venis & vasis lymphaticis ob suam irregularitatem, & impetum deficientem

cientem reabsorberi non potuerit, hinc ibidem restagnans vasa in magnum elevavit tumorem, cum fibrillarum violenta extensione, & dolore acuto, qui concurrente qualitate acriori, acidi exaltatione, & irritatione majori, intensior est redditus cum manifestis inflammationis signis, quæ tamen beneficio venæsectionis, linctus salivalis alicujus canis, quiete, promotoque sudore majori ex parte iterum dissipata est.

Nihilominus continuata adhuc, & aucta horum peccantium succorum stagnatione, & per moram contracta ulteriori acrimonia, salia peccantia per fermentationes inordinatas a se invicem separata, quæ aculeis suis expeditis, & rodentibus vasa ipsa eroserunt, fibrillas dilacerarunt, & alimentum proximum corrumpendo, in serosum, & puriforme liquamen converterunt, quod dein cum insigni mordacitatis sensu instar fistulæ indesinenter exstillabat: prionde Ichores isti partim vitio restagnationis, & assimilationis depravatæ collecti, partim a massa circulante vitio coctionum cumulati & illuc transmissi, excretionem hanc perquam molestam, & erodentem perpetuare, & in unum alterumve annum continuare consuevere.

Etsi vero morbus hic altas jam egerit radices, partem affectam ad serositates has & cumulandas, & recipiendas optime dispositerit, ut difficulter fermentum acido salinum ibidem latitans extirpari, minus degeneratio succorum impediri, aut affluxus succorum averti possit, atque auxiliatrices plurimorum medicorum manus exploserit, ut non obstantibus variis auxiliis digestivis, laxantibus, diaphoreticis, & confortantibus bona methodo adhibitis, malum perseveret, & in fistulam quandam incurabilem degenerasse præsagiat; quia tamen ætas adhuc juvenilis floret, causa morbifica satis perspecta evelli, & ulterioribus specificis auxiliis eradicari potest, observatis observandis, spes adhuc bona recuperandæ sanitatis supersesse videtur, quam aliis antidotis maxime balsamica, vulneraria, & confortandi virtute præditis procurare allaborabam, quibus spiritus insitus partis affectæ alcalina sua, & symbolisante energia invigoraretur, acor ille latens,

lacteas, qui instar fermenti exotici alimentum proximum corrumpit, & in ichorosum liquamen convertit, penitus destrueretur, sordes inde emanantes saponaria sua virtute abstergerentur, & alcali suo temperato consolidatio naturalis adjuvaretur, fibræ partium iterum restabilirentur, & hac ratione colluvies illa serosa totius & partis, publica, & privata corrigeretur, & per epicrasim eliminaretur: pro qua intentione adimplenda sequentes pilulas prioribus virtutibus nobilitatas, convenientissimas judicavi, quæ ex pulv. diaphoret. martialis Ludov. ʒij. extr. scolopend. scrophular. aa ʒj. cerussi. antimonii, antihect. Por. aa ℈ij. cinnab. antimonii ʒß opobalsam. ver. q. s. componebantur, & ad undecim pro una dosi mane, & vesperi datæ, desuper vero serum lactis chinatum calide sorbillando, profuerunt, hora dein una ante mensam, aut de Opobalsamo vero & legitimo ad gutulas decem, aut de balsamo Innocentii XI. excellenti, & vulnerario viginti guttæ in vehiculo theato sunt assumptæ & juxta necessitatem continuatæ; quæ ambo balsama ob tenuem, & penetrantem suam substantiam, experientia teste, omnia membra reserant, reficiunt, & exsiccant, cunctis tumorum & inflammationum stagnationibus, coagulationibus, tumoribus quibuscunque, ulceribus, ipsisque fistulis, vulneribus, tensionibus dolorificis, putrefactionibus, aliisque malis manifestum, & singulare adferunt emolumentum. Quibus itaque methodice continuatis, & meliori, exactaque in rebus non naturalibus vivendi ratione observata desideratam, & constantem obtinuimus sanitatem.

(*Vienna Noribergam d. 18. Decembr. Anno 1715. missa.*)

OBSERVATIO LXXX.

Dn. D. Georgii Dethardingii.

Epiphora Auris.

Juvenis generosus 16. circiter annorum, phlegmatico-sanguineæ indolis, ex alto in pavimentum ligneum cadens, capite adeo

adeo impingit, ut aphonus per aliqua momenta tactus fuerit. Ad se redeuntem, dum agnati ulnis excipiunt, & pavimentum sanguine plurimo vident esse conspurcatum, fontes sanguinis indagare seduli, vix tantillum sanguinis stillare nares observant, nec in capite vulnus quoddam: solus tumor in osse frontis, aurem sinistram versus fit conspicuus, ex hac profluere vident humorem sanguinolentum magis, quam sincerum sanguinem, amplo satis flumine. Accedit vomitus assumptorum. Consilii inopes, interea, dum me cum Chirurgo advocari curant, capitis sinistro lateri, tumore turgido, lintea imponunt, vino calido madida; auri vero intrudunt aquam sotericam Pyrmontensem, quæ ad manus fuit. Advolantes continuare observavimus proluviem illam sanguinolentam, citra alias querelas ægri, ac quas inopinatus talis casus inferre consuevit. Tumor regionem ossis frontis prope sinistram futuram coronalem occupaverat. In aure dilatata fontis istius ostia detegere nostris oculis haud licuit, nec auditus quædam erat difficultas. Quod cetera omnia bene, capiti vinum herbis cephalicis imprægnatum mediis linteis fuit impositum, & interne sunt data, quæ territis solent propinari. Nox placida; tumor mane disparuerat; alvus sponte soluta. Capiti ergo Emplastrum de Betonica impositum, & auri instillatus ex aqua calcis vivæ, Terebinthina, sapone albo, ac tantillo Tincturæ Benzoes compositus liquor, a cujus usu post paucos dies sanguinolentum habitum deposuit, & per biduum substitit, citra quod æger haberet, de quo conqueratur. Abhinc vero fluor ille rediit, sed limpidissima facie, & hac copia stillavit, ut per singula momenta binæ guttulæ caderent, ac lintea admota irrigarent, omni tamen sapore & odore destitutus. Continuavit ad duodecim dies, ubi sensim imminui, spissior fieri, & ad flavedinem declinare cœpit, susurro auris comite. Injectione ergo immutata, ita ut aqua calcis vivæ, cum essentia absinthii, & melle rosato, fuerit in locum prioris commendata, & externe sacculi ex herba Hyssopi, origano & speciebus pro Cucupha parati, impositi, interne Ec-

coproticis interpositis, sensim in pus bene coctum abiit, & hoc sensim effluente, auditus iterum ad pristinum statum pervenit.

OBSERVATIO LXXXI.

Dn. D. Georgii Dethardingii.

Surditatis Remedium.

NOn multi anni sunt, quando Batavus quidam nostram urbem accedens plurimos surdastros felicissimo experimento restitúit; lucri inde non parum sibi parans, nec enim ultra tres quatuorve dies cura protrahebatur, quam afflicti pendebant decem thaleris. Specillo meatu auditorio externo dilatato, siphonis ope injiciebat liquorem quendam albicantem, consistentia lac æmulantem, obturabat abhinc meatum bombace, & biduo peracto remota bombace auditus erat salvus, nec facile fallebatur. Omne vero momentum gloriabatur, (ceu dono jactantiæ erat præditus) esse repositum in liquore, quem injiceret, cujus quoque compositionem, se nemini communicare velle, regerebat. Ast, qui observabant, a bombace remoto, illum protraxisse quoddam solidioris compagis, facile inducebantur ut crederent, totum artificium in ceruminis incuneati remotione blanda & necessaria constitisse, ut in vulgus tandem abierit: Er lehre vor 10. Rthlr. die Leute ihre Ohren rein machen. Quod tandem liquoris notitia ad me pervenerit, nec adeo incongruus hujus sit usus errhinus, communicare illum placuit. ℞. Sapon. alb. minut. concis. ʒj. Terebinth. venet. ʒß. ▽. niv. ʒviij. M. l. a. & solutis adde Tinctur. Benzoes. ʒij. M. serventur ad usum. Addere aliquando & temperare liquorem illum soleo oleo Amygdal.dulcium.

(*Rostochio Augustam Vind. d. 23. Decembr. Anno 1715. missa.*)

OBSER-

OBSERVATIO LXXXII.

Dn. D. Laurentii Heisteri.

De admiranda Cerebelli structura.

QUamvis jam tot Anatomici insignes cerebri ac cerebelli structuram iterum iterumque pervestigaverint & descripserint; imo quamvis circa finem superioris seculi celeberrimi quidam viri omnem industriam adhibuerint, ut structuram cerebri quam accuratissime eruerent atque explicarent, huicque negotio totos fere se dederint; ut nominatim sunt *Willisius* Anglus in egregio tractatu de cerebro, *Vieussens* Gallus in Neurographia, & *Ridleius* pariter Anglus, in eleganti tractatu Anglicano de cerebro, *The Anatomy of the Brain* inscripto; tamen omnes illi viri, quovis etiam adhibito labore ac diligentia, non omnia miranda atque curiosa detexerunt, sed posteris adhuc aliquid inveniendum emendandumque reliquerunt; & præcipue, si verum fateri licet, cerebelli mirabilem fabricam tam leviter pertractarunt, ac descripserunt, ut videatur, eos in hoc designando aliud quid egisse, aut reliquis cerebri partibus adeo intentos fuisse, ut hanc, nisi quod primo intuitu in conspectum veniret, quasi neglexerint.

Siquidem si eorum figuras cum ipsa natura conferamus, videbimus eas parum cum hac convenire: Speciatim vero in toto *Willisii* tractatu de cerebro, ne unica exhibetur figura cerebelli humani, faciem interiorem ostendens, si figura IV. excipiatur ex adolescente fatuo desumta, quæ vero a structura hominis sani quam longissime recedit. Reliqua cerebella figura VII. & VIII. in eodem tractatu exhibita, non sunt humana, sed ovina, & quidem ita delineata, ac si ex irregulari ac confusa substantiæ cineritiæ & medullaris massa essent composita; cum tamen, tam humana, quam bestiarum cerebella, ex structura constent pulcherrime & sapientissime ordinata, artificiosa & quam maxime regulari, sicut ex descriptione nostra atque figuris adjectis mox erit manifestum. At in tractatu de Anima Brutorum *Willisius* Tab.

VIII. novam (ut ipse ait) repræsentat cerebri humani anatomen: in qua vero cerebellum tantum a vera cerebelli humani structura recedit ac diversum est, ut credam illud nunquam ita, prout delineatum exhibetur, ab illo vel ab ullo alio Anatomico visum fuisse; tam rudes enim, tam crassi & a natura diversi sistuntur tractus medullares, tam pauca adest substantia cineritia, ut profecto nunquam hæc ita offenderim.

Sic nec in *Vieussenii* magna Nevrographia, licet arduo labore & quamplurimis figuris cerebri intimam fabricam extricare illustrareque solicitus fuerit, vel unica reperitur, quæ veram cerebelli structuram exhibeat; sed præter rudiorem paullo delineationem, aliosque defectus, (qui tamen forte pictoris vel sculptoris culpa facti sunt) semper & ubique ita repræsentatur, ac si corticalis ejus substantia continua ubique esset, & quasi chaos confusum.

Neque in *Ridleii* figuris, sagacissimi alias cerebri perscrutatoris, neque in *Bidloo*, *Verheyeno*, aliisque, quos evolvi, Auctoribus modo laudatis; si unicus *Ruyschius*, Princeps omnium Anatomicorum & Præceptor quondam noster æternum venerandus, excipiatur, vestigium veræ cerebelli structuræ in Epist. Problem. XII. Tab. 15. fig. 5. ostendens. Verum, quoniam hæc figura alium ob finem exarata est, nec totam mirabilem cerebelli structuram patefacit, nec modus sive encheirisis hanc fabricam extricandi descriptus est, alias perfectiores atque accuratiores delineari curavi, ab omnibus hactenus visis diversas, ast cum cerebello humano optime convenientes; quas una cum præparandi artificio & exacta descriptione hic sistere curiosis humani corporis investigatoribus haud ingratum existimavi; ea spe fore, ut non solum anatomes perfectio eo ipso promoveatur, sed etiam mirifica Creatoris sapientia ex mirabili partium nostri corporis fabrica quotidie magis magisque cognoscatur.

Itaque Tab. II. fig. 1. exhibet cerebellum humanum a a a a, in medio perpendiculariter dissectum & disjunctum, sicut recens

divisum

Fig. 3

Fig. 4



Observ. 83. Cent. V.

Fig. 1.



Observ. 83. Cent V.

Fig. 2.

Observ. 15. Cent. VI. pag. 205.



divisum se oculis sistit, b b b b; cujus duo hemisphæria cohærent interventu medullæ oblongatæ c c c, in qua simul conspiciuntur eminentiæ nates dictæ d d, testes e e, glandula pinealis f, ductus sub testibus & natibus transiens, a quibusdam anus, item aquæductus *Sylvii* dictus g, valvula magna *Vieussenii* paulo distracta h, calamus scriptorius i. crena k k, pedunculi cerebelli l l, harum ramificationes medullares albæ per totum cerebellum dispersæ, ramusculos subtiles arborum repræsentantes, accuratius expressæ, quam a Willisio, Vieussenio aliisque, m m m. His denique corticalis sive cineritia cerebelli substantia interjecta est, longe copiosior, quam vulgo pingitur; in qua vero intimior structura in recenti dissectione nondum manifesta est, sed adhuc continua videtur substantia & quasi confusa, at in sequenti figura extricata. Tandem hic conspicitur principium spinalis medullæ n n.

Figura vero secunda sistit idem illud, quod in priori figura, cerebellum, ita præparatum, ut mirabilis ejus fabrica, quæ hactenus Anatomicos latuit, in conspectum manifesto prodeat: elegans scilicet illa in lobos & lobulos minimos, a se invicem distinctos, divisio. Modus, quo cerebelli lobuli tam eleganter a se invicem separantur, difficilis videtur, sed facilis est, si sequenti modo procedimus. Nimirum recenti cerebello per medium prudenter diviso, in vase quodam affundatur spiritus vini bonus vel rectificatus, ut spiritus parum emineat, & in hoc per noctem aut diutius relinquatur: postea, si rursus eximatur, jucundo spectaculo videri potest, quomodo solius spiritus vini ope, sine ullo scalpello, utrumque cerebelli hemisphærium tam egregie in varios lobos a se invicem distinctos divisum sit, sicuti literæ o o o o fig. 2. has divisiones demonstrant, ut nullo scalpello pulchrius dividi queant, & quomodo illæ divisiones per totum fere cerebellum penetrant. Quilibet autem illorum loborum rursus subdivisus est in multos minores lobulos, eodem quasi modo ac lobuli pulmonum, prout ex accurata figuræ hujus contemplatione cognosci potest; quamvis propter subtilitatem a pi-

ctore

ctore satis distincte omnes exprimi non potuerint. Lobulus vero quilibet, ne minimo excepto, ex corticali sive cineritia & ex alba sive medullari constat substantia, & corticalis medullarem ambit. Medullaris valde tenuis est ac subtilis, non adeo crassa, ut vulgo delineatur ab Autoribus; & quilibet hujus minimus ramulus, vix filum tenue æquans, cingitur corticali substantia longe crassiori, atque lobulum minimum efficit, quorum tamen quilibet ab altero distinctus est, & vicino contiguus, non continuus est, (nisi in basi.) Inter quas divisiones sive interstitia pia mater cum vasis sanguiferis copiosissimis se insinuat, quæ corticalem substantiam efficiunt: ex qua medullaris (tanquam ductuli excretorii) emergit, liquidum in corticali secretum, uti alias in cerebro, suscipiens.

Illa autem interstitia in recens dissecto cerebello vel non, vel valde obscure tantum, & non adeo distincte apparent, prout in fig. 1. ostenditur p p p.

Hac fabrica efficitur, ut cerebelli corticalis substantia majorem superficiem adipiscatur, pro meliori atque ordinatiori vasculorum quamplurium collocatione ac distributione, dum sic quilibet lobus, imo quilibet lobulus, sua peculiaria recipit vascula, quæ speciatim cuivis puncto medullaris substantiæ melius prospici possunt.

Tandem adhuc notamus, quod, ubicunque divisio loborum appareat, illa se longe lateque per cerebellum transversim quoque extendat, sic, ut tota cerebelli compages in innumeras lamellas transversim positas, & hæ rursus in infinitos lobulos dividantur: quorum quilibet investitur pia matre, eaque ab aliis vicinis distinctus est, conf. *Ruyschius* loc citat. fig. 4.

Denique, quod *hæc structura non solum in homine, sed etiam in bestiis reperiatur*, ex eo patet, dum præter variorum animalium cerebella, inprimis cerebellum vitulinum eadem methodo præparavimus, & præparatum figur. 3. accuratissime delineari curavimus, ubi quoque, sicut in cerebello humano, innumeri lobuli, majores lobos conficientes, omnesque a se invicem distincti conspici possunt. Nos autem hic nihil finxisse, sed vera scripsisse,

se, cuivis quotidie in Museo nostro demonstrare possumus, & unicuique imitatu erit facile, si levem illum laborem suscipere non detrectabit.

OBSERVATIO LXXXIII.

Dn. D. Laurentii Heisteri.

Pylori ventriculi nova delineatio ac descriptio.

QUum observaverim ab Autoribus anatomicis pylorum sive dextrum ventriculi orificium neque recte delineari, neque, prout se habet in corpore humano, describi: eorum in gratiam, quos accurata partium corporis humani cognitio delectat, & quibus perfectior scientia anatomica curæ cordique est, veram hujus partis constitutionem hic sistere volui. Si enim *Willisii* Tabulæ de ventriculo in Pharmac. rationali, *Verheyeni* in Anatom. corp. Human. aliorumque tabulæ anatomicæ, ubi ventriculi pylorus repræsentatur, perlustrantur: valvula & sphincter ejus situ horizontali ubique delineata exhibentur; quam autem valvulam omnibus in cadaveribus, in quibus eam curatius examinavi, longe aliter se habere comperi, quamque propterea ex cadavere humano recte delineari curavi.

Nimirum exhibetur hic in Tab. II. fig. 4. pars dextra ventriculi flatu exsiccati A A A. (nam totum ventriculum hic exhibere supervacaneum esset) pars intestini duodeni aperti & reclinati B B, ut pylorus C cum sua vulvula D E in naturali situ, prout eam semper inveni, conspici possit.

Ex qua figura patet, valvulam hanc posituram non habere horizontalem, sed obliquam, & quidem sic constitutam, ut a latere dextro D. oblique deorsum versus latus sinistrum ad E descendat; ubi autem notamus, quod hæc valvula non in omnibus subjectis sit tam ampla, ac in hoc, in quo trium quasi linearum mathematicarum latitudinem ubique in tota circumferentia obtinet: verum, quod in aliis tantum duas lineas, in quibusdam non nisi unicam habeat. Unde forte ratio peti potest, quare

in aliquibus assumtorum perquam facilis & nimis citus, in aliis tardior & difficilior e ventriculo sit exitus. Præterea inquisitioni Eruditorum commendo, an non hic obliquus valvulæ pylori situs assumtorum præmaturum transitum remoretur, crassiorum egressui renitatur, & sic nondum satis digesta melius contineat & repellat, quam si horizontalem obtineret situm? Profecto hoc mihi videtur verisimile, & meliorem situs hujus obliqui rationem non perspicio.

OBSERVATIO LXXXIV.

Dn. D. Laurentii Heisteri.

De Tympanitidis varia sede, ex cadaverum dissectione petita, ejusque varia curandi methodo.

TYmpanites vulgo describitur, quod sit tumor abdominis, a flatibus in cavitate ejus contentis, ortus. De vera autem sede Autores non conveniunt; utrum scilicet flatus intra vel extra intestina hæreant. Vulgaris opinio plerorumque Medicorum erat, quod in cavo abdominis extra intestina flatus, aërrum, sive spiritus sint contenti, sicut aqua in ascite. Inter recentiores autem novi multos, qui hanc opinionem improbant, contendentes, flatus in hoc morbo non hærere extra intestina, sed intra intestina: hocque probant (1) *ab experientia* e dissectis talibus cadaveribus, ubi nullos flatus inter intestina & peritonæum sive in abdominis cavitate repererunt; sed tantum intestina ab aëre & sordibus pituitosis quam maxime distenta viderunt: sicut tale exemplum in Ephemeridum harum Centur. II. Observ. 84. describitur: atque sic hunc morbum pro flacciditate sive paralysi fibrarum muscularium intestinorum, nullam amplius vim contractilem habentium, reputandum censent, ut flatus & sordes expellere nequeant, sed e contrario se mirum in modum ob aëris vim elasticam in calore se expandi sinant. (2) *Ex rationibus*, dum α) nullæ demonstrari possint viæ, per quas flatus in cavum abdominis intrare queant; nam intestina inflari atque

que exsiccari possunt sine flatus eruptione sive transitu per tunicas eorum: ex distensione vero intestinorum sequi & explicari posse tympanitidis omnia Phænomena. β) Quia flatus tam diu retineri non possent in cavo abdominis sine corruptione & putrefactione contentorum; observari autem tympanitides decem & plurium annorum. γ) tympanitem in paralysi intestinorum consistere, ipsa mali diuturnitas innuere videtur; nam paralyses per multos annos durare possunt in certis quibusdam partibus sine morte subita metuenda, δ) tympaniticos sæpe ab assumtione frigidorum, verbi gratia aquæ frigidæ, multum levari: nam frigus aëris elasticitatem cohibet. ε) morbum esse difficulter sanabilem, sicut omnes alias paralyses, & quæ aliæ ab hujus opinionis patronis rationes adhuc afferri possunt, quibus evincere conantur, omnem tympanitem intra intestina & non extra ea sedem suam habere.

Cumque adhuc nuper in consilio quodam essem cum aliis magnis Medicis, ubi de tympanitis sede ageretur, essentque qui eam non in cavo, sed in intestinis tantum consistere existimarent; utile esse credidi, *observationem hic tradere, quæ tympanitem quoque, juxta veterum mentem, in cavo abdominis existere declarat*, ut inde manifestum fiat, duplicem posse esse tympanitidis sedem: ego enim non nego tympanitem quoque dari, ubi flatus tantum in cavo intestinorum hæreant, quale exemplum quoque vidi; verum hoc ipso demonstrare volui, quod, juxta Philosophorum prudens axioma, posito uno, non statim excludatur alterum, sed quod utrumque possit esse verum, eoque simul innuere, quod pro diversa sede, alia quoque sanandi ratio obtineat. Exemplum autem, quod hic describere animus est, jam Amstelodami 1706. observavi in muliere, quæ se gravidam putavit & ventrem habebat valde distentum, sed ob varia graviora symptomata Medicum Amstelodamensem doctissimum, Dn. D. *Petrum Voogdium*, Amicum quondam nostrum egregium, advocari jussit, qui præstantissima adhibuit remedia symptomatibus opposita, verum his non obstantibus, post paucos dies mu-

lier subito interibat. In hujus subitaneæ mortis causam cum inquirere intenderet laudatus Medicus, simul varios alios Medicos & Chirurgos rogavit, ut certas ob rationes sectioni interessent: inter quos etiam erat illustris *Ruyschius*, quem cum quibusdam aliis Medicinæ studiosis ad locum aperturæ comitabar. Cum itaque mulieris abdomen detegeretur, illud tumidum observabatur, ac in gravida partui vicina, & abdomen pressum, renitebatur. Aperto abdomine, simulac exiguum vulnus peritonæum perforaverat, magno cum sibilo sive strepitu ac fœtore aliquali aër prorumpebat, & abdomen subito concidebat, ac si mulier non esset gravida, intestina prout alias in sanis se habebant, attamen in utero fœtus quoque reperiebatur quatuor circiter mensium. Jam prolixius in vias, per quas flatus in cavum penetrat, non inquiram, neque rationibus adversariorum hujus opinionis refutandis tempus consumere volo; sed sufficiet jam me exemplo hoc probasse, dari revera etiam tales tympanitides, ubi flatus non in intestinis, sed extra intestina subsistant, & quod ad hos expellendos medicamenta flatus pellentia vix aliquid efficere queant; verum quod forte acu paracentica, quam Galli *trocar* appellant, breviori & certiori methodo educi queant. Qua de re autem experientia erit opus, antequam certi quid affirmare liceat. Quæ autem in paralysi intestinorum consistit, ea plerumque erit insanabilis, vel non nisi medicamentis nervinis, antiparalyticis, atque elasticitati aëris adversis curari poterit. Ideoque si Medici in hanc diversitatem diligentius quam hactenus attendant, plures forte a tympanite sanari poterunt, quam hucusque fuerunt.

OBSERVATIO LXXXV.

Dn. D. Laurentii Heisteri.

Epiplocele duplex in eodem subjecto.

EPiplocele sive hernia omentalis dicitur, quando omentum sive epiploon per ita dictos processus peritonæi extra abdomen devolvitur.

Hic

Hic affectus raro ab Autoribus observatus est, atque a quibusdam, teste etiam Vesalio L. V. Cap. 4. de Fabr. Corp. Hum. eum in dubium vocatum esse novi ; 1.) quia illum nunquam viderunt, quamvis veterani essent practici, 2.) quia omentum in plerisque subjectis parum tantum infra umbilicum , & raro usque ad fundum abdominis extenditur ; ideoque & illud per processus peritonæi non elabi posse existimarunt ; præsertim cum in eo nulla adsit vis premens, vel saltem debilima, & processus peritonæi exacte clausi : quod ipsum quoque me sæpe, antequam hunc recensendum casum vidi, dubium reddidit. Omentum una cum intestinis protrudi posse in processus peritonæi, conceptu facilius est, atque sic entero-epiplocelen frequentius contingere, rationi magis consentaneum est , quam epiplocelen solam sive simplicem : interim sequens casus me certiorem fecit, dari revera hernias omentales sine prolapsu intestinorum, atque ab omni dubio me liberavit.

Nimirum Anno 1715. Mense Majo in theatro Anatomico Altorfino publice dissecui cadaver viri sexagenarii, in cujus utroque inguine tumorem observavi præternaturalem , tactui paullo cedentem, & molliusculum, ac si locus quidam pinguis in cadavere digitis comprimatur. Concludebam inde mecum, hunc tumorem non esse herniam intestinalem ; & quia quoque cum sarcocele aut varicocele non conveniebat, ideoque in caussam hujus mali exactius inquirere constituebam. Aperto hunc in finem abdomine , observabam mox epiploon solito crassius omnia tegens intestina, & ad processus peritonæi usque descendens. Ad quos cum epiploon persequerer, vidi mox cum multis adstantibus illud in utroque latere ex abdomine per processus peritonæi valde dilatatos egredi. In dextro latere fere usque ad testiculum descendebat, & cum processu peritonæi coalitum erat, ut inde avelli non potuerit, nec sine sectione separari ; in sinistro vero tantum ad trium circiter digitorum transversorum longitudinem extra cavum abdominis in dictos processus se insinuaverat, & liberum erat : nam trahendo versus abdominis

cavum facile inde educebatur. Educto vero omento, ingressus processuum peritonæi ita dilatatus erat, ut sine ulla difficultate pollicem intrudere potuerim: & hoc totum spacium ab omento solo arcte repletum erat, sine ullo intestino; ideoque hic in utroque latere veram epiplocelen vidimus, quæ alias ab externo aspectu haud facile cognoscitur, dum tam raro occurrit; quapropter autem, ut memoria harum herniarum renovetur, dum ob rationes prædictas nonnullis dubiæ aut fictæ visæ sunt, hunc notabilem casum hic describere operæ pretium duxi, ut si tales ægri occurrant, iis per repositionem atque idoneum subligaculum, aut etiam per convenientem operationem chirurgicam auxilium ferri queat.

OBSERVATIO LXXXVI.

Dn. D. Laurentii Heisteri.

Dissectio mulieris miris spasmis brevi defunctæ.

Mulier quædam cœlebs annos triginta tres nata, Mense Decembr. 1715. subito & ex improviso magnis abdominis doloribus corripitur, cum vehementi cardialgia & interpolatis frequentibus convulsionibus abdominis, quibus magno impetu & infando quodam sonitu seu fragore abdomen concutiebatur, & quasi contundebatur, ut stare amplius non posset, sed in terram prosterneretur, neque verbum proferre posset, quamvis mentis compos esset. Adstantes chirurgum advocarunt, ut venam ipsi secaret, putantes ægram apoplexia correptam esse; verum Venæsectio non solum frustra instituebatur, sed etiam totum corpus mox spasmo universali sive tetano corripiebatur, ut instar statuæ rigidum esset ubique; nam brachia, pedes collumque nullo modo flecti potuerant; spasmus etiam maxillam tam vehementer constringebat, quo os operire non posset, mentis tamen semper compos erat, atque concussiones illæ violentæ abdominis, nec non dira cardialgia ac cordis palpitatio persistebant. In hoc miserabili statu varia nervina ac uterina, (dum malum

malum ab utero oriri existimabam) interne & externe adhibebantur, verum tertia die moriebatur.

In dissectione hujus mulieris, 1. in intestino duodeno & 2. in sinistro ventriculi orificio, καρδία dicto, in quolibet *magnum acervum lumbricorum*, præsentibus multis studiosis, reperi, quorum varii longitudinem XV. & XVI. pollicum obtinebant. Ventriculus circa prædictum orificium, ubi lumbrici hæserant, sanguinolentus & quasi erosus sive commorsus offendebatur. Hinc verisimile est, illa symptomata a lumbricis, præsertim illis circa sinistrum orificium ventriculi valde nervosum & sensibile repertis, orta fuisse; & quia alias in pueris & adolescentibus convulsiones & epilepsiam ipsam anthelminticis curavi; idcirco suadeo Practicis, ut in similibus casibus ad vermes respiciant, & anthelmintica adhibeant, quibus sæpius plus profici poterit, quam nervinis quibuscunque. Quod propterea moneo, quia plerique Medici in spasmis & convulsionibus adultorum rarius plerumque de vermibus cogitant, qui tamen sæpissime omnium talium tragicorum effectuum caussa sunt. In eodem subjecto *uterus non in medio pelvis, sed prorsus in dextro ejus latere situs erat*, ut vix ulla vi versus medium reduci posset. In cordis dextro ventriculo magnus polypus in venam cavam se extendens, ex mera pinguedine constans, inventus est, qui palpitationis cordis caussa fuisse videtur. Reliqua bene se habebant.

(*Altorfio Noribergam d. 8. Januar. Anno 1716. missa.*)

OBSERVATIO LXXXVII.

Dn. D. Christiani Michaëlis Adolphi.

De mira Idiosyncrasia Fœminæ cujusdam ratione purgantium.

SI quid medicam praxin difficilem reddit, certe idiosyncrasia est & complicatio affectuum. Prioris exemplum præbet Fœmina Lipsiensis (P.) 50. annorum circiter; habitu corporis alias sat convenienti prædita, nec de hysterica passione unquam conquesta. In hac autem ea deprehenditur idiosyncrasia, ut nulla purganria

gantia, etiam minus fortia, possit perferre, sed ex eorum exhibitione maxima semper & pessima, sequantur symptomata, eaque pertinacissima: Nimirum cum fere semper per vitam alvo adstricta laboraverit, a diversis Medicis diversa præscripta ipsi sunt purgantia; sed semper infausto successu, insecuta namque sunt plurima mala, ut summa virium prostratio ad animi deliquium usque, languor totius corporis diu affligens, inappetentia sitis enormis, facies lurida &c. Inter alia ipsi præscriptus est nodulus purgans vino infundendus, ex quo immanissima tormina sequuta & quater alvum dejecit & (quod notabile fuit) quarto die tumor lateris sinistri ortus, humani fere capitis magnitudinem æquans cum gangræna accedente & alvo adstricta pertinacissima per duos menses durante, adeo ut vix clysteribus sæpius injectis solvi potuerit, ad quam curandam & ventriculi tormina sedanda varii advocati sunt medici; qui omnes convalescentiam desperarunt. Alius alia vice alvum solvere tentabat pulvere quodam purgante, ex quo irrito conatu exorti potius vomitus enormes, præcordiorum summa angustia, tormina ventriculi immania &c. & res visa est omnibus periculi plena. Hinc Medici ipsi non audent adhuc purgans præscribere, nec ipsa ejusmodi adsumere. Nimirum Purgantia subtili sale caustico naturæ inimico partes solidas rodunt & spasticis contractionibus, quas efficiunt, (ad quas suscipiendas fœminæ viris proniores sunt, in primis hystericæ passioni obnoxiæ;) ventriculi & Intestinorum tonum & motum peristalticum destruunt & non modo spasticis passionibus sternunt viam, sed & alui constrictionem relinquunt. Quare laudandus in eo Ascepiades est, quod omnia purgantia ex Medicina expulerit, Celso teste Lib. I. cap. 3. quia, (ut alio in loco legere est) malum succum fovent & naturam debilitant. Idcirco & parcissimus & circumspectus earum sit usus, etiam in sanis alias, si præservationis gratia exhibeantur. Suasu meo, cum neque mannam neque salia detersiva, ut Liq. terræ fol. tartari, Crystal. tartari & similia satis ferre possit, syrupum rosarum solut. in largiori quantitate assumsit cum Decocto malvæ, quæ ipsi semper præstant libetiorem alvum. *OESER-*

OBSERVATIO LXXXVIII.

Dn. D. Christiani Michaëlis Adolphi.

De Venæ Sectionis in Senibus utilitate.

VAna est Medicorum multorum persuasio, minime senibus conferre Venæ Sectionem, quia vires prosternerent, quæ tamen hac inprimis ætate maxime sint conservandæ. Verum non video, cur iis Venæ Sectio sit interdicenda: cum multi dentur senes, quibus vires sunt integræ, qui bene appetunt, copioso chylo & sanguine turgent, excretiones vero per alvum & transpirationem iis sunt ordinario segniores, quia motio corporis non adeo frequentius instituitur, hinc sanguis facile fit crassus ac tenax, qui viscera dein infarcit & lentam corruptionem infert, cujus generis ipse marasmus sic dictus senilis est, qui Venæ Sectione posset longius præcaveri. Vivit apud nos vetula 84. annum agens, quæ si adhuc non singulis vernali & autumnali temporibus Venæ Sectionem admittat vel tantum protrahat, quam a juventute instituit, male se habet, & symptomata ordinaria incurrit, quæ ejusmodi sanguinis retentionem sequuntur.

OBSERVATIO LXXXIX.

Dn. D. Christiani Michaëlis Adolphi.

De Venæ Sectionis in febribus Intermittentibus usu.

MUlti adhuc reperiuntur Medici, qui cum Erasistrato, Helmontio, Bontekoe aliisque V. Sect. in omni fere morborum curatione damnant, in primis hoc observare licet in iis, qui chymica sua medicamenta nimis extollunt, & ut arcana ubique venditant, plures vero hunc communem errorem errant, quod V. Sect. in febribus intermittentibus plane non convenire profiteantur persuasi, ac si ea contumaciores eas redderet, vel alias malas pediſſequas, cachexiam, hydropem, summam ventriculi debilitationem &c. accerseret; ast si experientiam consulerent, non adeo reformidarent V. Sect. usum in febribus intermittentibus:

per eam enim constat febres tertianas,imo quartanas, si habitus corporis habetur ratio & sanguinis quantitatis V. Sect. solam curare. Imo tutius per eandem cura harum febrium instituitur, recidiva & alia mala, quæ alias timent, ex ea præcaventur, cum iis, quæ forte ex corticis peruviani, aliorumque similium adstringentium præposstera exhibitione in plethoricis & sanguineis evenirent; verum V. Sect. non instituenda in paroxysmo vel circa eum; sed in diebus intercalaribus.

OBSERVATIO LXXXX.

Dn. D. Christiani Michaëlis Adolphi.

De Vomitoriorum necessitate.

NEc desunt Medici, qui Vomitoria penitus ex Medicina proscribunt, siquidem singula fere præsertim generosiora remedia suos habent contemtores atque osores v. gr. præter recensita, mercurialia, salivantia, sudorifera, diuretica, opiata &c. sed rem tentant solis purgantibus vel laxantibus si evacuanda sit materia peccans in Ventriculo & Intestinis hærens, sed irrito sæpius conatu; cum iis contenta e Ventriculo ejicienda etiam iteratis non ejiciantur. Maxime necessaria sunt in febribus, quoniam fomes febrilis plerumque latitat in intestino duodeno. Dicti veritatem sequens historia declarat: vir frustum carpionis, piscis, grandioris sed crudioris adhuc & non satis saliti, comedens, exinde sentiit statim ventriculi gravitatem inciditque in febrem quartanam. Medicus præscribit reiterata purgantia & laxantia, digestiva &c. sed febris magis exacerbatur quam minuitur aut sistitur. Advocatur alter, qui præscribit Vomitorium, durantibus adhuc doloribus gravativis Ventriculi, æger evomit totum fere frustulum piscis comesum ante 6. circiter septimanas durum ad instar casei, & statim exinde febre liberatur.

OBSER-

OBSERVATIO XCI.

Dn. D. Christiani Michaëlis Adolphi.

De malo hypochondriaco hæreditario.

MAlum hypochondriacum juxta scorbutum morbis vulgo hæreditariis non adnumeratur, experientia tamen contrarium suadet. Sæpius nam obveniunt liberi ex parentibus hypochondriacis nati, qui tenera jam ætate insultibus hujus mali vexantur; nec deest ratio: nam hujus mali causa non solum in impuritate humorum latet, verum etiam & potissimum sedem suam figit in nervis & anomalo animalium spirituum motu.

OBSERVATIO XCII.

Dn. D. Christiani Michaëlis Adolphi.

Herniæ quoque pertinent ad morbos hæreditarios.

OBservantibus bene notum est atque perspectum, morbos hæreditarios maxime esse spasmodicos, i. e. ubi vitium latet in cerebro, nervis & vitioso spirituum animalium motu, v. gr. epilepsia, sic omnes affectus dolorifici, ut arthritis, ejusdem sunt familiæ, item qui fundamentum suum habent in humorum vitio, sanguinis magna impuritate; nec excludendi ex hac classe sunt ii, qui nidulantur in vitio partium solidarum, in conformatione & dispositione p. n. ut phthisis, calculus, imo strumæ, scrophulæ, cataracta, coecitas sunt ejusmodi. Rarum est, quod tamen de puero ex vicinia notavi hernioso, cujus avus & proavus hernia umbilicari laborarunt, ut & omnes masculi ex iis geniti.

(*Lipsia Augustam Vind. d. 14. Januar. A. 1716. misse.*)

OBSERVATIO XCIII.

Dn. D. Conradi Bertholdi Behrens.

Hæmoptysis enormioris curatio.

COnstitutio hyemis anni præcedentis epidemia, uti ob summam

mam aëris inæqualitatem, & extremas frigoris atque tepœris vicissitudines, catarrhalis maxime exstitit, ita præsertim fluxuum sanguinis valde ferax fuit, & subin hæmorrhagiæ narium, hæmoptyses, hæmorrhoidum ac mensium fluxus consueti magis inordinati atque diutius protrahentes, mictusque sanguinis occurrebant. Inter alios Reverendus quidam Pater S. J. F. R. apud nos hæmoptysin patiebatur, quæ cum summe enormis exstiterit, & quantitas sanguinis intra triduum excreti triginta fere libras superet, ac insuper nulla post se relicta phthisi, quæ alias fere semper subsequitur, quaque frater ejusdem Osnabrugga obiit, feliciter a me curata fuerit, in gratiam juniorum Practicorum hic a me recensebitur. Ætas autem 25. annum vix superat, constitutio corporis gracilior, complexio sanguinea, & ipse motibus animi celerioribus obnoxius. Præludium mali post solstitium hyemale sensit, cum nulla prægressa occasione, ac forte ob solam aëris inclementiam frigusque rigidissimum, cui in scholis suis exponuntur, dolore capitis cum lassitudine corriperetur, cum maculis rubris sparsim per corpus totum apparentibus, quæ tamen omnia intra triduum naturæ beneficio superabantur, nisi quod tussicula remaneret, inque sputo subin ramenta quædam sanguinea apparerent. Hæc cum ille negligeret, proque gingivarum scorbuticarum productis haberet, ac nihilominus in docendo, disputando, concionando fervide continuaret, post quatuor circiter septimanas, cum forte vehementius se exercuisset, subito præeunte tussi magnam sanguinis floridi quantitatem exspuit, modoque post quatuor, modo duodecim, modo plures horas continuat tam enormiter, ut una nocte ad octo fere libras ejiceret, ac intra triduum plus quam triginta libras sanguinis excerneret. Simul autem in sinistro hyprochondrio dolorem gravativum percipiebat, qui imminente hæmoptysi punctorius evadebat, propter orgasmum scilicet sanguinis circa lienem effet vescentis.

Præcipiti hoc ac maxime ancipiti casu, Venæsectionem statim in talo pedis sinistri suadebam, quam cum nescio ex qua ratione aversa-

averſaretur, in brachio quidem admiſit, ſed ſucceſſu non adeo optato. Cum enim ſanguinis excretio per quatuor circiter horas ſubſtitiſſet, ſtatim poſt peractam V.S. motu ſcilicet ejusdem ceteriori per hanc reddito, ita recruduit, ut non niſi de imminente morte bonus æger cogitaret. Adeo etiam poſt ſtabilitam ſanguinis circulationem venarum delectus obſervandus eſt, præſertim ubi revulſione ſanguinis cum impetu ad partem quampiam ruentis, aut derivatione ejusdem alicubi ſtagnantis opus eſt. Nec quæ de ſputo ſanguinis poſt V.S. hic exaſperato notavi, ex accidenti contigiſſe arbitror, cum ſimilis caſus hæmoptoici a *Williſio in pharmac. rat. op. p.* 87. & ab *Excell. Riedlino Noſtro Lin. Ann.* 6. *p.* 610. hæmorrhagiæ quoque narium, poſt V.S. in brachio adminiſtratam iterum reſuſcitatæ, exempla ſuppeditentur.

Inter remedia vero, quibus ægro huic ſuccurrebam, ſequentia evidentem effectum præ cæteris præſtiterunt. 1. Mixtuta *Sylvii* in Miſcell. Cur. Dec. 1. Ann. 4. Obſ. 193. ℞. Aqu. plantagin. ℥ij. fœnicul. ʒj. Aceti ſtillat. ʒij. ſanguin. dracon. ℈j. Laud. opiat. gr. ij. Syr. myrtini. ʒj. M.d. quater repetita. 2. Unguentum ad hypochondrium ſiniſtrum & ſpinam dorſi, pro ſanguinis æſtu & motu corrigendo ac temperando. ℞. Ungu. infrig. comitiſſ. ana ℥j. Mucilag. ſem. cydon. ʒij. Nitri depur. ℈ij. M.d. Salbe. 3. Epithema ad thoracem *Clauderi* ex Miſc. Cur. Dec. 2. Ann. 6. Obſ. 185. ℞. Nitr. depur. ʒiß. Aqu. ſperm. ranar. plantag. Acet. roſac. ana ℥ij. M.d. Umſchlag. 4. Electuarium Timæi a Güldenklee l. 2. Caſ. 15. ℞. Conſerv. roſar. rubr. ℥ſ. miv. cydon. ʒvj. pulv. rad. conſol. utr. ʒij. ſem. portulac. papav. alb. Maſtich. Boli armeni, tragacanth. ana ℈iß. M. c. Syr. de ſymphyt. d. Latwerg. Quibus cum ſanguinis excretio ſiſteretur, ita ut nec ſputa amplius cruenta prodirent, pro ſanguinis coagulatione ac grumoſitate, ſi quæ forte ſubeſſet, reſolvenda, expectoratione promovenda, ac tuſſi lenienda ſequens mixtura primum data. ℞. Aqu. ſcabioſ. fœnicul. ana ℥ij. ſperm. cet. ℈ij. Lochſan. ℥iß. M.d. cui bis repetitæ, dein hoc decoctum ſubjunctum. ℞. Fol. marrubii, trifol. fibr. veron. chærefol. ſalv. ana Mß. Fl. Bellid. papav. rh. ana p. 1. Sem.

fœnicul. ʒiß. rad.chin. ʒiv. glycyrrh. ʒj. raſur. c. c. ℥j. ficuum. vi. coqu. ſ. q. a. f. colatura ℔j. deſpumetur cum melle roſaceo. Punctiones vero in latere ſiniſtro, quæ adhuc moleſtabant, ſequenti linimento calide applicato remittebant. ℞. Ungu. dialth. rubr. pot. ana ℥ß. ol. chamomill. ʒiij. ſperm. cet. ʒiß. M.d. Salbe. cumque levior quædam tuſſis ſubinde affligeret, die 18. Febr. ſequens Electuarium ordinavi. ℞. Conſerv. alth. tuſſilag. capill. ven. ana ℥ß. ſpec. diapenid. ʒiß. Extr. papav. tuſſilagin. ana ℈j. Loch de pulm. vulp. ℥ß. ſyr. de hyſopo. q. ſ. M. d. Bruſt Lattwerge. Quibus plenarie convaluit & hoc ipſo tempore, quo hæc ſcribo, in Osnaburgenſi Collegio Miniſtrum, vulgo ſic dictum agit.

OBSERVATIO XCIV.

Dn. D. Conradi Bertholdi Behrens.

De Cruentatione cadaverum poſt mortem.

INterrogatus his diebus ab Illuſtriſſimo quodam Domino, quid de cruentatione cadaverum poſt mortem ſentirem, quæ tum reſponderim, paulo plenius hic recenſere animus eſt. Extraordinarium quidem, naturale tamen eſt, ſanguinem floridum, etiam quinto poſt mortem die in non exigua quantitate per nares excretum in quodam, qui placida & maxime naturali morte ſeceſſerat, & apud quem violentiæ ullius ne ſuſpicio quidem ſubeſſe poterat, cujus exemplum *Riedlinus in Millen. Cur. Med. p.* 657. ſuppeditat. Ac menſes in muliere quarto poſt mortem die, utpote ſtato, proveniſſe teſtis eſt *Helvvichius, Miſc. German. Dec.* 3. *Ann.* 4 *Obſ.* 31. Sudorem etiam poſt mortem erupiſſe, exempla a *Frommanno Miſc. Germ. Dec* 1 *Ann.* 6. *obſ.* 185. *Ledelio Ibid. Dec.* 2. *Ann.* 9. *obſ.* 36. & *Fabro Append. Ibid. p.* 462. prolata docent. Quin quod magis eſt, in corporibus hyeme ſub aqua ſuffocatis & congelatis, ac poſt aliquot ſeptimanas in hypocauſtum calidum delatis; interdum hæmorrhagiam ſubſequi, exemplum quod *Rotenackeri* in *Suevia* ad Danubium anno ſuperiori accidit, inque *Actis Eruditorum Lipſienſibus* Ger-

man.

man. part. 13. *p.*78. recenſetur, monſtret. Scilicet a nova ſanguinis humorumque jam ex ſe putreſcentium ebullitione ſeu propter acceſſum aëris, ſeu corporis quoque commotionem inducta, effluxus ejusmodi accidunt, ac naturali ſua ratione nituntur.

In occiſis tamen interdum juſto Dei judicio cruentationem ejusmodi evenire, negandum quoque non eſt, urſitque *Illuſtriſſimus Dominus*, quem ſub initium obſervationis hujus indigitavi, maxime hiſtoriam in Panegyrico Paderbornenſi, *Monumentis Fürſtenbergiis ſubjuncto l.* 3. *c.* 4. occurrentem, Civis ſcilicet cujusdam a Liborio Conſule præcipiti ſententia ſuſpenſi, qui dein altero menſe poſt, ipſoque die, quo dictus Liborius pœnas iterum dedit, palam ac clare coram tota multitudine ſanguinem recentem ex ore, naribus, manibus, pedibus ac oculis ubertim per ſeſquidiem emiſit. De cujus hiſtoriæ veritate eo minus dubitari poteſt, quo plura alia hujus rei exempla partim Miſcellaneis Societatis a *Grübelio Dec.*3. *Ann* 1. *obſ.* 50. & *Crügero Dec.* 3. *Ann.*7. *obſ.*111. cum uberiori hujus quæſtionis tractatione inſerta ſunt, partim ab Autoribus fide dignis a *Zacchia Qu. Med. Legal. l.*5. *p.*429. & *Horſtio* ac *Thulemario* ibidem citatis, recenſentur.

Cauſam phœnomeni hujus, uti apud *Zacchiam* videre eſt, jam olim ſpiritibus, ſeu ut hodie loquuntur, effluviis ex homicidæ corpore exhalantibus adſcripſerunt, judicio tamen *Joachimi Camerarii*, maximi judicii Medici, in *Valentini Pandect. Med. Legal. Tom.* 1. *p.* 675. probabiliter tantum, non autem demonſtrative. Neque enim effluvia ejusmodi adeo activa eſſe poſſunt, ut in alterius corpore demortuo ebullitionem ſanguinis manifeſtam producere queant, ceu jam in *Selectis Medicis Sect. V. num.* 9. ex parte innui, & plenius in nova eorum editione adſtruetur, quæ ab eruditis non uno ex loco urgetur. Divini vero quippiam hic ſubeſſe, circumſtantiæ quædam arguunt, quarum *Schottelius lib. de Singular. German. jur. p.* 83. meminit, cum ſcilicet cadaver ſe erigit, manus ad Principem tendit, & poſt horam dimidiam ſe reponit, aut pro qualitate delicti complicum

in

in patranda cæde sanguinis effluxus variat, aut cadaver digitum ad vulnus, & inde ad vulneris autorem intendit.

Et cur Divina Nemesis non interdum hac ratione justitiam promovere intenderet, cum modis stupendis aliis id ipsum faciat? uti cruentatio ejusmodi portentosa avenæ in solo agro cujusdam uxoricidæ, teste *Valentino* in Misc. German. Dec. 3. Ann. 9. Obs. 195. accidit, cæteris agris undiquaque circumjacentibus prorsus intemeratis. Pertinent huc casus Stockholmensis apud *Erasmum Francisci Theatr. amœnit. German. Tom.* 1. p. 916. & plures alii, apud Autores fide dignos occurrentes.

Quamvis vero adhuc recentissime juxta cum aliis cruentationem hanc remedium ad investigandum homicidam infidum vocet Celeberrimus Autor *libri de officio Medici duplici* p. 608. duplici experimento inductus p. 625. Non video tamen quo minus in homicida adhuc dubio, nec alia ratione explorando, idem rite institutum, veluti Deo monstrante, amplectendum sit. Dico rite institutum eaque cautione adhibitum, quæ in praxi Criminali alias observari solet, ita ut judex non eo tempore, quo cadaver movetur, sed postquam per aliquod temporis spatium immotum sub jove frigido jacuit, judicium hoc instituat, & circumstantias omnes adhibitis simul in consilium prudentibus medicis, perpendat. Reliqua, quæ hic objici possent, accurate suo modo diluit *Crügerus* noster Observatione supra citata. Maximi forte ex iisdem momenti est, quod etiam ingeniose hic objicit *Zacchias*. Multa scilicet peccata homicidio graviora existere, in quibus tamen propalandis vindicandisque nullum miraculum interveniat. Hoc ipsum vero imperscrutabili Divinæ voluntati relinquendum, cujus essentia uti infinita & immensa est, ita quoque judicia ejusdem humana ratione comprehendi neutiquam possunt. Etiam fatales rerum casus, ac magnorum quorundam Principum mortes sæpe prodigiis quibusdam præmonentur, quæ negare hominis esset vel extreme præfracti vel stupidi. Cur vero hæc ipsa non semper casus ejusmodi omnes præcedant, etiam soli Divino huic Numini cognitum manet.

Dein

Idem præclarus *Zacchias*, ſub finem capitis Medicis ſuadet, ut opinionem ejusmodi omnino infirment, ne ex hoc judicio ſuorum quoque ægrorum occiſores arguantur, & homicidii pœnas luant. Id quod tamen jocus potius ejusdem quam ſollicitudo videtur, cum inter homicidam & fruſtratam curationem omnino maxima differentia exiſtat, & ejusmodi quippiam nulla certe ratione medico imputari queat. Hic enim ſi omnia fecit, ut ſanaret, partes ſuas artisque, etiam *Senecæ* Ethnici judicio *lib. de Benef.* p. 73. recte peregit.

OBSERVATIO XCV.

Dn. D. Jo ephi Lanzoni.

Vermis per vomitum ejectus.

GRaviſſime ex acuta & mal gna febre laboraverat vir quidam, Joſephus de Rogerio dictus, quam ſubſecuta eſt non levior dyſenteria; ab utroque malo ope medicamentorum liberatus, tanta fame deinceps correptus eſt, ut unica die varii generis eſculenta ingurgitaverit fere ad libras 64. nec tamen exinde fameſcere deſierit. Ad illam compeſcendam plurima adhibita fuere remedia, ex amaris potiſſimum compoſita, ut acidum exorbitans, quod tantæ famis cauſa credebatur, infringeretur: ea vero in longum tempus aſſumta & cum aloë commixta, expulere tandem inopinato vermem adeo grandem & horribilem, ut ſerpentis formam ac magnitudinem referret, qui ſtatim ab egeſtione vita privatus longitudinem ſuæ molis exhibuit palmorum 27. & ultra, atque ex parte ſupera piloſus apparuit; æger autem ſenſim reſtauratus, liber a tam moleſto vorandi deſiderio factus, adhuc in vivis eſt.

OBSERVATIO XCVI.

Dn. D. Joſephi Lanzoni.

Hydropica ſanata.

FOemina quædam conſiſtentis ætatis, Aurelia de Angelo vocata, per annum & ultra diro aſcite vexata, cum nullis vide-

ret se profeciſſe medicamentis, vitæ ejusmodi pertæſa & veluti in deſperationem ducta, ne ſitis ardore, quem intolerabilem profitebatur, pereundum ſibi foret, una die ſeptem prægrandes aqueos ut vocant cucumeres ſeu pepones devoravit, nec his contenta, aquam ad plures calices largiſſime potavit, adeo ut difficili mox & aucta reſpiratione preſſa, absque pulſu, totoque corpore algida jamjam moritura videretur; & quidem funus ac inferias propinqui paraverant, operientes infauſtum exitum proxime ſucceſſurum; ſed, en! cœpit inopinato tam affluenter urina per ſuos ductus erumpere, una cum copioſiſſimo ſudore, ut undique ubertim aquoſus humor efflueret, idque ad dies plurimos; & ſic tandem abdomen detumeret; tandem ingens juxta aures tumor obortus eſt de parotidum genere, eoque in ſuppurationem perducto ac curato, ipſa convaluit.

Ferraria Auguſtam Vind. d. 10. Febr. Anno 1716. miſſa.

OBSERVATIO XCVII.

Dn. D. Antonii Vallisnerii.

Acidus ſuccus ſero ſanguinis commixtus concretionem ejus impedit, ex Borello.

OBſervavit Borellus, quod quilibet ſuccus acidus ſero, ſeu albumini ſanguinis commixtus, & igni approximatus impedit ejus concretionem. Res hæc admodum me conturbat: pulchras enim fabellas texebam ex acido, conſultationes, remedia ipſa, vel acidum accuſabant, vel infringebant: quo nunc me vertam, vix invenio. Coagulavit Malpighius ad ignem ſerum ſanguinis ſine acidis, ſed neutrum experimentum par eſt Borelliano, acidum ſiquidem venarum in calore eſt, quale illud ad ignem, quare obſiſtet potius ſanguineis concretiunculis, quam favebit. Neque infuſum venis oleum ſulphuris aut vitrioli rem explicat, cum abſurdum ſit, talem vim mineralem vehementiſſimam intra agrotantium ſanguinem comminiſci, niſi forte peſtifero veneno laborent, ac penitus exitiabili: Nutante igitur cauſa petita ex

acido,

acido, quid me jubes sentire in posterum, quas afferre ad populum phaleras?

SCHOLIUM.

LIcet indoles sanguinis sit magis armoniacalis, quam acida, licet urina, & serum sanguinis, aut sanguis ipse extractus raro, aut nunquam acidum spiret, sed potius acrem halitum, aut urinosum, attamen Medici proclives admodum sunt ad acidum crebro culpandum, tanquam causam plurium morborum, maxime illorum, qui cum Methodicis possunt vocari morbi astrixime illorum, qui cum Methodicis possunt vocari morbi astricti. Si pleuritis, aut alia inflammatio accidit, si polypus concrevit, si dolor, si febris exoritur, illico habent in ore acidum, tanquam sanguis sponte sua non inclinaret ad coagulationem etiam procul ab omni aciditate. Motus tarditas, compressio in viis, spirituum cor agitantium languor satis virium habent absque acido ad sanguinem alicubi alligandum, incalescimus, atque inde aura suscepta refrigeramur; pleuritis in promptu. Quid necesse est hic acidum invocare, cum nullum revera peccet, sed coarctatio potius vasorum intercostalium, aut extimæ pulmonum membranæ, a frigore inducta? an illico acidum genitum est propter frigus, & in læsa parte consedit, ut spina? Nugæ, ut opinor. Nascitur offa, hoc est, coagulum etiam inter spiritum vini, & spiritum urinæ, ubi tamen nullum acidum intervenit. Sed recentiorum quorundam palato nihil sapit, quod non sit acidum, omniumque aures gaudent

Mordaci rodere aceto.

OBSERVATIO XCVIII.

Dn. D. Antonii Vallisnerii.

Singularis Diarrhœæ cura.

VIrgo Vestalis doloribus nephriticis arenosis obnoxia, & perpetua fere laborans diarrhœa, tunc solum mitescere alvi fluxum animadvertit, cum assumit uncias aliquot; e. g. tres, olei amygdalorum dulcium recent. s. i. extracti.

OBSERVATIO XCIX.

Dn. D. Antonii Vallisnerii.

Asphyxia diuturna.

VIrgo ruſtica 24. annorum, & magni roboris, poſt copioſum ſanguinis fluxum a naribus incidit in febrem acutam. Vocatus medicus invenit ægram ſine pulſu, & toto corpore frigidiſſimam adinſtar marmoris. Juſſit illi applicari ſiccas cucurbitulas, præter copioſam aquam cornu cervino imprægnatam, & nil aliud, tum propter ægræ paupertatem, tum quia jamjam moritura videbatur. Permanſit frigida & ſine pulſu per ſeptem dies, admirante Medico, illam tamdiu vivere. Tandem recaluit, ex brevi convaluit, eo ſemper uſa ſimplici, & inopi regimine. Cogitaverat hic Medicus de chinachinæ, ſed paupercula ægra illam recuſavit. Si aſſumſiſſet, profecto eventus felicitatem febrifugo tribuiſſemus.

OBSERVATIO C.

Dn. D. Antonii Vallisnerii.

Venæ Sectionis Uſus in Menſium defectu.

EXpertus ſum plures Virgines Veſtales, quibus menſtrua defecerunt, miſſo largius ſanguine a brachiis, egregie levatos, a pede vel parce miſſo debilitatos & læſos. Erat autem brachiorum ſanguis craſſus & piceus, a pede magis rubeus & ſeroſus. Frequens eſt etiam inter Moniales obſervatio, nonnullas optime ferre venæſectionem a brachiis, alias vero poſt ſuperiores venas ſectas neceſſe habere, ut etiam inferiores aperiantur, aliter vultu & capite mire rubent atque incaleſcunt. Quæ ſanguinem fervidum ſubtiliorem habent, videntur proniores ad exaltationem illius in caput, niſi ſecunda fiat in pede venæ ſectio; quæ gluti-
noſum habent, utiliter abſtinent a ſectione tali, nullo ad
cerebrum impetu tentatæ.

CENTU.

CENTURIAE SEXTAE

OBSERVATIO I.

Dn. Johannis Conradi L. Bar. a Brunn.

Anatome Peripneumonia cum hemitritæo defuncti cum Observatione circa Venas mesaraicas.

MAgnus Germaniæ Princeps, provectæ ætatis, senio & laboribus confectus, uti in rebus gerendis olim diligentissimus, ita toti nunc Germaniæ desideratissimus; temperantiæ exemplar, excessus, quos hospitalitatis gratia admisit, abstinentia plerumque triduana, expiavit; integra usus valetudine ad seram usque senectam. Multa sub finem vitæ occurrerunt fastidia, quæ alto pressit taciteque concoxit pectore. Inter cumulata negotia vertiginem quondam passus est, non citra metum apoplexiæ: Ulcus tunc in tibia exortum brevi consolidatum; vicissim cauterium in brachio, medicorum consilio excitatum fuit. Tandem ea passus est symptomata, quæ vulgo lieni adscribi solent. Raro usus est medicamentis, strictiori diæta contentus. Circa brumam quondam liberiori se aëri commisit, indeque gravem coryzam reportavit senex, cum debilitate & appetitus imminutione: quarta hinc die accessit rheuma cum tussi, siti & oris siccitate, non citra virium decrementum, bibit nihilominus vinum cum tertia parte aquæ, bibitque crescente illa copiosius. Hinc demum flammam concepit & erupit in febrim morbus, cum urina crassa, rubra, pulsu inæqualiter intermittente, lingua arida atque sicca. Et quod mirum, sitiit, nec tamen bibit, nares stillabant ichore, nec tamen emunxit eas; tussivit, nec tamen sputamina rejecit: illud, ne potu Catarrhi materiam augeret; hoc, ne plus subsequeretur, quam tussi aut emungendo

excerneret pituitæ. Hinc liquida omnia & potulenta, contra quævis naturæ atque medicorum monita pertinaciter non citra delirationis speciem recusavit, abstinentia a potu morbum superatum iri opinatus. Quotidie infirmus adivit *oratorium*, *Missamque* audivit, opertis nonnunquam fenestris.

Die morbi decimo advocatus sputamina vidi subcruenta, cum urina crassa, rubra; pulsu inæqualiter inæquali, linguaque arida & sicca. Inflammationem suspicatus Peripneumoniam nominavi morbum: interdixi vino & ut sese in lecto contineret æger, simul copioso potu uteretur, suasi cum mixtura antiplevritica Die XV. morbi pus erupit ex aure dextra, de cujus sonitu & dolore ante conquestus erat: sputamina cruenta in alba, cocta commutata fuerunt, cum spe fore, ut & febris deferveret, quæ tamen defectu humidorum magis incensa fuit, cum ingenti ardore præcordiorum & dolore sinistri lateris. Die XX. morbi surgere e lecto non valuit æger: crevit oris siccitas, pulsus magis inæqualis & urina intense rubra fuit. Die XXI. Febris cum intenso paroxysmo exarsit: subsequente remissior fuit; unde Decoctum pector. c. Cortic. Peruv. propositum fuit; at eodem, quo reliqua fato: Die morbi XXIII. respiratio accelerata cum sono stridulo: noctis hora undecima exspiravit.

In Cadavere sequentia annotata fuerunt: Aperto abdomine omentum subflavum apparuit: sub hoc venæ mesaraicæ statim in conspectum venerunt, quæ sanguine nigricante turserunt impense: vix contrectatis intestinis materia instar amuræ copiose prorupit sub diaphragmate, quam Prosector indagans ex stomachi parte superna disrupta profluere monstravit. Remoto sterno, ut omnia in situ naturali in conspectum venirent, lobus dexter pulmonis integer, sinister parte inferiori costis annexus fuit: hoc avulso materia collecta seu lympha inspissata supra diaphragma reperta fuit, ceu Vomica, interius undique lympha inspissata, incrustata. Sub diaphragmate, cui annexus fuit ventriculus idem gangrænosus, disruptus fuit. Præter turgescentiam ramorum portæ & venarum mesaraicarum

intesti-

inteſtina atro rubeſcentia; in inteſtinis, duodeno præſertim, ſanguis nigricans repertus fuit. Lien vitio caruit; ita & hepar, uti & renes cum veſica. Cor circa valvularum ſemilunarium ſtamina oſſeas habuit prominentias; ita etiam aorta hiſce obſeſſa fuit. In cerebro ſerum ſat copioſum, turbidum redundavit in ventriculis; cætera ſanum fuit. Uſus in Praxi.

Non male, me quidem judice, Praxis medica Anatomia experimentalis dici poteſt. Etenim poſt cognitum & perſpectum partium ſitum, figuram & connexionem, uſus non melius, quam ex læſa earum actione in vivis & morboſa diſpoſitione in demortuis ex anatome cognoſcitur.

De Vena Porta multus fermo inter anatomicos, multus quoque diſſenſus apud Practicos fuit. Sola hæc exiſtit inter omnes totius corporis venas, quæ impulſum ſanguini, (elanguescente illo, circa arteriolarum extrema a corde impreſſo) per hepar ſubdit; cum cæteræ omnes conales ſint, per quos ſanguis libere refluit ad cor; hic autem per ramos venæ portæ refluus ſecunda & nova, per hepatis ſubſtantiam circulandi vi & preſſione opus habent; ex quo diverſitatis venæ portæ ab aliis ratio diſpaleſcit. Cæterum ut preſſius hanc vim motivam perſequamur, obſervare eſt, quod per vaſa lactea chylus, vel ſenſu teſte, propellitur ex inteſtinis per glandulas meſenterii, *Pancreas Aſellii* dictas, quibus ille per vaſa lactea primi generis parte convexa infuſus, & per ſubſtantiam earum percolatus, parte oppoſita a vaſis lacteis ſecundi generis recipitur, per ductum thoracicum ad maſſam ſanguinis vehendus, de quibus alibi commentatus ſum. Non abſonum forte videbitur, ſi dixero, eodem embolo ſeu impulſu uti naturam tam in vaſis meſaraicis, quam lacteis & admiſſo ex inteſtinis etiam per vaſa meſaraica humore, hepatis ſubſtantiam trajicere ſanguinem per ramos venæ portæ allatum, indeque in radicibus venæ cavæ recipi, ſimili methodo; utrinque, diverſo licet tramite, tendere viam ad cor: ita autem cum Veteribus loquar, & cum recentiorum anatomicorum pluribus. Faciliorem quoque humoris ſeu chyli

per

per vasa mesaraica quam lactea transitum monstrant experimenta: flatus enim per ramum venæ portæ adactus versus intestina facile transit & penetrat in illa, etiam atramentum, id quod circa vasa lactea nondum ostenderunt experimenta. Nec alia, quantum scio in piscibus & volatilibus chyli via ad sanguinem, quam per vasa mesaraica visa aut detecta fuit hactenus anatomicis.

Utrum diversi generis humor ex intestinis per utrumque vasorum genus, mesaraica scilicet & lactea feratur in animalibus, quibus utrumque vasorum genus indidit natura, nostrum non est, (nec locus, nec tempus) pluribus hic excurere: forte potulenta per mesaraica; esculenta per lactea magis feruntur, ut continuato menstruo lymphæ ad majorem dissolutionem atque perfectionem perveniret chylus, proxime in sanguinem convertendus. Et hæc forte ratio est, cur perfectioribus animalibus lactea quoque vasa, præter mesaraica largita est natura; imperfectioribus contra nonnisi mesaraica concessit: Chylus autem in vasis mesaraicis propter admixta potulenta non appareat albicans: scilicet pro diversitate animalium, quam statuit summus rerum conditor, diversa quoque ipsis insevit organa nutritionis.

Nec proin mirum videri debet, cur venæ mesaraicæ in tanta tamque pertinaci abstinentia a potu tantopere distentæ fuerint sanguine: Etenim propter potulentorum, ex intestinis robore fibrarum intestinalium atque musculorum abdominis, in quo vis motiva chyli consistit, impulsorum defectum non potuit non sanguis crassior, potulentis non dilutus, in canalibus venæ portæ hærere, calore febrili magis inspissari; qui inflammationem, tandem gangrænam intulit atque mortem; id quod in hemitritæo defunctis observavit *Spigelius* & posteritati annotavit, maximo suo merito.

Causa quoque, cur noxium sit febricitantibus, quæ nonnullorum est erga miseros tyrannis, negare potum intelligitur. Etenim cum in primo aditu circulationi officiat defectus humidi seu potulentorum, tum vero in fluidis totius corporis no-

cere

cere ex his intelligitur ; unde tot natura exſtruxit organa hydraulica tam ſecretoria, quam excretoria, quibus liquidorum copiam expetere & neceſſitatem eorum innuere videtur.

Hypochondriacorum plerique (quibus & noſter ſub finem vitæ annumeratus fuit) parum bibere ſolent : utrum acidum ſtomachi ſitim extinguat, viderint alii : ita autem circulationi per ramos venæ portæ atque hepar officiunt, & ſtagnationi ſanguinis inibi anſam præbent. Guarinonius in conſultat. 584. *ſeſe non raro inveniſſe obſtructas meſenterii venas adeo dilatatas, ut ſpeciem inteſtinorum potius quam venarum præ ſe ferrent*, affirmat. Veteres in affectione hypochondriaca obſtructiones venarum meſaraicarum atque lienis cauſſati fuerunt, & abhinc plures, qui Venam portam, portam malorum dicere non dubitarunt.

Ratio quoque eluceſcit, cur in affectione hypochondriaca acidularum potus præ aliis remediis potiſſimum ferat punctum. Etenim copioſe hauſtæ robore fibrarum inteſtinalium & muſculorum abdominis reſpirando propelluntur per ramos venæ portæ, ſanguis ita diluitur, ſtagnans propellitur, obſtructiones ſolvuntur, particulis martialibus invigoratur fluidorum maſſa, magno hypochondriacorum juvamine & ſolamine. Hinc *Zacharias de Aff. hypochondr.* humectantia præ cæteris laudat & commendat. Novi ex ſimplicis juſculi potatione matutina, longo tempore continuata ingens bonum reportaſſe alios & ex ſeri deſtillati uſu adhuc alios. Nec infuſum Thé improbandum, dummodo uſus non in abuſum, tanta eſt hominum intemperies, verteretur. Ingens inſuper commodum ſenſiſſe nonnullos ex copioſa potatione calidæ, ſeu decocti, cujus per ſex continuos dies quotidie lbxxiv. potando, circulationem ſanguinis ſegnem reſtaurarunt, ſalibus & ſaporibus peregrinis fluida corporis everrerunt, canales glandulasque perluerunt, non veſcentes niſi vitulina aſſa ; in aurem dixerim intelligenti, in ſcorbuto præſertim celebrandum remedium. Usque adeo verum eſt, natu-

ram non frustra tot & tanta in corpore posuisse vasa hydraulica, quibus fluidorum usum expetere & innuere videtur.

Prima & hinc lethalis morbi causa fuit fluidorum crassities, quam tum frigore ambientis, tum animi moerore contraxit æger: qua serum sanguinis primo circa tunicam glandulosam narium stagnans coryzam; hinc in pectore congestum abscessum, vomicæ instar genuit; nec sibi ab aëre, nocentissimo in hoc casu temperavit æger in morbi progressu; crassitiem auxit abstinentia a potu. Cumque morbi sedes contigerit in vicinia diaphragmatis, consentaneum est, subjacentem & diaphragmati connexum ventriculum labem contraxisse tanto facilius, quanto magis venæ epigastricæ sanguine adusto turgidæ dispositionem ad gangrænam intulerunt, non citra febrim, quæ continua quidem, incertis tamen, quod fieri solet, intervallis exacerbata fuit, hemitritæus hoc nomine *Spigelio* de *Hemitritæo* dicta.

Ejusdem crassitiei seri effectus forte fuit humor turbidus in cerebri ventriculis, qui crassior forsan, quam ut per poros glandulæ pituitariæ percolari potuerit, hinc restagnavit, de quibus alibi jam olim dictum fuit.

OBSERVATIO II.

Dn. D. Antonii Vallisnerii.

Venæsectio frequens innoxie instituta.

Monialis annorum 50. cachectica, alba, subdelirio melancholico ex mensium retentione olim per intervalla tentata, cum inæquali & dolorifico mammæ sinistræ scirrhoso tumore, jam quindecim abhinc annis, ut vehementem mammæ dolorem leniret, frustra usa præsidiis purgantibus, aperientibus & edulcorantibus, cum ex nulla re, præter missionem sanguinis levamen perciperet, semel ausa est, sanguinem ipsum ad quatuor usque libras sibi detrahere, cogens chirurgum, ut duas libras mane a brachio, duas vespere a pede manare sineret, cumque primum feliciter processisset experimentum, peracto mensis curriculo,

culo, dum mamma iterum impense doleret, eandem profusionem impetravit a Medico cum admirabili doloris placamine, donec cursum suum mensis confeciſſet, tunc enim iterum dolor & delirii pericula: itaque iterum sanguis eadem largitate funditur. Quid plura? Hoc unico præsidio per singulos menses adhibito salva adhuc est & incolumis. Sanguis niger & polyposus in superficie, hydropicus tumor, ut Medici minitabantur, nullus advenit. Ceream tamen habet effigiem atque cachecticam, sed viribus integris, & exercitationibus utitur. Si mensem unum cesset ea copia sanguinem mittere, torquetur dolore, & pene redigitur ad insaniam. Horret Medicus, Chirurgus, Moniales effrenem sanguinis evacuationem, sed eventus optimus ipsam commendat. Quid hic dicent Erasistratei? quærenda ratio est, non neganda experientia.

OBSERVATIO III.

Dn. D. Antonii Vallisnerii.

Venæsectio utiliter in puerpera instituta.

PUerperæ feliciter lochia fluebant, attamen repente cordis palpitatio, subdelirium, febris, pulsus inæqualis. Ad res hystericas & cordiales me convertebam, veritus recte institutum cursum sanguinis per phlebotomiam perturbare. Postera die rebus in pejus ruentibus, licet constanter & pro more uterus manaret, a pede sanguinem fudi ad uncias septem. Reversus eodem die ad visitationem omnia reperi sedata, & ægram in tuto. Respondeant hic Erasistratei, non mihi, sed ipsi naturæ utilitatem venæsectionis magnifice affirmanti.

OBSERVATIO IV.

Dn. D. Antonii Vallisnerii.

Menstrua a Venæsectione maturius erumpentia.

CUm septem diebus ante menstruorum consuetam periodum egregiæ mulieri sanguis e brachio mitteretur ad uncias octo,

ob dolens hypochondrium, paucas post horas menstrua fluere cœperunt. Quis apte declaret hujus præmaturæ crisis rationem? Dicerent aliqui exoneratam & adjutam naturam phlebotomia superfluum noxiumve sanguinem, quo veluti sarcina premebatur, alacriter depulisse. Alii expedite magis a natura paucum sanguinem agitari posse, quam multum, eaque agitatione propulsum ante tempus a venis majore motu temporis maturitatem impletam. Alii dempta copia magis constringi arterias, & celerius sanguinem trudi. Alii resistentias circulantis sanguinis minores supereresse, ideoque vehementius motum erupisse. Riverius opinaretur, revulso ad superiora sanguine, desiisse plenitudinem tensionemque vasorum ureri, qua dempta effluxus facilior, quemadmodum vesica depleta, vel minus tensa promptius dimittit urinam. Uno ore per phlebotomiam conciliari sanguini motum majorem fatentur Medici. Magis reconditas verioresque causas quærant illi, qui diserta & docta otia transigunt in umbra scholarum. Mihi satis sit observationem narrasse. Sæpe idem videre mihi contigit in aliis mulieribus, sed quæ crassiorem copiosioremque haberent sanguinem.

SCHOLIUM EJUSDEM.

EX ista observatione licet conjicere per opportunam venæsectionem nova quandoque motuum momenta in sanguine gigni, per quæ tanquam cuneos validiores omnem viarum difficultatem exsuperet, atque recludat, 2. criticas expulsiones sollicitari, 3. indolem sanguinis fieri vividiorem, motus enim citatior evincit plus vitæ atque spirituum inesse sanguini, quam antea inerat. Dixi: *quandoque*, coercemus enim immodicas hæmorrhagias per ipsam venæsectionem, vel propter inductam sanguinis inopiam, vel infractos spiritus vitales, vel revocatam ad vulnus phlebotomo factum sanguinis nisu directione; ut enim rivulus prono magis, & amplo foramine invento a consueto deflectit cursu, ita & sanguis; sed hæc alii videant. Nequeo interim dissimulare dubitationem, qua me premi sentio; nimirum

quo

quo rapidior eſt motus ſanguinis, eo difficilius fieri ſecretiones & extra verſus orbitam propulſiones: exemplo ſunt febres, in quibus ſanguis vehementer motus nullos agit conatus criticos, lentior factus in declinatione urinam & ſudores movet. Reſpondetur ex motu mediocri prodire ſecretiones, non ex immodice ſegni aut rapido, ſanguis enim vix particulas betereogeneas diſſolvit aut circumfert, rapidus a meatulis viſcerum ſecernentium abducit; miſſio vero ſanguinis lenem & placidam motui ſanguinis conciliat ſollicitudinem.

OBSERVATIO V.

Dn. D. Antonii Vallisnerii.

De Venæſectione in lienoſa.

MOnialis vultu pallens & lienoſa, ſingulo trimeſtri, dum lien magis tumet ac dolet, poſtulat ſibi detrahi a brachio ſiniſtro libram ſanguinis, & proximo die tantundem a pede, Medico non renuente. Ita quamvis cum ægro aſpectu, ab ulteriori morbo vivit incolumis, licet a viginti quinque annis ea utatur evacuatione. Sanguis illi craſſus & piceus. Menſtrua, dum ætas ſineret, rite fluebant. Vino generoſo uti conſuevit. Venit hic in mentem ſententia Galeni, ita ſcribentis: *Invenire tamen nequeo, quamobrem Medici lienoſis ſanguinem detrahere neglexerint, ſiquidem ego ingentem perpetuo utilitatem provenire conſpexi, ſi vel libra duntaxat una detracta foret*; de cur. rat. per ſ. m. cap. 15.

OBSERVATIO VI.

Dn. D. Antonii Vallisnerii.

De Venæſectione in Eryſipelate.

VIr ſexagenarius craſſis & melancholicis ſuccis abundans, corripiebatur eryſipelate in ſiniſtro crure. Prima & ſecunda die fruſtra localibus remediis uſus, cum noctes haberet inſomnes, & quendam, ut loquebatur, in præcordiis nodum, vo-

cavit Medicum, qui decem uncias glutinosi, nigrique sanguinis emitti jussit ex brachio sinistro cum aliquo levamine; altero die Medicum dimiserat. Tertia post phlebotomiam revocavit Medicum, pondus in pectore & circa cor accusans. Iterum ex alio brachio sanguis missus ejusdem constitutionis, sed qui plusculo sero, quam prior sanguis temperabatur. Iterum melius habere visus Medicum dimisit. Crus interim minus dolens, sed non minus tumens, ut suppurationem minaretur. Quarta die a secunda missione sanguinis Medicus cum celeritate arcessitur. Invenit ægrum pene morientem cum pulsu inæquali, & quandoque intermittente, nec non difficultate respirationis. Perterritus Medicus quid faceret, ambigebat. Præmisso prognostico, & sacerdotum necessitate, tertiam aggreditur phlebotomiam ipso ægro sollicitante; educta est libra sanguinis ex brachio sinistro, & miraculi adinstar vitæ restituitur. Ut bonum certius esset, duo vesicantia coxis affixa; sanguis minus picei coloris, sed cum sero admodum flavescente. Post paucas horas rediens Medicus ad visitationem, invenit ipsum hilarem, & cum optimo pulsu. Hic fileant Erasistratei, inter quorum manus profecto expirasset ægrotus. Non sola hic opus fuit missione sanguinis, sed etiam multa. Mirabilis Galenus in historia prima Economi inquit: *Protinus detractione tres sanguinis libras exhausi, deinde hora nona aliam, a quibus mirifice refectus est.* Ita ille, non pulchra verba proferens, sed rem ipsam, & eventum, qui etiam stultorum magister est. Nostris vero temporibus horrent Medici tertiam venæsectionem, ablatam plenitudinem dictitantes. Multi vero ægri propter adeo cautam doctrinam intereunt non sine dedecore phlebotomiæ, tanquam nihil juvamenti attulisset, vel potius obfuisset, cum verum crimen in parcam nimis & timidam phlebotomiam sit rejiciendum. Num oculi Economi largam requirebant missionem sanguinis, cor & pulmones in nostro casu non requirebant?

SCHO-

SCHOLIUM AUTHORIS.

ADeo magis placet Erasistrateis siccus interitus ægrorum suorum, quam profusa cruore sanatio, ut illis morientibus, & nutu phlebotomiam flagitantibus malint opem negare, quam a sententia desciscere. Quid hic sanguis hircinus, quid ens veneris, quid salia volatilia? Obiisset cum tota specificorum cohorte misellus noster: sanguis enim multitudine, atque crassitie gravans pulmonum vias & cordis qua ratione a pacante remedio vel agitante juvare potuisset non video, agitatio enim tumorem facit & expansionem, pacatio torporem, quorum alterum magis vasa distenderet & impediret, alterum sanguini ægre incursum suum nitenti majorem segnitiem induceret. Stimarchi famulam, in qua peccabat retentus sanguis, sanavit vena in talo secta. Quid ibi egissent Erasistratei, quo consilio magnum Hippocratem exæquassent, aut emendassent? Res gesta feliciter ab Hippocrate aut pertinaciæ ipsos redarguit, aut erroris. Mali fontem pervestigandum & subtrahendum censuit divinus senex. Si natura ipsas liberas vires, si vocem haberet, quid aliud diceret aut faceret?

OBSERVATIO VII.

Dn. D. Antonii Vallisnerii.

Dolor capitis sanguinis emissione curatus.

NObilis mulier sexagenaria vexabatur dolore capitis. Secta in brachio & pede vena parum vel nihil profuit, sed cum vena pedis adhuc a sectione recens forte reglutinaretur & ægra dormiret, duæ adhuc vel tres libræ sanguinis effluxerunt. Soluto somno invenit ægra lacum sanguinis in lecto. Perterrita quidem est, sed sensit se a dolore capitis liberatam, quo semper imposterum caruit.

Qui a natura ipsa nolunt addiscere utilitatem venæsectionis, discant a casu. Præcipue res hæc illuminat quantitatem emissionis, quæ copiosa esse debet, alias carebit sperato fructu, non

culpa

culpa remedii, sed imperitiæ artificis. Scimus quam multum sanguinis in caput affluat. Si hæserit in cursu, si propinqua vasa compresserit, effundendæ serositatis aut aliquam circulationis partem præpediendi occasionem præbet. Multa vero detractio aut accelerat recursum in venas, & per venas, aut tutatur ab exitu serum, aut jam effusum resorbet, vel demta pressione ad erumpendum per alias vias aut transpirandum sollicitat. Tumebant, ut suspicor, memoratæ mulieri vasa & sinus meningum, & divulsa tensione, vel acri sero propter lentum ac sibimetipsi resistentem motum sanguinis exsudante vellicabantur. Medica phlebotomia moderabatur quidem novum sanguinis ascensum, sed veterem semistagnationem & exuvias deponentem non immutabat aut deplebat. Opus erat effusione ubertim facta; ut enim tumentia propter quietem inter ripas suas flumina tenuis effluxus per rivulum non exonerat, ita medica venæsectio refluum ad cor sanguinem nonnihil minuens, vix humorem cephalicorum vasorum deprimere valuit.

OBSERVATIO VIII.

Dn. D. Antonii Vallisnerii.

Diuturnarum febrium cura.

Duæ Virgines Vestales diuturnis febribus cum dolore ad latus sinistrum sine tussi laborantes, sumta pluries chinachina nihil opis sensere; imo altera ex illis frequenti lipothymia post febrifugi usum prehendebatur; cui Medicus per aquam spiritu salis ammoniaci large imbutam subveniebat.

OBSERVATIO IX.

Dn. D. Josephi Vallisnerii.

De Quartanæ curatione absque Chinachina.

Anno 1678. binos adolescentes rusticos a quartana jam diu vexatos invitus fere medicamentis tractare coactus fui; quibus,

bus, præmissa universali purgatione, sanguinisque missione, Electuarium chalybis cum tantillo extracti ellebori nigri, & portione myrrhæ, ac cæteris convenientibus exhibeo, & quandoque etiam pilulam ex ellébori nigri extracto vesperi ante cœnam assumendam præbeo; & uterque perbelle viginti circiter diebus, paulatim diminuta febre, convaluit. Ab Exc. Ferrarino sæpius audivi, se frequenter quartanarios curasse, exhibito minorativo, humori peccanti proportionato, per quatuor horas ante accessionem, per tres tamen, aut quatuor vices, & ulterius. A duobus etiam viris fide plane dignis accepi, quod postquam diu quartanam sint passi, & innumera remedia, tum empirica, tum a Medicis usitata methodo præscripta incassum experti sint, alter incipiente febre se mense Augusti, per aliquot horas in flumine balnearit, & perfecte sanus evaserit, alter autem iter agens, transeundo flumen, se totum madefecerit, febrisque non amplius ipsum vexaverit. Celebris est etiam illius famuli historia, qui herum suum a quartana rebelli protinus liberavit, ipsum in flumen inopinato impulsu projiciendo.

(*Hæc & seqq. Observationes D. D. Josephi Vallisnerii, trium Principum Estensium Archiatri &c. ante triginta annos defuncti, communicationi Patrui ipsius, Illustr. D. Antonii Vallisnerii debentur.*)

OBSERVATIO X.

Dn. D. Josephi Vallisnerii.

Colicus dolor frigidis & glacie devorata sanatus.

Figulus quadragenarius, biliosi temperamenti, inserveniens Serenissimo Borso Estensi, acerrimo ventris dolore, mense Augusti conflictabatur, ad quem sedandum bini Medici seniores calida, flatusque, uti dicebant, discutientia præscribebant, ex quibus in pejus ruebat. In consilium vocatus, animadvertens ex siti inextinguibili, & linguæ scabritie, aliisque signis, colicum dolorem ex causa calida pendere, aquam Villensem copiosam præscripsi, & morbus remisit adeo, ut ipsum jam sanum dimiserim.

Duobus elapsis diebus dolore rursus tentabatur, rursusque aquam illam præscripsi, & dolor quievit. Sed tribus elapsis diebus acerbius vexabatur cum concussione totius, ita ut jam desperatus haberetur, & vix loqui potuerit; attamen veluti balbutiens aquam glaciatam petiit, quam ipsi concessi, qua devorata melius se habuit. In sequenti visitatione frustulum glaciei vehementer exposcebat, quod, licet convulsio adhuc integre non cessasset, concessi: defertur frustum duos panes magnitudine æquans, quod avidissime cœpit dentibus frangere & devorare, ita ut summa cum voluptate totum, cibi optimi adinstar, ingurgitaret, quo facto, tanquam miraculo, dolores omnes evanuere, nec quidquam mali amplius sensit.

OBSERVATIO XI.

Dn. D. Josephi Vallisnerii.

Dolor colicus aqua sanatus.

D. De Casatis, presbyter Regiensis, quatuor jam diebus acerbo vexatus dolore, curabatur ab Exc. Croto, qui insistens oleo anisorum, theriacæ aliisque calidis, in deterius continuo labebatur, & cum siti inextinguibili febricitabat. Accersitus ad consilium statim animadverti, Medicum deceptum esse, qui flatus frigidos accusabat, cum ab humore bilioso dolor ille dependeret. Proposui potus refrigerantes, quibus Crotus non annuebat, sed patiens mihi assensum præbens, libras quinque aquæ Nuceriauæ avidissime bibit, & mitescere dolores cœperunt, qua nonnullis transactis horis repetita protinus cessarunt, & perfecte sanus ab Orci faucibus evasit. Non ita Thomæ de Bonimiliis, temperamenti calidissimi contigit, qui pariter dolore colico divexatus, & licet, ab alio Medico præscriptis calidis remediis ipsum medente, in pejus rueret, attamen me consulente, ut aquam frigidam large biberet, una cum Medico renuens, miserrime periit.

OBSER-

OBSERVATIO XII.

Dn. D. Josephi Vallisnerii.

Catalepsis curata.

Puer decem annorum, media hyeme, corripitur repente totius corporis immobilitate, cum oculis apertis, extensis manibus, cognitionis, omniumque sensuum abolitione, eo modo remanens, quo reperiebatur, cui si brachium elevabatur, illud elevatum servabat. Per horam unam, modo plus, modo minus ita moravabatur; hinc restituta cognitione, sensibusque omnibus bene valentibus mirifice distorquebatur, agitabatur, & si in lecto decumbebat, irrequiete saltitabat. Ob hos motus ipsum epilepticum judicabant Medici tum præsentes, tum exteri, qui super hoc morbo consulebantur, ab inconcinna Medici assistentis historia fortasse decepti, qui multa antepileptica præscripserunt. Omnibus igitur per quatuor menses incassum tentatis, meæ curationi puerum subjecerunt, qui statim animadvertens, non epilepsia, sed catocha seu catalepsi teneri, ipsum Arcano corallino præcipue, aliisque paucis remediis ad pristinam sanitatem revocavi.

(*Patavio Augustam Vindel. d. 17. Febr. Anno 1716. missa.*)

OBSERVATIO XIII.

Dn. D. Antonii Vallisnerii.

De pluvia lapidea.

Livius dum Lapidibus pluisse lib. 1. Histor. &c. memoravit, aliorumque censuras propterea expertus fuit, merito excusandus est; cum non: *vidimus*, sed: *nunciatum est*, lapidibus pluisse scripserit. Historica sinceritate refert id, quod ab aliis nunciatum est; neque se vadem sistit aliquis pro eo, quem aliquid retulisse allegat. Neque res nova est dura ejusmodi pluvia, aut de cœlo delapsus, qui vulgo tam portentosus videtur. *Conr. Gesnerus* in libro *de lapidib. figur. pag.* 66. scripsit: *Lapis e cœlo delapsus anno salutis* 1492. *qui Ensisheimii in templo suspensus visitur, pondere trecentarum librarum civilium, ut audio &c. nullam, puto certam figuram habuit, &c. a saxo arenario duritie parum*

parum differt. Et ipse ideo caute, ut sapientem decet, loquitur, dicens: *ut audio*; nec miraculum propria visione confirmat. Veronæ in templo aliquo servatur unus, spongiosus, arenosus vel tophaceus, quem de cœlo decidisse referunt, cujus frustum in meo museo possideo. *Leonhardus* Medicus in erudito suo libro *de gemmis*, *l.* 1. *c.* 5. idem asserit: *nostris temporibus in partibus Galliæ Cispadanæ lapis magnæ quantitatis e nubibus cecidit. Plinius*, non semper stuprator animorum, uti recentiorum aliquis eum adpellat, *l.* 2. *c.* 26. scripsit: *Eodem causam dicente, lateribus coctis pluisse, in ejus anni acta relatum est*; ubi etiam *de prodigiosis pluviis, lacte, sanguine, carne, ferro, lana* &c. tractat. In *eodem libro*, c. 58. asserit: *Celebrant Græci Anaxagoram Clazomenium prædixisse cœlestium literarum scientia, quibus diebus saxum casurum esset e sole. Idque factum interdiu in Thraciæ parte ad Ægos flumen.* Quod, ut sincere dicam, fabulam olet, non quod saxum de cœlo, sed quod e sole ceciderit, idque Anaxagoras ex stellarum scientia prædixerit; in quo ad famosum Picum Mirandolanum, & Montanarium meum conterraneum in sua *Astrologia convinta di falso* me remitto. Non credo, quod tam insignis vir, qualis *Plinius* fuit, unquam tam singularem prædictionem, aut singulariſſimum casum lapidis, ut ita dicam, in ardentissimo solis fornace fusi & cocti, crediderit. Argumentum, quod tam clarus vir *l.* 2. *c.* 28. candide protulit, dicens; *quin & ideo lapidibus pluere interdum, quod vento sint rapti*, melius dicere non poterat. Omnes prædictæ prodigiosæ pluviæ non in campis aëreis conficiuntur, sed in sublime a ventorum furentium impetu rapiuntur, qui dum congrediuntur & cum violentia inter se colliduntur, nec unus alteri cedit, in hac vehementi pugna verticosos in motus impelluntur, & quidquid in terra reperiunt, in centrum suum abripiunt, in sublime ferunt, atque in alium locum, cum stupore adstantium, non sine credito a quibusdam miraculo, iterum rejiciuntur.

Cum Venetiis sub directione celebris Florii praxi medicæ studerem, enorme illud incendium in vico, ubi asseres venduntur, accidit;

accidit; unde & ipſe illuc me contuli, tam memorabile ſpectaculum viſurus; aſt ocyus aufugere debui, ob turbines ibi ſævientes, aut ventos in vortices actos, cum tabulæ illæ ita in ſublime, ut viſum quaſi effugerint, abriperentur, & ubi furor ventorum remittebat, cum periculo circumſtantium iterum decidierent. Corpus etiam grave adſcendit, quando, ut ita dicam, ſurſum premitur, aut violenter impellitur & abripitur. Inter res naturales a me collectas ſaxum ovale, undecim circiter unciarum pondere, ovo anſerino majus, cinereo obſcuriore colore præditum, quod & ipſum ex aëre, in Calce, territorii Vicentini, in atrium M. Vicentii Mottæ, modo prius diligenter mundatum, ut nullus ibi lapis, prout nec in vicinia reperiundus fuerit, d. 7. menſis Julii Ao. 1635. inter maximæ molis grandines delapſum eſt, poſſideo, cum adpenſo teſtimonio authentico manu Notarii facto, quod veritatem rei teſtatur.

Unde evidenter adparet, non eſſe fabuloſum lapidum de cœlo delapſum, modo res recte perpendatur, &, prout *Plinius* prudenter dicebat, *quod vento ſint rapti*, non quod intra nubes generentur, ut quidam Ariſtotelici crediderunt, & cauſam invenire conati ſunt, in medium fabuloſam ſuam & ridiculam antiperiſtaſin adducentes.

Ita etiam de ferro, lana, lateribus, carne & ſimilibus dici poteſt, quod interdum ex alto præcipitata fuerint; aſt lacte & ſanguine pluere potuiſſe non credo, poſtquam rivi aut lacus paludesve hujus illiusve in terræ ſuperficie non inveniuntur; & ſi fortaſſe flatus, aut, ut ita dicam, raptus ventorum lac paſtoribus, & ſanguinem macellariis, aut ubi ſanguinolentus aliquis conflictus fuerit, in aërem ſuſtuliſſet, neque hæc neque illa vera pluvia, ſed potius inæqualis cum aqua mixtura, & diſtincta materia, tum rubicunda, tum alba foret.

Conjecturari etiam licet, quod, ſi e terra vapores & exhalationes variæ extollantur, & interdum in illis ſalia aliqua aut ſpiritus immergantur, ab his textura fluidorum immutari, atque modo hic, modo alius in eis color produci poſſit. Videmus quod

aqua vitæ aut aqua ardens cum aqua communi mixta, lacteo colore eandem imbuat. Sic aquæ in plumbeo vase destillatæ, aquam fluvialem, thermalem, fontanam & putealem albam efficiunt. Oleum anisi, & tartari, in ea nubeculam albam, modo in superficie, modo depressiorem præsentant, quæ ab agitatione per totam aquam diffunditur; & aquas graves, ponderosas, ac mineris prægnantes color lacteus penitus occupat atque in eis occultatur. Oleum tartari in albo vino effectum diversum edit, subtilissimum limbum coloris sanguinei in eo producens, qui, vino agitato, naturalis sui libramenti locum amittit, & æqualiter, juxta Academiæ Serenissimæ del Cimento experimentum, per illud diffunditur. Rosarum rubrarum tinctura a paucis spiritus vitrioli vel sulphuris guttulis tota in purpureum colorem abit, qui ab instillato tartari oleo viridis evadit. Aqua succo viridi Ireos imbuta, cum spiritu sulphuris colorem elegantem vinatum efficit. Succus limonum, spiritus vitrioli, spiritus sulphuris, & acetum colorem laccæ in violaceum, & tincturam violarum martialium in purpuream mutant. E quibus experimentis adparet, quam facile exhalationes & vapores, ejusmodi salibus separatis vel spiritualisatis, ut vocant Chimici, & in album evectis, imprægnati, se in aëre conjungere, & aquam nunc colore lacteo, nunc sanguineo tingere queant, ut populo attonito & rudi, miraculorum atque novarum rerum studioso, verum lac & verus sanguis videantur.

Recordor sane, quod anno 1689. Venetiis pluvia cujusdam terræ vel pulveris minutissimi rubri, sapore sals acidi, ceciderit, quam aliqui cum stupore sanguineam crediderunt. Non tantum illa Venetias, sed circumvicinas etiam Insulas operuit, ut plantæ & omnes herbæ rara hac & pulverulenta pluvia tegerentur ac conspurcarentur. Qui cum herbis hortensibus negligenter ablutis, talem pulverem devorarunt, vomitum, aut diarrhœam, aut dolorosas internas convulsiones, vel ad minimum stomachi abdominisve puncturas passi fuerunt. Non decrant ex plebe simplici, qui portentum id esse pronunciabant,

haud

haud distinguendo res miras a miraculis, non dissimiles illis,

Qui multa in terris fieri cœloque tuentur,
Quorum operum causas nulla ratione videre
Possunt, ac fieri divino numine rentur. (Lucret. lib. 1.)

Prudentiores & doctiores causam naturalem investigare studuerunt, raram quamvis pluviam, sed non miraculosam esse reputantes; nec multum intercessit temporis, cum nunciaretur, montem ignivomum, vel Vesuvium, duas horrendas aperturas versus mare subiisse, ex quibus terribili cum violentia simul cum igne magnam terræ copi m, aut cinerem rubrum eructaverit, qui probabiliter colorem illum aut a mineralibus intermistis, aut alia quacunque ex causa obtinuerat: sic enim ab igne attenuatus & subtilisatus, inque minutissimum pulverem redactus, facile a vento, qui versus Venetias spirabat, supra hanc Urbem & Insulas circumvicinas ferri, atque ita omnem illum tractum pluvia, ut ita dicam, sicca cooperire poterat. Hic postquam per aliquot dies supra folia plantarum & herbarum hæserat, colorem rubrum perdiderat, & pallidus ac cinereus, aut calciformis evaserat; id quod probabiliter a rore, sale volatili marino imbuto, qui ceram flavam & alias res ei expositas, earundem texturam alterando, dealbat.

Quod insuper vomitum, diarrhœam, dolores aut tormina iis, qui herbas cinere illo conspurcatas comederant, excitaverit, non aliunde, quam a salibus istis mineralibus acutis & pungentibus commixtis, provenit, tunicam ventriculi & intestinorum irritantibus & pungentibus, secundum majorem vel minorem fibrarum sensibilitatem, aut terræ vel cinerum haustorum quantitatem, mucilaginisve plus minusve in fundo aut parietibus partium dictarum, easdem ab acredine corpusculorum corrodentium defendentis præsentiam. Sic Dn. Redus observavit, omnia salia, etiam ex cineribus ordinariis variæ combustibilis materiæ extracta, drachmæ unius pondere corpus movere, atque id, quod considerari meretur, tam sal rhabarbari, quam myrti, tam fructus cupressi, quam sennæ alteriusve purgantis efficere.

Domi-

Dominus Franciſcus Carli, Nobilis Veronenſis clariſſimus atque eruditiſſimus, multa etiam curioſa in Epiſtola quadam impreſſa circa lapides & pluvias raras quandoque de cœlo delapſas hunc in modum recenſet: D. 21. Junii circa quintam noctis horam magnus glomer igneus fuit in aëre viſus, qui ſupra lacum Benacum tam velociter, ut fere oculis proſequi eum non liceret, tranſibat, omnem tractum, quo ferebatur, illuminabat, & cum ſtrepitoſo ſonitu domus, inſtar levis terræmotus, concutiebat, atque in Monachorum Benedictinorum agrum, ſupra villam Vagi, ſex milliaribus a dicta urbe, decidebat. Altero die maſſam non aliud eſſe deprehenſum fuit, quam lapidem ex nigricantibus & incriſpatis cruſtis compactum, qui inter cadendum plusquam ad brachii profunditatem in terram depreſſus, inque diverſa disruptus fruſta fuerat, quorum majus menſuram omni ex parte cubi duorum brachiorum cum dimidio habebat, coloris cinerei, & atomis quaſi inviſibilibus ferreis conſperſus, ingratum ſulphuris accenſi odorem ſpargebat, & partim herbas vicinas arefecerat, partim combuſſerat; cujus lapidis fruſtum Dominus Carli Dn. Vallisnierio miſerat, ex quo cum magnete aliquæ parvæ ferri particulæ extrahuntur.

Curioſa eſt relatio, quam *Thielmannus Friſius*, Germanus, de pluvia numaria, qualem multi fortaſſe deſiderarent, adducit: *Referunt variæ experientiæ homines, decidiſſe aliquando in pluvia* &c. *numos antiquis Romanorum collo tenus impreſſis perſimiles, niſi quod undique præacutis radiis inſtar ſtellarum cingerentur, unde ſtellarum jacula, guttæ Apollinis, atque Iridis flores a nonnullis fuerint appellati.* Nec aliter *Turnheiſerus* loquitur: *Sunt numi aurei denſius compacti, rotundi, & patellæ inſtar aliquantulum concavi, modo guttæ Apollinis, modo ſpermata ſolis, & iridis vocantur, virtute ſolis, cum ſol iridem illuminat, in ipſo puncto conjunctionis radiorum ſolis, & iridis ſubito creari, informari, & poſtea decidere.* Si aurum illarum monetarum ejusdem valoris eſſet, cum cauſa, quam ingenioſus ille

ſcriptor

ſcriptor affert, certe capellam non ſuſtineret, unde tam pluviam monetariam, quam ejus rationem ipſi relinquimus.

Cardanus ſaxi centum & viginti librarum ponderis mentionem facit, ſuo tempore in agrum fluvio Abduæ contermimum quod deciderit, multorumque aliorum, Veronenſi non diſſimilium, quorum aliquot *delati fuerunt ad Regis Gallorum Satrapas* (prout ſcribit) *pro miraculo plurimi, quibus color ferrugineus, durities eximia, odor ſulfureus.*

Dn. Carli prudenter judicat, ſaxum illud ab aliquo igne ſubterraneo fuiſſe projectum, ad modum quo cuniculi bellici operantur. Sic ultimi terræ motus Veſuvii usque Conſtantinopolim lapides prægrandes projecerant; unde arbitratur, & ſuum a ſimili ignis ſubterranei furore ex monte aliquo remoto, & fortaſſe ex regione Griſonum, ubi altiſſimi ſunt montes, fuiſſe projectum; prout ſane ex illa parte Rhætiæ primo comparuiſſe eum, piſcatores lacus Benaci oculati teſtes retulerunt.

Quantum ad pluvias a Gentilibus prodigioſas dictas, cum eas ſemper futurum aliquod infortunium præſagiiſſe judicarent, author noſter arbitratur, peregrinas illas materias ab impetu ventorum & turbinum, inſtar illius *vituli tempore Avicennæ depluentis* fuiſſe tranſportatas.

Euſtathius narrat, in Armenia nives rubras videri, non quidem eo ſenſu, quo Poëta Albinovanus eas purpureas adpellavit, aut prout alius ſcripſit:

Brachia purpurea candidiora nive,

ſed rationem reddidit: *illa enim*, ſcribens, *locaminio luxuriant, cujus colore exhalationes, a quibus in Armenia nives generantur, pollutæ rubedinem acquirunt.*

Judicat etiam, magnas illas ſaxorum moles, in aëre ab angelis lucis, aut tenebrarum potuiſſe deportari, exempli loco de ultimis, adducens magnum illud vas porphyreticum, quod juſſu S. Zenonis Veronam a dæmone usque ex Syria fuit deportatum, uti antiquæ & piæ traditiones habent, & annexa inſcriptio confirmat:

Pila hæc porphiretica
vulgo Sancti Zenonis
cujus diameter octo stylobates
duobus in altitudine
octo in circuitu constat pedibus
ex Syria Veronam
ad Divi Zenonis imperium
mille fere quadringentis abhinc annis
in energumeni sanitatis signum
a dæmone quam citissime delata
a viatoribus loci suspicitur.

OBSERVATIO XIV.

Dn. D. Jo. Melchioris Verdries.

Urachus in fœtu humano pervius.

NUm urachus in fœtu humano æque ac brutorum sit pervius? quæstio est inter anatomicos maxime vexata. Sunt, & quidem magnæ existimationis ac ingenuitatis viri, qui affirmant, ad *αὐτοψίαν* & experientiam nec non analogiam structuræ & connexionis utrobique, provocantes. Sunt etiam magnæ auctoritatis viri, qui negant ex eo, quod nec stylum, nec flatum, nec liquorem ex vesicæ cavitate per eundem adigere potuerint; e quibus inprimis *Drelincourtius* & *Ruyschius*, viri experientissimi eminent, qui plures alios sua auctoritate ab ulteriori perquisitione deterruerunt. Hoc interea certissimum est, urachum sæpissime in recens natis, sæpe etiam in adultis pervium fuisse deprehensum. Ipse aliquoties, primo in cadavere juvenis quatuordecim circiter annorum, deinde in recens nati, urachum ad tubuli modum excavatum vidi, & manu non dubitante explo-ravi, secante & mihi non minus quam diversis Doctoribus, Medicinæ Studiosis ac aliis, qui circa erant, viris curiosis evidenter commonstrante Viro Excell. *Dn. D. Bœttichero*, tum temporis Profess. Anat. & Chir. Gissenо, jam vero Archiatro Guelphico, & Profess. Medic. apud Helmstadienses primario. Meminit etiam celeb.

celeb. *Schelhammerus de Nat. L. II. p.* 312. ex *Cabrolio*, puellæ nubilis, quæ urinam ex umbilico per urachum reddiderit, quam *Cabrolius*, hymene qui concham penitus claudebat pertuso sanaverit, urina deinceps per solitum foramen effluente. Aliud curiosum exemplum ex *Fernelio* recitat celeb. *Meibomius Exercit. de Suppress. urinæ* §. *XXVII.* de quodam viro trigesimum annum agente, cui recens in lucem edito male vinctus umbilicus nunquam coaluit, dein autem semper urina ex eo exstillavit, e vesica per urachum in umbilicum refluens. Prostant & alia hinc inde exempla similia, quæ facile me permovere, ut crediderim Clarissim. *Needham*, *Graafium* aliosque non temere affirmasse, urachum etiam in humano fœtu esse pervium. Quamvis lubentissime & Celeb. *Drelincourtio* & *Ruyschio* fidem habeo, quando nec flatum nec liquorem ex vesica in urachum adigere se potuisse contendunt. Id videlicet etiam *Graaffio* non tantum in fœtibus humanis, sed etiam cuniculorum pullis, in quibus tamen urachi cavitas extra controversiam est, impossibile fuit. Sic etiam Celeberrimus, & in secandis hominum pariter ac brutorum corporibus accuratissimæ diligentiæ vir, *Hum. Ridley*, Anglus, in fœtu modo nato & post pauca momenta mortuo, urachi ex vesica exitum, per stylum & flatum frustra, etiamsi omni diligentia id fecerit, inquisivit, qui tamen postea abditos & occultos meatus & manifestam urachi cavitatem evidentissime demonstravit. Dignissima est quæ hic expendatur, observatio, quam proponit in *observ. quibusdam Med. Pract. & Physiol. Londini Ao.* 1703. in lucem editis, & si illam repetere ac perficere vellent ii, quibus frequens occasio scrutandi fœtuum recens in lucem editorum corpora & secundinas subnascitur, nullum est dubium, quin tandem de constitutione membranæ urinariæ in fœtu humano certi quid affirmare liceret. Experimentum vero est sequens. Postquam diu exitum ex vesica in urachum frustra quæsivisset, vesicam denique aqua fontana (cujus tria cochlearia integra capiebat) repletam fundo deorsum filo suspendit, quam totam spatio tridui per urachum in vas suppositum lente & gut-

tatim transiisse reperit, hinc de perforatione urachi factus certior, eam setarum & graciliorum specillorum immissione ulterius inquirendo prosequebatur. Cum autem nullo modo eam detegere valuisset, demum, inversa prius vesica, & intruso subtus digito, in rugosa ejus tunica versus fundum, eo loco, ubi de ea procedit urachus, papillam quandam oculis detexit, cujus apicem forficibus cum abscidisset, statim oculis incurrit perforatio. Huic intrusum specillum facile in urachum transiit & postea adaptato tubulo, eum cavitate pennæ anserinæ & amplius donatum deprehendit. Unde apparet, quid obstiterit, quo minus alii viri celeberrimi aditum ex vesica in urachum invenire potuerint, & cur horum observationes illorum sententiæ, qui urachum in homine æque ac brutis semper pervium esse, & in humanis quoque secundinis membranam urinariam reperiri existimant, fraudi esse non possint? Pervium atque cavitate sua præditum urachum aliquoties etiam vidit Clariss. Regiæ Academiæ Parisiensis Anatomicus, Dominus *Littre*. Primo in puero duodecenni, deinde in Juvene 18. annorum: Novit quoque virum triginta annorum, qui semper urinam per umbilicum reddidit, vid. *Histoire de l'Academie Royale des Sciences Ao.* 1701. *p.* 29. *Memoires p.* 117. ubi membranam Allantoidem in binis fœtibus distincte se observasse testatur, eandemque in omni fœtu adesse, quamvis nondum omnibus satis sit perspecta, suspicatur. Ostendit etiam hanc atque exposuit in illustri consessu dictæ Academiæ Regiæ. vid. *Histoire Ao.* 1702. *p.* 38.

OBSERVATIO XV.

Dn. D. Jo. Melchioris Verdries.

Hysterolithus in concha tanquam in modiolo expressus.

EXhibui Observ. LXXXVIII. Centur. III. nostrarum Ephemeridum specimina quædam Hysterolithi & quæ utrique sententiæ de origine horum lapidum, illi nempe, quæ istos a materia limosa lapidescente, in conchis certi generis tanquam totidem modio-

modiolis determinata atque expreſſa, & illi, quæ eosdem a ſemi-nio lapidum ſecundum naturæ ludentis ordinem vegetante, de-ducit, favere poſſint, paucis expoſui. Acceſſit poſtea ad nos curioſiſſimus Juvenis in conquirendis lapidibus figuratis, quo-rum jam ingentem apparatum ſibi comparaverat, maxime ſe-dulus, Dominus van Sprekelſen, Jurium Candidatus, Hambur-genſis, qui quum in tractum illum ad Lanum thermis Emſenſi-bus celebrem colligendorum figuratorum lapidum ergo excur-riſſet, inter alios ſpecimen hoc rariſſimum prope vicum **Ober-lohnſtein** repertum nactus eſt, & mihi deinde dono exhibuit. Quod, cum ſententiam priorem de expreſſione figurata in con-chis non tam confirmare quam pleniſſime demonſtrare videatur, quandoquidem albicans & diſtinctiſſima conchæ ſubſtantia hy-ſterolithum complexa, in medio lapidis rudioris evidentiſſime conſpicitur, hinc dignum judicavi, quod hic exhiberem. Non eſt, quod quis obmoliri hic velit: non tam concham, quam alius cujusdam materiæ lapideæ, magis albicantis, ſtratum hic videri & hoc concham mentiri: cum non tantum ſtriæ, ſed & puncta aliaque figuræ ornamenta in conchis conſpicua veram hic con-cham adeſſe manifeſto nos edoceant. Petrefacta tamen aliquo modo eſt hæc concha & maxime tenuis; quo minus mirum vi-deri debet, ſi in plerisque hyſterolithis diffringatur, oblitteretur, conſumatur, ut vix in paucis obſervari poſſit. Vid. Tab III. fig.

OBSERVATIO XVI.

Dn. D. Jo. Melchioris Verdries.

Atrophia cum vomitu quotidiano a compreſſione ventriculi & veſicæ bilariæ.

PUellus quatuor circiter annorum vegetus atque utcunque valens addiphagiæ, ut in illa ætate ſolent, indulget, hinc ſæpe de ventris torminibus queritur, mox remittentibus, mox invaleſcentibus, ita ut vermium in inteſtinis latentium ſuſpicio Medicis ſubnaſceretur. Præſcribuntur incidentia aperitiva, anthel-

 mintica,

mintica, cum antiſpaſmodicis anodynis, cinnabarinis &c. ſecedunt etiam ſubinde vermes & vermiculi aliquando per inferiora, aliquando per ſuperiora: malum tamen nihilo minus perdurat, puerulus tabeſcit, accedunt phlogoſes, appropinquante inprimis veſpera, & quod maxime moleſtum erat, vomitu die & hocte ſæpiſſime exagitatur, ut quicquid aſſumſerat, vomitu ſtatim rejiceret. In conſilium vocantur plures Medici, adhibentur plurima remedia, ſed incaſſum. Tandem tabe conſumtus & quotidianis vomitibus diu excruciatus moritur. Aperto cadavere meſenterium undiquaque innumeris tumoribus ſteatomatoſis, majoribus, minoribus mirum in modum refertum deprehendimus, circa ventriculum inprimis & juxta hepar prope veſicam felleam ingentes aliquot hujus generis tumores, pugni magnitudine poſiti erant, qui ventriculum continuo impellendo & veſiculam bilariam premendo, vomitus illius diuturni cauſæ fuerant. Præter hæc nil p. n. reperiebatur in corpore hoc infantili, niſi quod flaccida omnia morbi diuturnitate erant reddita.

OBSERVATIO XVII.

Dn. D. Jo. Melchioris Verdries,

Vulnera cerebri profundiora in cane ſponte ſanata, nec non deſcriptio Liquoris cujusdam vulnerarii.

QUamvis exemplis evidentiſſimis atque plurium perſpicaciſſimorum virorum obſervationibus compertum habeamus, ingentia ſæpe cerebri vulnera coaluiſſe atque prudenti ac felici manu curata fuiſſe. In eo tamen conſenſere hactenus experientes Medici: profundiora cerebri vulnera mortem neceſſario inferre. Quo magis mirum videri poteſt, quando canes, quibus clavus, magnitudinis & craſſitiei ſatis notabilis, profundiſſime in cerebrum adigitur, ſtatim ac, extracto clavo, dimittuntur, prompte decurrere, nec quicquam gravius poſtea ſentire, obſervamus. Cepit hujus rei experimentum celeberr. *Hoffmannus*, *Halenſis*. Mentionem ejus fecit clar. *Hartſœckerus* in *conjecturis Phyſicis*.

Cepi

Cepi & ipse vicibus non unis, cum in vires liquoris cujusdam vulnerarii, tot tantisque laudibus a plurimis celebrati, inquirerem, cujus historiam & descriptionem paucis hic exhibere non ingratum fore putavi. Lustrum modo, & quod excurrit, agitur, cum homo quidam, mediocris ut videbatur fortunæ, Gissam veniret atque Serenissimo nostro Principi Juventutis, FRANCISCO ERNESTO, (quem omni virtute & gloria ornatum nuper eripere nobis visum fuit summo rerum humanarum arbitro) studiorum causa tunc apud nos agenti, arcanum in omnibus vulneribus probatissimum, pretio redimendum offerret, & ut eo magis fidem inveniret, virtutem remedii in cane, cui clavum in caput & cerebrum vi adigere, eundemque liquore restituere vellet, se demonstraturum promitteret. Annuit curiosissimus Princeps, atque ut in conspectu suæ Serenitatis aliorumque in magna dignitate constitutorum virorum experimentum rei faceret, facile permisit. Adest homo cum cane, hujusque capiti clavum satis longum & crassum, validis mallei percussionibus, profunde infigit, quo extracto, aliquot guttulas liquoris sui instillat canemque dimittit; qui capite primum inclinato, lento gressu procedit, paulo post vero, quasi nil mali passus promte decurrit, & longo post temporis intervallo vita adhuc incolumi fruitus est. Miratur rei successum curiosissimus Princeps, solutoque pretio descriptionem liquoris accipit. Eodem fere tempore Amicus quidam aliquot uncias similis cujusdam liquoris, sub titulo Balsami vel Liquoris vulnerarii una cum descriptione mihi transmittit, & ut virtutem liquoris repetitis observationibus explorarem, rogat. Descriptio erat sequens: ℞. Herb. betonic. cherefol. Pimpinell. Pyrolæ. sedi major. Plantagin. Fol. tenellor. quercus ana q. v. Incisa & contusa in mortario lapideo quidem pistillo ligneo, torculari subjiciantur, ut succus quantum fieri potest, exprimatur, tum ℞. Succi expressi quantum libet, Aceti vini optimi tantundem, adde ℔j. hujus liquoris ʒj. Sal. gemmæ. Digerantur hæc in vitro bene clauso per octo dies, in balneo arenæ. Tum superfundantur denuo herbis sub expressione remanentibus,

tibus, & destillentur lento igne in balneo Mar. Liquor alembicum transcendens servetur usui.

Pervenerunt deinde similes fere hujus liquoris descriptiones mihi ad manus, in omnibus fere similes, nisi quod herbis supra dictis rorellam, sanicul. & verbasc. addant & loco aceti, acetum ter per alembicum destillatum, nec non spiritum acidiusculum sive acetum ex scobe sive ramentis ligni quercini paratum recipiant, salis etiam communis aliquid adjiciant.

Cumque data occasione, Serenissimo Principi, qui sua me gratia semper fovebat, aperirem; similem me liquorem vulnerarium, quem etiam commonstrabam, accepisse, suum ille statim afferri jussit atque similem plane deprehendit, auctorque mihi fuit, ut in pluribus canibus rei experimentum caperem, præsertim cum quidam Chirurgi hujus loci, qui ab eodem homine liquorem & ejus descriptionem exiguo pretio coëmerant, præsente *D.D. Bartholdo Anatom. Profess.* & pluribus Medicinæ Studiosis, in Theatro nostro Anatomico, idem in cane, sed sine successu, tentassent, quod clavus paulo major sinum longitudinalem læserat ac immedicabilem hæmorrhagiam produxerat. Repetii igitur, præsentibus pluribus Medicinæ studiosis aliisque collegii Physici auditoribus; experimentum in pluribus canibus, felici semper successu. Nec unum enim memini, qui succubuerit aut mortuus fuerit. Utque certior fierem, num cerebri substantia, inflictis hisce vulneribus, re vera fuerit læsa, sæpe post elapsos octo, sæpe post quindecim dies, canes ita vulneratos & jam, ut antea alacres atque sanos, cultro anatomico subjeci & Auditoribus meis vulneris locum & progressum, per cranium ac cerebrum satis adhuc notabilem, clare demonstravi. Scilicet, tum patuit, clavum per ipsam cerebri substantiam, sæpe etiam per alterum ventriculum anteriorem, ad ossa maxillæ superioris penetrasse, vestigiis læsionis cum punctulis exiguis sanguineis, in cerebri substantia, satis notabiliter adhuc extantibus. Postea aliis quibusdam canibus simili modo cranium & cerebrum clavo perforavi & extracto mox clavo nil quicquam adhibui, sed

ita

ita cum vulnere dimiſi, qui tamen, æque alacriter ac cum liquor adhiberetur, procurrerunt & æque feliciter evaſerunt. Unde planum & clariſſimum eſt, liquoris hujus, quamvis alias ſatis præſtantis, virtuti, hanc ſingularem effectum non poſſe attribui, ſed vulnus ipſum ita eſſe comparatum, ut naturæ, quemadmodum loqui amant, vi medicatrice ſponte conſolidetur atque curetur. Quod cur ita fiat & cur non eodem ſucceſſu cerebelli vulnera coëant? (hæc enim, & quidem leviſſima, confeſtim canem extinguunt) quæſtio eſt, quæ ex ſtructura harum partium dilucidari meretur, & ad uſum cerebelli inveſtigandum digitum intendit.

Interea experimentis non unis exploratum habeo, liquorem hunc remedium expertiſſimum eſſe in omnibus hæmorrhagiis internis & externis, (niſi vaſa majora fuerint læſa aut diſciſſa) vulneribus ſcil. inſtillatus & cum linteis applicitus. In Hæmoptyſi ſanguinem æſtuantem & ebullientem compeſcit, & blanda adſtrictione pulmonum læſionem curat. In aliis hæmorrhagiis, narium, uteri, hæmorrhoidibus nimis fluentibus, interne ad 30. 40. 60. guttas exhibitus, ſanguinis æſtuantis motum compeſcendo egregie conducit. In Dyſenteria a prudenti Medico adhibitus utiliſſimus eſt: æſtum enim febrilem reſtinguit & læſionem inteſtinorum conſolidat. Quid in Phthiſi, & quidem ſatis jam profecta, poſſit, plus ſimplici vice ſum expertus, & quomodo illo ipſo magnum quendam Principem, jam phthiſicum factum, ſervaverit, magno ſuo emolumento novit Archiater quidam feliciſſimus.

Giſſa Auguſtam Vind. d. 25. Febr. Anno 1716. miſſa.

OBSERVATIO XVIII.

Dn. D. Johannis Adami Limprechti.

Ciconiæ anatome.

CIconia alba (datur enim & gryſea & nigra) cultro anatomico perluſtrata Anſeris fere erat magnitudine, albis in pectore

& dorso pennis, in alis conspicua nigris, ea parte, qua carnem egrediuntur, sanguine refertis, juventutem hujus subjecti indicantibus.

Rostrum habebat octo digitos longum, cujus partes, superior & inferior in extremitate, quoad longitudinem & rectitudinem, una non superabat alteram, usque ad nares coloris ex livido viridiusculi, qui post illas mutabatur in flavum.

Lingua duos vix digitos longa, in acutum desinens apicem eumque duriusculum.

Narium radicem quædam quasi lanugo occupabat coloris cinerei, quæ crassitie & longitudine in capite augebatur, hospitium minimorum pediculorum adhuc viventium.

Oculi cæsii, respectu capitis minores quam aliorum volatilium observabantur.

Collum pennis ex albo cinereis, iisque longioribus vestitum, eo crassius, quo magis ad thoracem vergebat, ob ossa vertebrarum inferiorum, quarum omnium tredecim in collo numerabantur, fortiora, & ita constitutarum, ut vix ac ne vix quidem singulæ retrorsum flecti possent, nisi forsan ultimæ.

Tibia satis erat fortis, in cujus initii parte postica, inclusi erant particulari membrana, tendines quatuor digitorum pedum flexores, longitudine spithamæ ad plantam pedis tendentes: ejusdem longitudinis & constitutionis conspiciebantur etiam in antica tibiæ parte extensores, qui in digitorum dorsa extendebantur.

Fibula penitus erat destituta.

Pedes, quibus in caudam breviorem, in hoc quidem subjecto non amplius apparentem, porrectis, per aëra contendit, & tanquam gubernaculo volatum suum moderatur, ad tertiam usque partem fissi, constabant unusquisque quatuor digitis, diversæ longitudinis, & digiti tribus articulis.

In Thorace, costarum veræ, una ab altera, majore solito videbantur distare spatio, musculis intercostalibus, non solum largioribus, sed & oblique positis tenuibus osseis distinctionibus

a se

a se invicem separatis, ne magis quam par esset appropinquare possent. Hæ distinctiones superiores & versus sternum inclinantes cæteris observabantur molliores.

Thoracis cavitas aperta sese monstrabat profundior, & pulmonum substantia in duos divisa lobos usque ad diaphragma fere pertingebat, amplis bronchiis dotata, regionique dorsali firmissime accreta.

Oesophagus circa Thoracis initium extensior, tres fere digitos latus, scilicet, ut eo facilius ranas, regni sui (aquarum) terminos egressas, mira celeritate comprehensas, jactu quopiam non fallente in ingluviem (hoc nomine primum in avibus ventriculum appellat Isbrandus de Diemerbrœck) dejicere possit.

Circa hujus finem, in latere dextro, antequam diaphragma transiret, glandula ipsi erat accreta magnitudine mediocris olivæ.

In abdomine, primo intuitu, nihil occurrebat, nisi hepar maximum in duas partes, ejusdem quasi magnitudinis, divisum, quod ventriculum secundum, ad podicem fere protractum, excepta infima, & vix quarta ejus parte, tegebat.

Hic remoto demum jecinore, conspiciebatur integer, ut fortissimi viri pugnus, cujus parti dimidiæ superiori Omentum pinguedine quadam indutum erat superimpositum.

Dissectus stomachus acidum statim odorem emittebat nares ferientem, variamque in se continebat materiam: Major ejus pars erat viridis, minimæ instar usneæ, herbacea, cui involutæ erant minimorum scarabæorum alæ & ossicula, si non ranarum magnarum (bufonem enim nunquam, nisi ingenti fame compulsa gustat ciconia) avium forte minorum, tres insuper particulæ tenuium virgultorum, quorum longissimum duorum erat digitorum. Hisce exemptis, interior ejus substantia rugis crassissimis, oblique in rotunditatem ad finem usque ductis munita apparebat.

Hic secundus mihi dictus ventriculus cum primo ventriculo erat continuus, a quo edulia accipiebat, corpusculo nucis juglandis mediocris non dissimili, hac vice vacuo, tunica ejus interior

digitum minimum crassitie nondum aquabat, rugis aut potius plicis recta linea ab orificio superiore ad fundum tendentibus ornata.

Huic descendens inserebatur Oesophagus, & ut melius in descriptione horum duorum ventriculorum me explicem: ambos aptius unum dixeris, duabus cavitatibus, superiore sive minore & inferiore majore distinctum.

Pancreas, situ suo naturali, satis longum, quoad substantiam vero tenue erat.

Intestinorum tractus, a primo ad ultimum, amplitudine æqualis, pennæ anserinæ, ea parte, qua ad scribendum præparatur, crassitie similis, septem vicibus, si collum excipias, & pedes, reliquum ciconiæ corpus longitudine superans.

Cæterum in abdomine adhuc reperi duo minima albicantia corpuscula, situ & figura renibus succenturiatis non dissimilia, ex quibus cultro divisis, liquor quidam effluebat fuscus.

Edebantur, scribit in Historia Naturali Jonstonus, ciconiæ antePlinii ævum. Nemo jam eam attigisse velit sive quod venenatis vescatur, sive quod flavam, duram, & mali succi carnem habeat.

Ego, cum intellexissem, præsidiarium quendam ex nostris militem, illius carnem gustui valde gratam commendasse, assatam una cum liberis meis etiam gustavi. Cutem habebat quasi anserinam, carnem ad carnis capreoli saporem accedentem, nec ab ejus esu, dimidiam licet ciconiam fere comedissemus, aliquid incommodi passi sumus.

OBSERVATIO XIX.

Dn. D. Johannis Adami Limprechti.

De Fulica Recentiorum Minore Gesneri.

A Generoso Equite Marchico, Dn. Joh. Christoph. de Döringshoven, Dn. in Pinnow, Passow, Mirow &c. accepi alitem quendam, quem in hoc territorio *Kritschale* sive *Kritzale* vocant. Magnitudine sua accedebat ad Gallinam domesticam, collo oblongo, cauda

cauda breviſſima, longiſſimæ quippe iſtius pennæ dimidiam indicis digiti longitudinem non excedebant.

Plumæ molles, in ventre confertim poſitæ, integrum ejus tegebant corpus, ſupra genu deſinentes.

In glabro ſyncipite aliquod ſingulare, ſi loqui ita licet, Parenchyma curioſos alliciebat oculos, denſum & album, an ad rubrum, ut Gallorum criſtæ, aliquando inclinet colorem, judicent, qui vivum ſæpius aſpexerunt, criſtæ vero Gallinaceæ figura ſua reſpondens cum Jonſtono deſcribere illud non audeo. Non enim erigitur, bene monente Geſnero, ſed, ut is memoriæ reliquit, ſuper frontem, inſtar galeæ albæ, forma ovali jacet, vix capitis attingit verticem. Ii, qui ſacerdotis raſum quodammodo referre credunt, huic volucri nomen Pfaff impoſuerunt, (ſunt verba Geſneri, non mea) quam Svevi Bleſſing, Bleſs, forſan quidam Blaſs, a Germanico vocabulo Blatte vel durius Platte, ut in quibusdam Germaniæ oris calvitium dicitur, appellant. Albertus maxime convenientibus verbis illud delineat, ſubſtantiam nominans duram, inter carnem & cartilaginem mediam. A radice naſi aſſurgit fere usque ad verticem, & pars ejus latiſſima ſynciput occupat. Cranio autem non diſſolute remiſſum eſt hoc Parenchyma, ſed firmiſſime accretum, ita ut cum ſeparare iſtud ab eo tentarem, nonniſi cultro ſanguinolento, omni licet adhibita cautela, hoc fieri potuerit.

Hinc liquet: Plinium generi Fulicarum in capite cirros naturam dediſſe aſſerentem, non immerito taxatum fuiſſe a Geſnero, de ardeis potius hoc intelligendum eſſe autumante.

Secundum notatu præ aliis dignum occurrebat in pedibus, qui intuenti ſtatim indicabant, hanc avem, nec inter palmipedes, quod Jonſtonus fecit, nec inter fiſſipedes omnino eſſe referendam. Omnes digiti magnis nigris uncisque unguibus cuſpide acuminata præditis, armati ſecabantur quidem, ſed tantummodo ab eorum extremitate usque ad radices primi articuli.

In anterioribus tribus, impariter digitata, membranulas habebat utrinque adnatas, a reliquis digitis non tam divulſas, ut

Jonstonus ex Gesnero loqui amat, nunquam enim videntur cum iis cohæsisse, quam cum illis non continuas, versus interiora laciores, & circa articulos crenula quadam in exteriore vix ac ne vix quidem, in interiore vero magis, maxime in medio omniumque longissimo digito observabili notatas, in cujus latere sinistro pedis dextri, uti in dextro pedis sinistri, æque ac in unoquoque digito interiore internodia membranarum semicirculos fere constituebant conspicuos, quorum opera, uti & membranulæ, quæ per medium longitudinis suæ in postico omniumque brevissimo digito ducitur, natando forsan utitur.

Pedes, ut cutis viperarum, squamis quasi exiguis ornati sese offerebant. Exceptis Parenchymate Syncipitis albo jam descripto, femorisque parte supra genu (loquor cum Gesnero, Jonstonus in præfatione avium Historiæ hoc os coxam vocat) ubi plumæ desinebant, ex viridi flavescente, alarum ambitu superiore per angustam lineam, quam Idem Gesnerus accurato observavit, albicante, octoque pennarum in alis longissimas ordine sequentium extremitatibus, uti ego in meo subjecto annotavi, etiam albis, totum ejus corpus nigri erat coloris, sed differenti. In capite ad dimidiam usque colli partem nigerrimi, in dorso non adeo saturati, versus caudam cum intermixto spadiceo, in istius fine fere pulli, in caudæ parte prona pennæ magis videbantur atræ, in abdomine, pectore iterumque ad dimidium usque collum ex nigro obscure cœruleæ, cum interior pars alarum, quas ad reliqui corporis convexum incurvatas Bellonius notavit, & ex eo forsan, si non ex Aldrovando, Jonstonus sollicite excerpsit, a principio pennas curtas haberet cinereo spadiceas, longioribus magis, longissimisque quam maxime ad albedinem inclinantibus.

Remotis plumis, crassior apparebat cutis, femora etiam magis carnosa, quam in Gallina domestica.

Rostrum ipsi erat fere Gallinaceum, in mortua etiam ex albo subrubescens, rectum, canaliculatum & cuspidatum, cujus pars superior vix antecibat inferiorem.

Acumen

Acumen linguæ, quam Gallinæ lingua molliorem dicit Jonſtonus, videbatur cartilaginoſum. Oculi pro ſubjecti magnitudine parvi. Aurium cavernulæ fere ovales, quæ unico ſemine cannabino facile obturari potuiſſent, nullo exteriore membranaceo, multo minus cartilagineo ambitu circumdatæ, patulæ quidem, adeo tamen ſub pennis minimis iisque denſis abſconditæ, ut non, niſi flatu his reclinatis ſeſe manifeſtarent.

Aperto Abdomine adhuc illæſo ſtatim occurrebant inteſtina, quæ menſurata univerſo corpore ſexies erant longiora.

Duodenum & Jejunum amplitudinem reliquorum ſuperabat, illi vero adhærebat Pancreas adeo tenue, ut vix ac ne vix quidem conſiderari potuerit.

Colon a reliquis inteſtinis amplitudine non diſtinguebatur.

Rectum, de quo Geſnerus nulla, Jonſtonus pauca tantummodo hæc verba generaliora facit: *Appendiciõus utrinque ſingulis, palmi longitudine, extremo ſurſum reflexo inſtructum invenies, ſi illud in ſuperna parte inſpexeris*, curatius perluſtravi & inveni, mox a podice ſurſum id reflecti usque ad partem lienis poſteriorem, ductu hactenus unico, in hac vero regione appendices iſtud nanciſci duas, quæ una cum canali ſuo medio & maximo per abdominis interiora hypogaſtrium repetebant, & ſub membranula communi de novo aſcendebant, usque dum una earum cum duodeno connecteretur, curioſarum forſan meditationum ſuppeditans occaſionem.

Hepar in duos lobos cum appendice parva diviſum, non nimis magnum, fellis vero folliculum, quem Jonſtonus ſcribit auricularis digiti magnitudine lobo ejus dextro annecti, licet anxie in illum inquiſiverim, nullum inveni, imo quod majorem Lectori objiciet admirandi materiam, ne minima quidem bilis veſtigia, nec viſu, colore ſcilicet flavo vel viridiuſculo, nec guſtu, quo partes vicinas examinavi, has enim amaritudine ſua infeciſſet, ſi forte ex incuria veſiculam fellis dilaceraſſem, ullo modo indagare potui.

Stomachus magnitudine ovi Gallinacei minoris, cujus intima tuni-

ma tunica rugosa densior atque durior cavitatem habebat, quæ prunum minus capere potuisset, infarctam semine quodam papavere albo non majore, materia insuper viridi herbacea, arenularum minimarum candidarum tertia fere parte commixta adeo exacte, ut cum pistillo, in mortario, non accuratius misceri invicem potuisset, in qua latebat pars quædam insecti latiusculi sanguinolenti.

Fundo Stomachi per membranam firmissime annectebantur & Intestina & Lien. De hoc Jonstonus hæc profert verba: *Ventriculo Lien adhæret, una ex parte gracilis & tenuis, altera vero in extremo crassior, atque soleæ equi instar inflexus, dimidii juglandis latitudine.* Ego inveni partem Lienis posteriorem soleæ equinæ fere, sed latitudinem tantummodo nucis avellanæ minoris excorticatæ, anteriorem autem crassiorem & rotundiorem, fabæ majoris, non maximæ, figuram quodammodo præsentare.

Cæterum Arnoldi Villanovani monitum negligens, corporibus temperatis scilicet iisdem alitibus non expedire uti, magisque Gesneri observans, illos antequam assantur, in olla aperta prius debere elixari, postquam per horæ quadrantem aquæ fervidæ immersus fuisset, assatum comedi; ad perdicis saporem accessisset, nisi ferinus, palustrisque hunc superasset. Binis distinctis vicibus, die Sabbathi & subsequente Septimana die Martis illum gustavi, utroque die post pastum alvum meam moveri sensi, licet ad obstructiones ejusdem alias inclinem, & non meminerim in hisce duobus prandiis me aliud aliquid ingessisse, quod alvum laxandi virtutem obtinuisset. Parenchyma album syncipiti accretum cristæ galli saporem referebat.

Cum sub nomine Marchico *Kritschale aut Kritzale* avem hanc in Aldrovando, Gesnero & Jonstono invenire nullo modo potuerim, animadverti tandem esse *Fulicam Recentiorum minorem Gesneri*, de qua scribit: Indoctos quosdam, Aggregatorem & alios in Latinis libris Folegam, Follegam & Follatam, Arnoldum autem Villanovanum Fulsam vel Fulcam eam nominare, Gallos

Gallos Poulle d'eau, Pullum aquaticum: hinc Bellonius Gallus Fulicam Italis dictam ait esse Gallinam Aquaticam, uti & Georgius Agricola interpretatur *Wasserhun*, & alibi Germanis dicitur *Rohrhenle*, id est Gallinula arundinum, Rostochii Zapp.

Coronidis loco Lectori Curioso non displicebit, me hic loci explicasse obscuriorem Jonstoni locum, ubi de his avibus sequentia posuit verba: *Qua intus formata & lumbis annexa jam inde ab hyeme etiam obtinent. Nullum sexus discrimen, ut in cæteris avibus agnoscitur.*

Ultima hæc verba: *Nullum sexus discrimen* &c. credidi, autorem hunc intelligere velle de figura externa, alias contradictionem involverent. Talem igitur conjiciebam inde debere elici sensum: *Nullum sexus discrimen, ut in cæteris* (quibusdam) *avibus* (figura externa) *agnoscitur.*

Conjecturam hanc meam veram fuisse, manifestavit mihi, post multum temporis spatium, lectio Aldrovandi, qui Tom. III. libr. 19 cap. 13. p. 94. ita scribit: *Nullum vero sexus discrimen, ut in cæteris avibus agnoscitur:* addit tamen & sequentia Aldrovandus, quæ Jonstonus omisit: *Uterque enim mas & fœmina nigri sunt, quandoque tamen alia aliis in ventre sunt colore magis spadiceo.*

Citius obscurus Jonstoni locus dilucidari potuisset, quod si tam sincere cum Posteritate agere is voluisset, quam quidem Aldrovandus, qui loco citato Nomina appellat Bellonii & Ornithologi, per quos multum in hujus avis historia profecit, atque ingenue insuper fatetur: Fulicam ipsi depictam tantummodo, Ornithologo vero vivam, dum de illa scriberet, ad manus fuisse.

Nonne hic exclamandum? *Utinam doctis hominibus placuisset, quæ citant, notato loco,* (addo ego, adjecto Autoris nomine) *citare; major esset studiorum facilitas & profectus ubertas!* Verbis his utitur Typographus præfat. ad Lectorem Operibus Magni nostri Coi præmissa, Joh. Antonidæ van der Linden industria, sumptibus fratrum a Gaasbeck Lugd. Batav. 1665. in Oct. edit.

(*Fürstenwalda Augustam Vind. d. 1. Mart. Anno 1716. missa.*)

OBSERVATIO XX.

Dn. D. Johannis Burckhardi Mögling.

Luxatio femoris a causa interna.

PRæter expectationem & meritum *Naturæ Curiosis* adscriptus, *Illustri Collegio* communico observationes aliquot medico-chirurgicas ejusdem fere generis, alio quidem destinatas, & loco hoc forsan indignas, saltem testes meæ erga ipsos summæ reverentiæ. A. MDCCXI. 4. Januar. Virgo J. E. annor. 19. corripitur febre anomala, cum dolore coxæ sinistræ & metu Variolarum tunc epidemicarum; usurpatis ex lege methodi absorbentibus & diaphoreticis febris multum remittit, coxæ vero dolor augetur plurimum, ad genu usque se extendens, motumque pedis impediens; imponitur vesicatorium primum femoris dolentis lateri externo, postmodum pedi prope talum, sed frustra; octavo morbi die observatum a domesticis, elongari nonnihil femur ægrum, & incusata positura corporis puellæ delicatulæ, Medicus musculum lumbarem internum inflammatum abscessum minitari primum suspicatus fuit; Chirurgicam inspectionem ægra & matertera tunc planissime recusarunt; sic mensis transactus irritis omnibus in- & externis medicamentis, etiam cataplasmate hic loci contra subluxationem tali famoso ex rad. consol. maj. favo mellis & urina ægræ confecto. Admissi vel tandem ad penitiorem explorationem Chirurgi Celebriores *Dn. Duvernoy* & *Kell*, ex fovea in nate & tumore inguinis, utrisque tamen exiguis, factam femoris luxationem concluserunt, conspirante agnatorum relatione. Patientem cum novennis esset, sub ingressu claudicasse paulum, & notante hoc D. D. *M. Scherpfio*, Archiatro Württemb. p. m. pedem sinistrum habuisse præ dextro longiorem, brevi tamen, & absque medicamentorum ope solo decubitu restitutam; interfuisse quoque illam mense Novembri proxime elapso nuptiis, & saltando multum defatigatam. Die 2. Febr. præsentibus D. D. *Härlino* Archiatro, *Gmehlino* Medico aulico & me, bis a Chirurgis tentata fuit repo-

sitio

sitio femoris, sed infeliciter, primam quidem subsequuta dolorum remissione, sed per momentum temporis solum excidente rursus e loco suo osse ad retractionem manus, qua alter Chirurgorum sub operatione femur sustollebat; secunda repositio invitis medicis, conniventibus tamen, tentata fuit gravior, plane tamen frustranea, exacerbato abhinc multum dolore femoris genuque. Conclusum denique juxta monitum *G. F. Hildani Cent. 6. O. ult.* emplastris adstringentibus femur munire, & fasciis spleniisque, quantum possibile, ad situm naturalem reducere, optimo consilio, remittente sensim sensimque dolore, & post aliquot septimanarum spatium plane evanescente, ægra tantum non in integrum restituta, nunc prout antea libere incedente, subclaudicante tamen, pro tempore, quo hæc scribo, viro juncta & gravida; Medicamenta sub decubitu diuturnioni post tentatam repositionem imperato præscripta erant traumatica, absorbentia, interjectis subinde eccoproticis, & injuncta diæta tenui.

SCHOLIUM.

IN diversa abierunt Medici & Chirurgi Celeberr. præsentes, & per literas consulti, tam circa ætiologiam quam curam hujus casus. Quidam subluxationem, plerique veram luxationem adfuisse, & ex acetabulo os femoris excidisse crediderunt, laxatis per irruentem humiditatem & musculis tribus glutæis, & ligamentis coxæ tam lato membraneo crassiori orbiculatim articulum ambiente, quam rotundo sive perpendiculari; quidam ulteriorem repositionem commendarunt, aliis illam tanquam frustraneam & partem affectam magis irritaturam summopere dissuadentibus; ustionem profundam ad mentem *Hipp. S. 6. A. 60. G. F. Hildani l. c. itemque N. Tulpii obs. l. 3. cap. 26.* ferro candente ad cardinem acetabuli intruso peragendam, plagamque per dies aliquot majoribus turundis ex spongia paratis, vel canali plumbeo apertam servandam, atque decocto scordii, cui tinctura aloëtica admixta, eluendam nonnemo suasit, alius rejecit pro-

cit propter profunditatem loci, & metuendum abhinc majorem humorum influxum. *Dn. J. C. Zachmann*, Ser. March. Baden-Durlacensis Cubicularius & Chirurgus exercitatissimus, Illustr. Naturæ Curiosis ex commendatione *Dn. D. Zwingeri*, aliorumque probe notus, ægram non ab initio, sed cum fere restituta, saltem omnium dolorum expers esset, longiorem tamen, sed vix deprehensibilem præ altero pedem affectum haberet, visitans non tam caput ossis ex acetabulo suo excidisse, quam coxam, secedente scilicet ad digiti crassitiem osse innominato a sacro, deorsum declinasse fuit persuasus, allegato exemplo fœminæ cujusdam Basileensis in partu difficili diu frustraque ab obstetricibus vexatæ, a fœtu tandem, se procurante, frustillatim exemto liberatæ, similis coxæ a sacro osse dissolutionem nactæ, & ægerrime postmodum, scilicet propter ætatem provectiorem, ac cum claudicatione restitutæ; Epiphysis a reliquo femoris osse secessum *ego* credidi semper, persuadentibus hunc exiguo inguinis tumore, ex parva in nate fovea; præcipue claudicatione, quam nono ætatis anno ægra aliquamdiu fuit perpessa; nemo tamen medicorum & chirurgorum, quos omnes veneror, meis accessit partibus, nimis provectam Patientis ætatem allegantium, cœteroquin in pueulis hujusmodi secessum admittentium, quem frequentissime accidere veterum plures, & inter Recentiores multos *H. oberkamp Chir. p.* 894. *Fr. Schrader disp. in S. 6. Aph. Hipp.* §. 43. *G. W. Wedelius pathol. therapevt. p.* 126. statuunt; breviorem potius, quam longiorem ab hac disjunctione ossium fore pedem, monuit non ita pridem Celeb. quidam Medico-Chirurgus, resilituris scilicet musculis versus sua principia, processusque ossis, quibus infixi sunt, necessario secum tracturis in nate apparituros; prout vero hoc sub externa causa ossa disjungente verosim illimum, ita dubium videtur, si interna causa, sive defluxio humorum musculos flaccidos reddentium, supponitur. Exemplum vero, quod allegavit Idem vir Exc. hic præprimis notandum, scilicet puelli cujusdam ob similem secessum pro luxato diu habiti, & tentata repositione vexati, tandem ex inflammatione & abscessu facti tabidi. Hunc diagnoseos errorem Chi-

rurgis

rurgis etiam exercitatissimis sæpius imponere, felicemque curationem impedire, fatentur *A. Paræus* citante *J. Schenckio*, & *J. Diemerbroccius Anat. l. 9. c.* 19. qui posterior non de puerulis in specie, sed indifferenter de ægro uno vel altero scribit, & ex *G. Rolfincio l. 2. ex. anat. c. 49.* tradit, laxa conjunctione ossi suo adhærere epiphysin, coctione in aqua cito emolliri, ac manibus facile ab osse dirimi. In apertione cadaverum scorbuto defunctorum sæpe deprehendi epiphyses ab ossibus plane separatas notat, & abhinc crepitum ossium deducit *Monsr. Poupart memoire de l' acad. royal de sciences pag.* 232. Sic ossis sacri, prout fere omnium corporis ossium dislocatio & mira mollities a causa interna notatur *E. N. C. II.* 7. 235. *pag.* 448. Sic processum scapulæ acromion dictum in multis adolescentibus & juvenibus adhuc mediante cartilagine spinæ homoplatæ laxius ac mobilius adhærere, & inde per violentiam avelli, adeoque liberum ascensum capiti humeri præbere posse, pro luxatione ejusdem, raro quamvis & unico in *E. N. C.* scil. *II.* 5. 155. exemplo occurrente statuit *J. C. Mustinger disp. inaug. de luxat. Argentor. Anno* 1713. *habita* § 5. Claudo rivum verbis pro mea opinione prolatis a *celeb. J. J. Rau Orat. inaug. de meth. anat. doc. & disc. habita* 1713. *Lugduni Batavorum pag.* 35. *Anatomia docet, quem olim frequentissimum crediderunt femoris ossis ex acetabulo delapsum, rarissime fieri, sed collum ossis ob teneram structuram diffringi a leviori impetu, docent circumjecti articulo musculi, musculorumque tendines, in quem sensum a sede sua naturali os recesserit, in hoc illove latere tensi vel laxati.*

OBSERVATIO XXI.

Dn. D. Johannis Burckhardi Mögling.

Exostosis Cranii interior, cum polypo auris sinistræ & ossiculis duobus duræ matri prope falcem incumbentibus.

SEptuagenarius Vir Pl. Rev. D. J. W. D. per totam vitam sanus, si frequentem lippitudinem excipias & obauditionem a puero

moleſtam, An. 1705. M. Febr. de ſcala delapſus caput in ſiniſtro latere graviſſime alliſit, ſubſequente illico, & ad mortem usque perdurante capitis dolore, primum leviori, ſenſim tamen magis exacerbato. Elapſo abhinc trimeſtri ex aure ſiniſtra ichor ſanioſus ac fœtidus loturam carnis referens extillare cœpit, ab initio parciſſimus ad paucas guttulas, eaque propter ab ægro munia ſua nihilominus obeunte, diu ſuſque deque & clam medicos habitus; Succedens vero hemicrania illius lateris gravior, & dolor ipſius auris, cum tremore gênæ, lippitudine ac aliquali oris tortura metum incuſſit altioris mali. Vocati eapropter Medici cel. Dn. D. Winter mecum, partem dolentem curatius perluſtrantes excreſcentiam fungoſam nonnihil prominentem, ad fortiorem attactum absque dolore ſanguinem corruptum & fœtidum ad paucas guttas fundentem in meatu auditorio deprehenderunt, huncque conſentientibus pluribus medicis & chirurgis palliative, ſcilicet ferro candente quotidie aduri curarunt, impoſito deſuper balſ. digeſtivo, quandoque Mercurio præcip. ſæpius pulvere ex ſabina, rad. ariſtol. myrrha, bolo, & alumine uſto, non neglecto cephalicorum uſu in- & externo, absque ullo tamen fructu; fungo quippe quotidie repullulante, & tumore circa aurem indies aucto, qui ad pugni magnitudinem accedens, pluribus prominentiis præditus, totus ſcirrhoſus tandem ruptus quotidie multum ſaniei fœtidæ fudit, tortura oris indies majori maſticationem cibi ſolidi omnimode impediente, & liquidorum deglutitionem reddente difficillimam, fatiſcente cum viribus ſenſim memoria, & loquela diu difficili tandem penitus inhibita, miſeriarum finem faciente morte die 27. Sept. Anno 1706.

Ablato poſt mortem cranio, copioſus ichor profluxit, dura mater humore gelatinoſo plurimo fuit perfuſa, vaſa per illam diſperſa ſanguine turgida, & cerebrum quoad corticem, non item quoad medullam inflammatum; Exempto hoc petroſum craniios apparuit eroſum, pertuſum inæquali foramine pollicem transmittente, meatu auditorio obliterato, & conſumtis cum tympano auris internæ oſſiculis; Polypus ad interiora protenſus

ſus fuit ovi gallinacei magnitudine albicans, ſpongioſus, peculiari eaque tenuiſſima membrana veſtitus, ſolidus ac cavitatis expers; Cranium in utroque bregmate ad latera futuræ ſagittalis in interiore lamina habuit exoſtoſin inæqualem, duriſſimam, eboris inſtar albam, craſſitie & circumferentia florenum fere adæquantem, in dextro latere grandiorem quam in ſiniſtro; Meningi duræ ſub oſſe frontis adhæſerunt duo oſſicula, ſive lamellæ oſſeæ, quarum major partem quartam floreni, war eines Orthsgulden groß/ referebat valde tenuis; minor, una craſſior, fabæ magnitudine erat, cranio, quoad reliqua, exiſtente ſano.

SCHOLIUM.

LApſui & contuſioni capitis adſcribendas eſſe & exoſtoſin cranii, & lamellas oſſeas falci incumbentes indubium, exundante ſcilicet humore nutritio & prompte concreſcente. An una os petroſum rimam (cui diu ſupervivere poſſe ægrum ſeq. obſ. evincit,) tunc egerit, an vero ſolum lacerata aliquot vaſa ſanguiveha, quamvis exilia? Deus novit. Scorbuticis (vid. obſ. præc.) venereis, rachiticis, ſpina ventoſa affectis, ſcrophuloſis, & cachecticis aliis frequentem eſſe exoſtoſin aliorum oſſium, notum omnibus. Rariores ſunt in cranio exoſtoſes; In *E.N.C.* aliquot notavi plus minus parallelas, ſcil. *I.* 4. 35. *II.* 6. 99. & 234. pag. 546. *III.* 9. 253. & *Cent. II.* 0. 94. Luc Venerea affectis ſæpius accidere, & quandoque juxta nervum opticum enaſci, guttæ ſerenæ cauſam, non niſi poſt mortem deprehenſibilem, curatu vero impoſſibilem, notavit *L. Heiſter tr. d. amaur. p.* 343. *p.* 347. 361. Exterioris laminæ cranii exoſtoſin curatam fuiſſe inciſione cutis & igne abſcedente tandem oſſis carioſi fruſtulo, refert *M.A. Severinus Chir. eff. p.* 2. *c.* 29. & ex ſimili exoſtoſi derivat gummata gallica cum cephalæa conjuncta *Pyrot. Chir. l.* 2. *p.* 1. *c.* 110. Lamellas oſſeas duræ matri incumbentes ſe ſæpius in cerebris vitulorum reperiiſſe, literis conteſtatus fuit celeb. *D.D. Zeller*, horum capiti pronо & ſanguini viſcidiori cauſam adſcribens. An vero hiſce parvis oſſiculis vertigo vitulorũ phreneticorum adſcribi poſſit, Veterinariis

riis excutiendum relinquo, quorum quidam hic Stuttgardiæ degens, natione Helvetius, senex capularis, mihi retulit, multam aquam in ipsorum cerebro reperiri, & mediante terebra ab arte peritis salutariter evocari posse. Tres hydatides ovi columbini magnitudine in cerebro vertiginosi vituli se reperiisse refert *Ill. L. B. de Brunn. E. N. C. III.* 1. 152. *p.* 262. Quæ tamen omnia ossicula illa tanquam causam antecedentem non excludunt. Ossiculorum in cerebro, hujusque falce plerumque hærentium nulla vel obscurissima tantum dari indicia, & curam nullam sperandam, tradit *J. V. Scheid disp. d. ossic. duobus in cerebro apopl. repertis pag.* 25. & citatur in *E. N. C. II. 6 app. p.* 61. Ossiculum inter utramque meningem ad occursum futuræ lagitt. & lambdoideæ ex lapsu per biennium hærens, cephalææ causa notatur *ib. III* 7. 3. & in falcis fundo reperta lamella ossea in Cad. Nob. de Wallbrunn describitur *II.* 3. 204. & *III.* 9. 243. Ossiculum in fundo falcis repertum in Viro sexennio post lapsum epilepsia lethali correpto, legi potest *I.* 4. 34. & in ipsius thalami nervorum dextro latere, similis originis & noxæ *III.* 9. 165. Calculorum in cerebro repertorum, de quibus plerisque, si non omnibus, quod osseæ naturæ sint, credit Idem *Scheid. l. c. p.* 10. Plura exempla prostant; scil. in *E. N. C. I.* 8. 48. *II.* 1. 32. *II.* 1. 131. *& III.* 5. 46.

Ex occasione ossis læsi fungos prompte enasci *C. F. Garmannus E. N. C. I.* 6. 174. docet, & adductis quibusdam exemplis probat *I* 9. 63. Post variolas sæpe ulcus contumax in auribus relinqui, sæpe pus eroso tympano ad mastoidem apophysin penetrare, eamque insanabiliter erodere, imo ejusmodi ulceribus sæpe supervenire visu apparentem in aure excrescentiam, lapide infernali in parte extima adurendam, in interioribus vero tinctura myrrhæ & aloës tractandam, notat *A. Sidobre tr. de Var. p.* 237. &c. Exemplum talis fungi ligatura & cathæreticis curati affert *G. F. Hildanus C.* 3. *O.* 1. Quæ mihi & de exostosi cranii, & de polypis aurium occurrere exempla, paucis addam: I. Ser. Wurtembergiæ Dux Ferdinandus Wilhelmus, Heros inclutus, in oppugnatione fortalitii Neovariensis, Neuheusel / globo sclopeti in

in osse frontis supra oculum sinistrum læsus, & ægerrime restitutus per reliquum vitæ tempus & integros fere octodecim annos (nihil quicquam eapropter de fervore expeditionum bellicarum etiam in regionibus remotissimis, terra marique obeundarum remittens) e nare sinistra quotidie ichorem sanioſum stillavit, & tandem obturato hoc quasi fonticulo, prævia per dies aliquot ophthalmia, convulsionibus & apoplexia occubuit Sluysæ in Flandria, hujus scil. Gubernator, & more Personis Principibus recepto, procurantibus D. D. Helvetiis & Buggaar ad pollinctu-ram adaptatus fuit, occurrentibus in interiore parte ossis frontis duabus protuberantiis osseis, dictis medicis in relatione Bein-Warzen vocatis, Nucis moschatæ minoris magnitudine, una cum duobus ossiculis duræ matri incumbentibus.

II. D. J. F. H. Cupedinarius, annis adolescentiæ lippitudine præprimis oculi sinistri frequenter vexatus, anno ætatis vigesimo contusionem capitis in fronte supra oculum sinistrum accepit, absque cranii, ut credebatur læsione, curatus scil. intra breve tempus, remanente tamen communi plerisque in capite vel partibus nervosis aliis sauciatis fato, Calendario perpetuo, tempestatum indice satis accurato; Successit interjecto plurium annorum tempore Cephalæa atrocissima, primum frontem, post totum caput, occiput præcipue occupans, omnem medicinam quamvis excogitatissimam eludens, per sesquiannum ægrum excrucians, tandem conficiens, Anno C. 1712. ætatis vero 33io expirantem; Cadaver me absente adaperuit *Cel. D. D. Gmelin* Medicus Aulicus, & in osse frontis prope futuram coronalem in utroque latere deprehendit foveas duas oboli magnitudine conspicuas, lancinam interiorem non solum exedentes, quod in sinistro latere potissimum attendebatur, sed & exteriorem ad dimidium excavantes; In dura matre juxta latus utrumque falois animadvertit Idem prominentias duas fovcolis cranii subjectas, remota hac membrana rursus evanescentes; Cerebro cæteroquin bene sano penitus exemto in occipitis osse prope foramen magnum in sinistro latere notavit exostosin cartilagineam, & sub ea cariem

in ipso osse versus os temporis sinistrum serpentem, sanie pauca perfusam.

III. P.S. triennis puer, patre homine stupido, de Magia tamen suspecto, matre vero epileptica in oppido Marbbach prognatus, macrocephalus, surdaster, & mogilalus, ab incunabulis debilis, in utero matris, ut ex subsultibus ejus judicabat, & in prima infantia convulsionibus correptus, biennis vix pedibus insistere potis, & usurpato eapropter balneo ex decocto sideritidis (*v. Höferus H. M. l. 5. c. 4. E. N. C. II. 3. 204. III. 7. 78. p. 131.*) factus ictericus parotides primum, post scrophulas nactus plures exulceratas, ventrem vero tumidum, in utraque aure propullulantem fungum multo pure obductum, habuit sæpe, præprimis ex sinistra, & quidem aliquando cum duobus schidiis ossis temporum inferiorem partem meatus auditorii constituentis commixtum sanguinem corruptum, plerumque pus copiosum ac fœtidum stillantem, accedente febre hectica tandem fatis cessit, apertionem cadaveris frustra urgente *D. D. Maucharto*, Physico loci solertissimo.

IV. Similem auris polypum sanguinem stillantem, item excrescentias scrophulosas hinc inde in collo & retro aures, una cum sarcomate faucium habuit regularius quidam in pago Enzweyhingen, Christophorus Gseller, & tandem occubuit, itidem, prohibentibus scil. agnatis, a Physico vicino post mortem non apertus.

OBSERVATIO XXII.

Dn. D. Johannis Burckhardi Mögling.

Fissura Cranii in osse petroso epilepsiæ, & intervallo sesquianni mortis causa.

Anno 1709. d. 17. Sept. J. F. R. Scriba, ann. 27. ante biennium cum semestri de scala delapsus caput vehementer allisit, in occipitis parte sinistra, abhinc sine sensu & motu aliquandiu humi prostratus, postmodum vomitibus, convulsionibus, delirio, & loquelæ difficultate ac reminiscentiæ correptus per aliquot dies, effluente

effluente multo sanguine ex aure sinistra; Restitutus utcunque de perpetuo globi oculi sinistri dolore, ac de memoriæ infirmitate conquerebatur, recurrentibus sæpius per intervalla incerta convulsionibus, intumescentibus plerumque, si non semper ante ipsarum eruptionem oculi sinistri palpebris; Successu temporis ingravescebat epilepsia, symbolum suum contribuente procul dubio largiori vini usu, cui a teneris nimium assveverat Patiens; Ultima mortem præcedente septimana febris continua inflammatoria, phrenitis, vomitus ab omni ingesto cibo, potu ac medicamentis, anxietates præcordiorum adjungebantur, & paroxysmi epileptici erant frequentissimi ultima die intra nycthemeri spatium ultra quadraginta numerati; Subsequuta mors hesterno mane; Hodie ad instantiam agnatorum adapertum fuit a me & Chirurgo experientissimo Domino *Kellio* cadaveris caput, & detracto cranio cerebrum secundum membranas undique inflammatum, & in processu mammillari dextro semithaleri magnitudine sphacelatum, lacerata ibidem dura matre, deprehensum; ventriculi vero multo sero repleti; Exemto cerebro eadem mater dura firmiter adhæsit processui interno ossis temporum sinistri, & hac cultro abrasa in conspectum venit in ipso illo ossis processu rimula uncialis, abscedente post leviorem instrumento obtuso illatam vim schidio vel foliolo ossis, & reliquo cranio omni ex parte illæso, etiam in osse cribroso, cui processus mammillaris laceratus & inflammatus incumbit.

SCHOLIUM AUTHORIS.

NAturæ, quovis medico sapientioris *E.N.C. II.* 10. 73. solertiam deprædicant hujus ministri, succurrentis salutariter defectui, quod plurimæ alias lethales futuræ plagæ experiuntur, noxa abhinc redundante, si non omnimode sublata, saltem dilata, & multum minuta; Nos admiremur potius infinitam Dei providentiam, qui prout quodvis delictum pœna presso pede insequente punire solet, quod ii, quibus Cor obduratum est, non agnoscunt, perverso sensuum, & corruptæ rationis errore decepti, sibique blan-

blandientes; sic quamvis afflictionem suis illatam alio solamine lenire solet; In casu proposito firmiter accrevit exterior cerebri membrana fisso cranio, sicque noxam, mortemque, modo magis accuratam diætam observasset, homo ebriosus, distulit; sic foramen ossis frontis globo sclopeti læsi in Ser. Principe F. W. Duce Würtenb. non quidem callo osseo repletum, sed duram matrem undiquaque ipsi adnatam, illudque penitus occludentem deprehenderunt laudati in priori observ. medici Belgæ, teste ipsorum relatione, quo adjutus Seren. Princeps vitam, quod satis constat, vere glorioſam ad octodecim annos adhuc transigere potuit. Ossis petrosi depressio & fractura curata incisione musculi & arteriæ temporalis legitur raro exemplo *E. N. C. II.* 3. 137. Læsio, quæ hic accidit, propter profunditatem loci veram curam non admisit, medicis quidem nihil intentatum, quod ex lege methodi fieri potuit, relinquentibus.

OBSERVATIO XXIII.

Dn. D. Joh. Burckhardi Mögling.

Tumor Scirrhosus ex ossis humeri luxati, fissi & fracti occasione ad cancrum accedens.

Anno 1708. Mense Novembri Rustico *Georgio Lang* in pago Lorch prope Schorndorff, municipium Ducatus Würtembergici, per viram saniſſimo, ex altiori horrei parte delapsa forte merges, eine Korn Garbe/ decidit in humerum sinistrum, nulla per bimestre fere subsequente graviori noxa, & nihil quicquam impedito abhinc priori vitæ genere duriori, quod triturando potissimum itemque abietes altiores ascendendo, ipsarumque cacumina pro anni tempore, loci consuetudine & usu domestico abscindendo facile transegit; sub intensiori subsequentis hyemis frigore dolor in illo humero sese exerere cœpit, levior primum & nonnisi mane brevi post sub incalescentia corporis evanescens, sensim tamen auctus, & inuncto ex consilio rustici alium oleo terebinthinæ factus enormis, accedente una brachii tumore, ru-

re, rubore, & atrophia; eapropter alia remedia hinc inde fuerunt conquisita, pro more plebis in curanda atrophia particulari solenni, pleraque inepta, superstitiosa, amuleta, omnia frustra, exacerbato indies dolore & tumore. Mense Junio superveniens medicaster quidam ex denegata brachii ad caput elevatione luxationem suspicatus, repositionem tentavit magna vi illud extendendo ad crepitum usque, bis es einen ſtarcken Knall gethan; abhinc dolor fuit mitigatus, tumor vero œdematosus totum brachium ad metacarpum usque occupavit, epithematibus variis rursus discussus; tumor vero humero insidens antiquum semper obtinuit, quotidie increscens; hunc postea Chirurgus quidam, cœteroquin boni nominis, suppurantibus tractavit, eodem i.e. nullo effectu; usurpatum quoque propter suspicionem fascini balſ. mag. Göleri, itidem incassum. Tandem cum omnia in pejus ruerent, die 5. Octobr. consultus primum Medicus *Dn. D. Jæger*, Physicus Schorndorffensis dexterrimus, & ex dolore tensivo ac gravativo, non pulsatorio vel inflammatorio, per intervalla remittente, ad pectus subinde se extendente, noctu potissimum gravi, ad attactum manus quamvis fortiorem, quæ cavitatem in profundo indigitabat, non exacerbato, tumore vero enormi, caput adulti adæquante, rotundo, æquali, duro, ex albo rubro, venis tumidis nigricantibus conspersо, *scirrhum* ad *cancrum* tendentem judicavit, & præmisso prognostico curam palliativam duobus Chirurgis expertis commisit; hos vero per 14. dies actum agentes patiens impatiens, doloris scilicet atrocitate victus, tumorem aperire coëgit, effluente puris loco sanguine sincero cum aliquali levamine; deprehensum ab ipsis in profundo vulneris corpus quoddam membranaceum sexto post apertionem die ad factam vim papyri instar dissiliit, irruente absque remora stylo ad digiti longitudinem, & nullo fere effluente sanguine, multo minus pure; abhinc mitiora facta omnia aliquamdiu, & imminutus quartam partem tumor, brevi rursus recrudescens, ægrumque tandem, semper licet valentem appetitu subinde nimio, dolore atroci sæpe enormi & marasmo con-

ficiens; subsequuta mors decimo quinto post acceptam a mergite plagam mense. Sectio cadaveris, Medico alibi occupato, per Dominum *Wernerum*, Chirurgum Schorndorffensem, & quod rarum, eoque majori laude dignum, anotomiæ, quam Lugduni Batavorum didicit, peritissimum fuit instituta, ac deprehensus tumor ℔x. pond. civil. parte convexa, ducto a clavicula ad scapulam usque filo, quarta parte ulnam Würtembergensem excedens, **war fünff Viertheil dick**/ in profundo neutiquam, sed in superficie solum & circa labia inflicti vulneris exulceratus, revera *scirrhosus*, substantia interna referens quasi glandulam conglomeratam, & granula sibi invicem cohærentia, facile abinvicem & a reliquis partibus levi digitorum opera separabilia, nullibi mobilis, sed costis, ossibus & musculis tenaciter adhærens, exiguam in fundo cavitatem habens, præditus tamen quinque sinubus superficiem ejus perarantibus, & lympha alba, quasi chylosa repletis. Separato undiquaque & amoto tumore occurrit perfecta humeri luxatio, capite ossis extra acetabulum muco vel carne spongiosa repletum retrorsum secedente, versus scapulam, fissura notabili in ipso acetabulo, ac processibus acromio & coracoideo deturpatam; uncias duas infra suum caput os humeri ipsum erat transversim diffractum, & extremitates illius summe acuminatæ, spithamæ longitudine ab invicem distantes, cute cum musculis multum extensa, & brachio ipso præ altero longiori; ossa vero erant nullo modo corrupta vel carriosa, De anevrismate nihil quicquam animadversum, arteria & vena axillari cum subclaviis in situ naturali sine ulla extensione remanentibus; in aperto thorace notabatur vestigium tumoris in latere sinistro, sive prominentia ovi gallinacei magnitudine, pulmonibus ibidem pleuræ firmiter annexis; cœtera erant omnia s. n. & de sanguine extravasato vel pure nihil quicquam conspicuum. Similem fere tumorem ad scapulæ dextræ basin ad cancri malignitatem accedentem, ex occasione ossis læsi prognatum describit Cel. *Wedelius E. N. C. II.* 1. 12. *p.* 27.

(*Stuttgardia Augustam Vind. d. 9. Martii. A. 1716. missa.*)

OBSER-

OBSERVATIO XXIV.

Dn. D. Laurentii Heisteri.

De Tunica allantoide, Vasorumque ejus nova delineatione.

IN Ephemeridum harum centuria secunda Observatione 198. pag. 433. quondam tunicam, allantoidem dictam, in fœtu humano existere negavi, quia urachus utrinque pervius nunquam ab ullo Anatomicorum inventus est; verum & existentiam ejus in bestiis mihi dubiam esse scripsi, licet urachus in eis sit totus pervius; quoniam neque ab illis, quos secare vidi, mihi unquam demonstrata fuit, neque a me, magna licet diligentia adhibita, ad illud usque tempus reperiri potuit. Eam quidem in animantibus brutis non penitus negavi, quia tot sunt egregii Anatomici, qui eam vel delinearunt, vel vidisse affirmarunt; sed tantum dixi, me hucusque non fuisse adeo felicem, ut eam vel ab aliis demonstratam viderim, vel ipse invenire potuerim. Attamen cum dies, ut ajunt, diem doceat, animusque meus ita sit comparatus, ut non facile traditionibus credat, nisi eas cum experientia convenire percipiat; sed Autorum asserta, præsertim in rebus dubiis artis medicæ, ita perscrutari gestit, ut ipse suis oculis videat atque cognoscat, quid verum, quid falsum crepet: hinc in re adeo dubia non destiti a labore allantoidem ulterius inquirendi: qui tandem etiam adeo feliciter cessit, ut præsentibus multis spectatoribus in vacca primum voti mei compos factus fuerim, tunicamque allantoidem, quæ multorum diligentiam jam elusit, farciminis magni & crassi figura, cum urachо & vesica manifestissime communicantem, fœtum non obvolventem, sed thoracis & abdominis parti subjectam, & ad utrumque uteri cornu exporrectam, invenerim, atque cæteroquin revera ita constitutam, sicuti a *Fabricio ab Aquapendente* Tract. de fœtu formato Tab. XIII. & XIV. *Needhamo* Observat. Anat. Tab. I. aut a *Verheyeno* Supplem. Tab. V. fig. 5. delineata sistitur, unde etiam simul, cui volupe est, prolixior descriptio peti

potest.

potest. Hoc ipso factum est, ut jam de existentia allantoidis in pullo vaccino & ovillo totus sim persuasus, & ab omni dubio me & auditores meos liberaverim, Neque vero pudet, me quondam de existentia hujus tunicæ dubitasse, & publice esse confessum, quod hanc tunicam olim reperire non potuerim; meliorem que ab aliis demonstrationem desideraverim: nam, præterquam quod multi sint Anatomici, quibus idem ac mihi contigit factum, præsertim etiam *magnus Harvæus*, Veteranus ille atque exercitatissimus Anatomicus, qui in hisce partibus, ad fœtum pertinentibus, vitam quasi contrivit, eam quoque, summa licet adhibita diligentia, nunquam reperire potuit, sicuti ipse testatur in dissertatione de membranis & humoribus fœtus tractatui de generatione animalium annexa; & propterea contra Fabricium allantoidem nusquam, neque in homine, neque in vaccis, ovibus aliisve animalibus reperiri asseruit; quamvis ab hoc jam tum curate fuerit delineata. Unde profecto de difficultate eam inveniendi facile judicari potest; inprimis si quis prius methodum eam detegendi a prosectore quodam non viderit, sicuti mihi contigisse supra & alias jam monui. Accedit & hoc, quod ab illis, qui uteros tales prosectoribus afferunt, allantois sæpe lædatur, aut ob magnam tenuitatem in investigatione facile rumpatur, unde concidit & conspectum eludit. Quapropter si tantus Anatomicus allantoidem, omni quamvis studio ipsi inhians, nunquam invenire potuit, tanto facilius apud æquos rerum arbitros me veniam meriturum atque obtenturum esse confido, qui eam tandem mea industria reperi, (quæ felicitas Harvæo non contigit) & simul jam semper in vaccis & ovibus gravidis demonstrare possum. Unde simul hæ *utilitates* enatæ sunt, 1.) quod aliis eo minor dubitandi ansa de allantoidis in bestiis existentia relinquatur, cum eam toties Auditoribus meis exhibeam, quoties fert occasio; & 2.) quod eo ipso simul occasionem habuerim *vasa sanguifera copiosissima & pulcherrima*, subtilia quidem; attamen satis conspicua in illa inveniendi & delineandi, quæ ab aliis Anatomicis, quantum novi, nondum delineata (nam a supra laudatis Autoribus nulla

demon-

Tab. IV. pag. 233.

Ad observationem de Tunica allantoide, Observ. 24. Cent. VI.



Observ. 38. Cent. VI.

Spergula foliis Knaul, flore purpurascente

demonſtrantur) imo a quibusdam negata ſunt. Hanc ob cauſſam partem tunicæ allantoidis hic repræſento , quam ex vacca depromptam atque exſiccatam aſſervo, in qua vaſa ſanguifera, ſine injectione aut alio prægreſſo artificio, jucundo ſpectaculo ita ſe exhibent, prout hic Tab. IV. Fig. 4. conſpici poſſuut. A pars allantoidis ex funiculo umbilicali proveniens, cum uracho continua, flatu diſtenta & filo conſtricta : BB. locus , ubi ſe explicat ſive dilatatur : CC. locus, ubi pars hæc reſecta eſt a reliquo : DD. Vaſcula copioſiſſima minutiſſima in loco allantoidis anguſtiori : EE. Vaſorum horum reptatus per partem ampliorem, quæ paullo longius ſe extendebant,quam hic demonſtrantur,tandem vero evaneſcebant. Per reliquam allantoidis partem nulla amplius vaſa obſervare potui ; ſed totam pellucidam ſemper reperi, ſine vaſis ſanguinem rubrum continentibus. Hinc ſi quæritur, quomodo nutriatur & creſcat? Reſpondeo per vaſa, nil niſi ſerum aut lympham vehentia , ſicuti tunica cornea, albuginea, humoris vitrei & cryſtallini in oculis, aliæque ſimiles.

OBSERVATIO XXV.

Dn. D. Laurentii Heiſteri.

De

Cane liene orbato continuatio.

PRomiſi ſuperiori anno in Ephemeridum harum Centur. IV. pag. 468. me de cane, cui lienem extirpaveram, cum eruditis communicaturum eſſe , quid in eo progreſſu temporis ulterius obſervavero , & cumprimis an in utero ſit concepturus ; inveni autem poſtea in iisdem Ephemeridibus Centur. III. pag. 55. Obſervationem curioſam & oppido raram Celeberrimi *D. Vallisnerii* de ſimili cane fæmella , quam per quinque annos liene exemto vivam ac ſanam ſervaverat, & tandem interfici curaverat: cum antea nullum exemplum mihi notum eſſet canis , qui ſine liene ultra biennium vixiſſet. Omnia autem fere, quæ *D. Vallisnerius* de cane ſuo, dum vixit, obſervavit ac deſcripſit, in

meo quoque ab initio ita se habebant, sicut jam loco citato notavi, & adhuc hodie ita se habent: nimirum semper admodum agilis & hilaris est, in currendo velocissimus, voracissimus, robustus, & hucusque sine omni sanitatis detrimento vivit; verum in hoc tantum differt nostra fœmella ab illa, quod quamvis salacissima sit, & masculos sæpius admittat, tamen hucusque non imprægnata sit, cum *Vallisneriana* fœcundissima fuerit, sæpiusque pepererit. Ideoque ex hac observatione corruere videtur illud, quod *Verheyen* in Anat. Corp. Human. aliique suspicati sunt, ac si lien aliquem usum in generationis negotio præstet; cum hoc exemplum contrarium doceat. Attamen jam notavimus nostram canem nondum concepisse, etiamsi alias canes jam concipiant & pariant, dum vix annum ætatis attigerunt. Quoniam autem *D. Vallisnerius* pluribus canibus lienes evulsit, (sicut in ipsius observatione asseritur) optarem, ut descripsisset, aut saltem adhuc describeret, quid in reliquis observaverit; utrum omnia phænomena in cæteris observata conveniant cum hac, an differant, & qua in re; ut ex copia experimentorum inter se invicem collatorum a potiori sive frequentissime contingente ratiocinium fortius certiusque de vero usu lienis formari queat; & an ejus extirpatio non in plerisque sanitatis quoddam detrimentum, vitæ terminum breviorem, generationis impedimentum, aliasve mutationes circa hepar, bilem, aut reliquas partes afferat; nam ex unico experimento, (ubi multa fortuita contingere possunt) nihil apodictici aut demonstrativi, ut ajunt, asseri potest: ipseque adhuc pluribus in canibus similia experimenta instituere decrevi, in quibus videbo, quæ & qualia phænomena observaturus sim; de his autem alio tempore plura.

OBSERVATIO XXVI.

Dn. D. Laurentii Heisteri.

Vasa lactea in intestinis crassis equi reperta, & fibræ annulares in ejusdem equi ductu thoracico detectæ.

Superiori anno in gratiam Auditorum meorum equum dissecavi,

cavi, cui, antequam interficeretur, largum prius pastum præberi curavi, ut vasa lactea, lymphatica, & ductus thoracicus bene replerentur, spectatoribusque melius se ostenderent. In dissectione quoque elegantissime & valde repleta in conspectum prodibant; quod eo facilius contingebat, quia equus erat bene macilentus. Ast, quod notatu dignum, (quia multis dubium) non solum ex intestinis tenuibus, sed etiam e crassis, quæ tenuibus proxima, *quædam prodibant*, *verum liquorem lacteum seu chyłosum continentia*, qui incisis talibus vasis manifesto effluebat; nam insignes nervi mesenterici, qui juxta sunt, in equo facile imponere possunt, si soli visui fidamus.

Demonstravi postea ductum thoracicum, qui quibusdam in locis amplitudinem digiti, in aliis vero tantum calami scriptorii habebat. Separavi atque excidi eum totum ex equo, flatu distendi & exsiccavi: quo facto, *fibræ annulares in eo manifesto videri poterant*, fere ut in intestinis tenuibus hominis exsiccatis; quæ, an ab aliis jam descriptæ sint, haud memini, quæ propter eum adhuc conservo. Unde judicatu facile est, aut potius apodictice demonstratur, ductum thoracicum habere vim contractilem, sive propellendi chylum. Et quamvis hæ fibræ in homine aliisque minoribus animalibus in conspectum non prodeant; vix tamen dubitandum, hanc fabricam eodem modo similem ob usum in minoribus & insensibilibus, quam in majoribus & sensibilibus se habere, & tantum ob exiguitatem visum eludere. Inde autem ulterius sine errore inferri posse credo; quod, qualis structura in ductu thoracico, talis etiam in vasis lymphaticis & lacteis; ideoque certum & demonstratum esse puto ductum thoracicum, vasa lactea & lymphatica vi sua contractili motum & progressum contentorum juvare, promovere.

OBSERVATIO XXVII.

Dn. D. Laurentii Heisteri.

Venæ umbilicalis in fœtu vera insertio, & canalis venosi accuratior descriptio, errorumque, quos Autores circa hæc commiserunt, emendatio.

FOetus in utero nonnulla habet vasa peculiaria sive ductus, quorum beneficio ob prægnantes causas paullo alium obtinet sanguinis circulum, quam in adultis; quæ tamen per aliquod tempus post partum adhuc aperta conspiciuntur; eorumque, præter vasa umbilicalia, potissimum tria ab Anatomicis observata sunt; duo in corde, foramen scilicet ovale dictum, & canalis sive ductus arteriosus; tertium in hepate, *quod ductus canalis sive tubus venosus* appellatur, communicationem inter venam portæ & venam cavam præstans, sanguinemque venæ umbilicalis ex sinu venæ portæ amplo cylindrico canali proxime in truncum venæ cavæ infundens; sic, ut propter hunc tubum in fœtu opus non sit, quo sanguis venæ umbilicalis ac venæ portæ per totam hepatis substantiam ac vasa ejus capillaria omnis transeat; sed, ut magna, & forte maxima pars, recta per hunc amplum ductum ad truncum venæ cavæ & cor transferatur. Quia vero hunc tubum ab Autoribus non satis accurate, imo sæpius male ac perverse & delineatum & descriptum observavimus: hinc, qui pro muneris mei ratione in emendatione errorum anatomicorum desudo, illum una cum fine sive insertione venæ umbilicalis in hepate, (in qua describenda & delineanda Autores quoque discrepant, errant, obscuri & confusi sunt) perspicacius exhibere & describere hic allaboravi. Audiamus autem prius, quid nonnulli ex præcipuis Anatomicis his de rebus dicant, nam cum his plerosque reliquos consentire reperimus.

Prodeat inter hos Celeb. *Verheyen* primus, utpote qui plurimorum hodie teritur manibus: hic in prioribus Anatomici sui operis editionibus Tract. II. Cap. XXXI. ubi de vena umbilicali loquitur,

quitur, ita scribit: *Vena umbilicalis ex hepate egreditur, dicitur-que passim venæ portæ soboles, verum partim in hac, partim in vena cava radicatur.* Quæ vero verba profecto & mihi, aliisque a præjudiciis liberis, obscura aut falsa videntur; atque hanc ob causam existimo Authorem hunc incertum de insertione venæ umbilicalis in hepate, ambiguum illud vocabulum *radicari* data opera hic adhibuisse, ut in re non rite perspecta & dubia lectorem quoque dubium relinquat. Si vero per illa verba, (*nimirum quod vena umbilicalis partim in vena portæ, partim in vena cava radicetur*) intelligat truncum venæ umbilicalis dividi, & partem ejus in venam cavam, partem in venam portæ inseri, (sicuti quam maxime innuere videntur, cum Principes Anatomicorum *Aquapendens & Spigelius* in tract. de formato fœtu, aliique plurimi idem scribant) tunc cum his Autoribus non consentio, eosque errasse existimo, præsertim si de eo sermo sit, quod in homine, & ordinario contingit; (nam in canibus, felibus, cuniculis, avibus, aliisque bestiis rem aliter se habere quam in homine, non ignoro,) verum in fœtu humano æque ac in vitulis venam umbilicalem solum unico semper trunco sine divisione in sinum venæ portæ hepatis, nunquam adhuc in cavam inseri observavi; imo si hoc ita contingeret, inter rariores observationes merito esset referendum, nec pro consueto & ordinario venditandum, prout res hæc ex descriptione & figuris nostris mox erit manifestior.

Verheyen tamen assertum illud de divisione sive duplici illa insertione in novissima sive ultima sua editione non emendavit, sed retinuit, & quidem non sine adjectis novis obscuritatibus aut falsis additionibus; nam in Supplementi Tract. V. Cap. XI. de secundinis, ubi venam umbilicalem describit, ita ait: *Vena umbilicalis ex hepate egreditur, dicitur passim venæ portæ soboles; major pars tendit recte ad venam cavam, nimirum insignis canalis venosus ab hac vena sub sima parte hepatis ad venam cavam protenditur, eique hepar egredienti implantatur, quo nimirum sanguis a placenta redux brevissima via vadat ad cordis*

cavitates. Pars autem inferior tendit per umbilicum ad placentam uterinam. Et paullo post: *truncus* (venæ umbilicalis) *per umbilicum fœtus tendit ad hepar, ubi partim implantatur venæ portæ, partim sub sima hepatis facie recte, ut dictum est, ad venam cavam protenditur.* Quibus in verbis *Verheyen* mihi rursus valde confusus apparet, & profecto nemo facile verum sensum assequi & asserta hæc sine contradictione reconciliare poterit; nam in prioribus hisce modo citatis verbis venam umbilicalem in venam cavam implantari scribit, nullius autem insertionis in venam portæ ibi mentionem facit, ideoque eam in solam cavam inseri asserit: cum tamen semper in venam portæ inseratur. In posterioribus autem verbis rursus, ut in priori editione, affirmat, quod *truncus venæ umbilicalis partim implantetur venæ portæ, partim sub sima hepatis facie recte protendatur ad venam cavam*; ideoque si ex his Autoris verbis contradictio non patescit, profecto tamen a confusionis & obscuritatis vitio absolvi vix poterit: nam quomodo hæc conciliari aut recte intelligi, aut simul vera esse queant, non perspicio, quamvis ea sæpius legerim atque relegerim. Præterea jam alias dixi, rem nequaquam se ita habere, ut *Verheyen* scribit, quocunque sensu verba ejus accipiantur; & venam umbilicalem neque in solam cavam inseri, neque talem divisionem, qua pars ejus in cavam, pars in venam portæ implantetur, unquam a me deprehendi potuisse, sed semper totum truncum umbilicalis in homine & vitulo solum in sinum portæ, & tandem ex hoc demum magnum canalem venosum per simam hepatis partem ad cavam adire, qui a vena umbilicali distinctissimus est, nec unquam proprie pars venæ umbilicalis dici poterit; in quo & *Glissonium* Tract. de hepate, & *Needhamum* Observ. Anat. de vasis umbilicalibus consentientes habeo: imo ipsam *Verheyeni* delineationem. Nam in delineatione nova harum partium, quam in supplem. Tab. VI. Fig. I. tradit, diversus est a sua descriptione antea data, atque sic aliter describit, aliter delineat. In explicatione quidem illius figuræ recte ostendit, contra verba sua supra citata, quod vena umbilicalis

NB. *in*

NB. *in solum sinum portæ inseratur*, & ex hoc tubus venosus, distinctus a vena umbilicali, ad cavam abeat, & proinde hic non probat, quod antea asseruerat, nimirum: *venam umbilicalem partim venæ portæ, partim cavæ inseri*; ideoque inconstantia & incertitudo hujus Autoris ex demonstratis satis patent. Præterea quoque sinum portæ, canalem venosum & venam cavam aliter delineat, quam ego ea reperire soleo: quapropter quia hæc neque in aliis Autoribus recte delineata invenire potui, quamvis varii egregii ac maximi Anatomici speciatim de fœtu, alii speciatim de hepate scripserint, horumque partes elegantibus cæteroquin & accuratis iconibus illustraverint, ex quibus præ cæteris *Fabrit. ab Aquapendente*, *Spigelius*. *Needham* & *Glissonius* eminent, quorum tamen *Glissonium Tract. de hepate* quam proxime ad metam collimasse observo; quamvis ejus figura tantum demonstret, quomodo hæc in adultis (in quibus tamen a fœtu longe diversa sunt) se habeant, & canalem venosum non integrum, sed ante insertionem in venam cavam resectum exhibeat. Proinde ea, prout tam in infantibus quam vitulis reperiuntur, delineavi, & veram descriptionem addidi; nam modo laudatorum Autorum præcipue *Aquapendentis*, *Spigelii & Verheyeni* descriptiones harum partium mihi sæpius imposuerunt, multumque laboris ac tædii crearunt, dum in Tyrocinio meo anatomico venæ umbilicalis insertionem in venam cavam aut ejus bifurcationem inquirere allaboraverim, eam vero nunquam reperire potuerim Idcirco in gratiam tyronum anatomes, aut etiam eorum, qui venæ umbilicalis finem in hepate, canalemque venosum investigare contemplarique volunt, veram descriptionem & accuratiorem delineationem hic dare volui: quas si sequentur, facile omnia invenient, sicut re vera se habent in homine æque ac in vitulis.

Igitur si cadaveris infantis vel vituli abdomen aperitur, mox ad umbilicum vas illud, quod ab hoc ad hepar pergit, vena umbilicalis dictum, ab umbilico abscindatur. Deinde hepar a diaphragmate & postea ab aliis cohærentibus partibus provide separetur, ne lædatur, & integrum e cadavere educatur. Hoc hepar Tab. V. AA. postea ita

inver-

invertatur, ut pars sima sive concava BB. fiat superior, & vena umbilicalis C. profectorem respiciat, sicut Fig. I. & II. ostenditur, Hæc vena simplici trunco per rimam jecoris in ipsam ejus substantiam versus medium pergit partis simæ, ubi substantia hepatis a prædicta vena scalpello abradatur, & simul vasa biliaria cum vesicula fellis circumspecte exscindantur, ut reliqua accuratius investigari queant: sic tandem ad ita dictum sinum venæ portæ DD. pervenitur, qui rursus a substantia hepatis, qua tegitur, liberandus; quod eo facilius fiet, si prius per venam umbilicalem stylus crassus intrusus fuerit. Hoc peracto, conspicitur non solum insertio trunci venæ portæ E. & magnitudo hujus sinus, quæ magis in fœtu conspicua est quam in adultis, quia sanguis e vena umbilicali influens eum distendit & explicat; sed etiam rami præcipui portæ per simam hepatis faciem undique dispersi FF. à qua parenchyma hepatis ex parte abrasum ostenditur; & quod hic potissimum notandum, unica & simplex venæ umbilicalis insertio K. non in venam cavam G. sicut *Verheyen* aliique tradunt, sed in solum sinum portæ DD.

Si deinde *canalem sive ductum venosum reperire* quis gestiat, (quem plerique etiam male & confuse descripserunt) vel venam umbilicalem & sinum portæ aperiat scalpello, vel stylum mediocrem per venam umbilicalem immittat, eumque paullo oblique versus H. dirigat, tunc facile aut mox, aut leniter hinc inde motitando reperiet meatum, per quem facili negotio stylum in venæ truncum G adigere poterit; (nam si stylus in cavam non facile transit, certum est eum in vero ductu non hærere, sed in ramo quodam portæ) quem ductum tunc quoque curatius a parenchymate hepatis denudare potest, ut a principio usque ad finem melius in conspectum prodeat; qui autem, quia ejusdem est texturæ & substantiæ cum aliis ramis venæ portæ, ex eo ab illis facile distinguitur, quod ramificatione sit destitutus, qua alii omnes venæ rami gaudent. Postquam vero stylus rursus educitur, observavi semper *hunc canalem non rectam, sed curvam & quasi lunatam describere lineam*; præcipue in vitulis,

sicut

sicut HH. Fig. I. demonstrat, qui in fœtu humano Fig. II. minus inflexus conspicitur: constatque inde, eum non tam directe, sicut a *Glissonio* & *Needhamo* locis citatis delineatur, sed magis oblique respondere venæ umbilicali, & multum inde remotum esse, principiumque ejus ut plurimum loco quasi medio existere inter venam umbilicalem & truncum venæ portæ, atque finem in vena cava, ubi diaphragmati annectitur. Adeoque ex his manifestum est, *nunquam recte loquendo dici posse, venam umbilicalem partim venæ cavæ, partim venæ portæ*, multo minus soli venæ cavæ inseri, cum tota, quanta est, in homine & vitulis sinui venæ portæ implantetur ad K. ibique desinat. Neque ductus hic communicationis HH. pro parte aut ramo venæ umbilicalis haberi potest, sicut *Verheyen* loco citato, & *Spigelius* de formato fœtu cap. de vasis umbilicalibus, aliique volunt, quia in altero sinus venæ portæ latere emergit; multo minus pro portione venæ cavæ, prout *Aquapendens* in Tract. de form. fœtu Tab. XVII. eum indigitat; imo in Tabulæ XVI. explicatione lit. G hunc canalem, nescio qua de causa, venæ cavæ truncum appellat, cum tamen ab hoc sit distinctissimus.

Cum igitur hæ partes apud maximos Anatomicos, sicut ex dictis clarum est, tam male & confuse descriptæ ac delineatæ sint, hunc mehercules laborem nostrum iis non ingratum fore credo, qui mecum de Anatomes emendatione gaudent, & ad majorem ejus perfectionem adspirant; eoque ipso simul tyronibus longe expeditior paratur via, ut facilius res parteſve descriptas invenire queant, dum sæpe ab obscuris & falsis Autorum descriptionibus ac delineationibus in opere suo turbantur, & ab ulteriori labore & investigatione magno cum studiorum suorum detrimento deterrentur absistuntque.

Figura harum partium, quam ex *Verheyeno* supra citavimus, longe quidem differt a figuris *Aquapendentis*; verum sinum venæ portæ & canalem venosum ita delineat, ac si extra hepatis parenchyma essent collocati, aliumque tractum ipsis largitur, quam nos semper observavimus; idcirco qui nosse desiderant, quænam

ex tot delineationibus & descriptionibus Autorum sit optima, eas cum subjectis conferre possunt, & invenient sine dubio, nostram cum natura rei optime convenire. Hoc vero adhuc hic monemus, quod figura nostra I. juxta vitulinum hepar jam quatuordecim dies natum, ubi descripta vasa jam sunt angustiora, quam ubi primum ex utero prodit, confectum sit, & quod ob spatii angustiam magnitudine naturali minor sit; sed figura II. hepatis fœtus humani quatuordecim dierum cum magnitudine naturali convenit: & licet hæ figuræ non sint secundum splendorem exaratæ, satis tamen accurate sculptæ sunt, quod in tabulis anatomicis inepto nitori præferendum esse duco.

Explicatio Tab. V. Figuræ I. & II. AA. notat hepar, BB. partem ejus simam, in qua variæ eminentiæ & incisuræ; C. vena est umbilicalis, hac ætate jam multum contracta, satis tamen adhuc patula. DD. sinus venæ portæ. E. Truncus venæ portæ. FF. præcipui rami venæ portæ. G. truncus venæ cavæ. HH. Canalis venosus communicationis inter sinum venæ portæ & truncum venæ cavæ fœtui proprius. K. locus insertionis venæ umbilicalis in solum sinum venæ portæ.

OBSERVATIO XXVIII.

Dn. D. Laurentii Heisteri.

Dissectio duorum cadaverum melancholicorum, quæ aquæ submersione sibimet ipsis mortem intulerant; ubi inprimis quædam singularia curiosa circa ductus felleos cysticos & pancreas describuntur.

SUperiori vere hic Altorfii vir quidam jam a longo tempore tristioris animi aut vitæ melancholicæ haud obscura signa præbens, vesperi urbe egreditur, sequenti die in puteo quodam haud procul ab urbe mortuus reperitur, & inde ad theatrum nostrum anatomicum transfertur. In hujus dissectione nihil præter naturam inveni, nisi 1) pancreas valde durum & quasi scirrhosum, ductumque pancreaticum angustissimum, & ab indurata pan-

TAB. I

F. I



F. II



pancreatis substantia quasi angustatum. 2) Dum vasa biliaria spectatoribus ostendere & per ductum cysticum stylum mediocrem ad vesiculam fellis, qualis alias facile transit, immittere vellem, eum transmittere non poteram, sed obstacula ingressum impedientia offendebam; nec flatus tubulo injectus facile transibat. Quapropter vesiculam fellis cum ductu suo ex hepate separandam, flatu distendendam atque exsiccandam commisimus diligentissimo quondam nostro ultra quadriennium Auditori D. Lic. *Trevvio*; quibus peractis, præter singularem atque inusitatam cystidis felleæ figuram, quam Tab. V. Fig. I. in naturali magnitudine idem laudatus *Trevvius* delineari curavit, notatu dignum erat 1) peculiaris appendix A, in qua plura corpuscula glandulis similia BB. apparebant, exiguis foraminulis in cavitatem hiantibus prædita. 2) In collo vesiculæ, quod hic apertum demonstratur, ubi exitus bilis e vesicula E. magna aderat valvula C. postea ductus cysticus incipiebat D. qui non solum ad similitudinem colli cygni inflectebatur, sicut in homine ordinarium est; sed etiam, antequam recta pergebat, sinum G. conficiebat. 3) *Quod rarum, curiosum & cumprimis hic notatu dignum*, ductus ipse cysticus foris quasi contortus apparebat HH. instar funiculi; verum intus pulcherrimæ per totum ductum conspiciebantur valvulæ spirales, sicuti jucundo spectaculo similes in intestinis Raiæ piscis & leporum apparent: quæ in Fig. III. ubi hic ductus apertus ostenditur, elegantissime in conspectum veniunt hhh. Bilis in hac cystide erat lenta, tenax, instar succi inspissati, atque non, nisi cystide fortiter pressa, effluebat. Fig. II. orificium appendicis in cystidem A. & valvulam lunatam ibi positam B. ostendit.

Vix mensis præterierat, & en mulier Judæa majori adhuc melancholiæ, ut percepi, gradu correpta, juxta Norimbergam in conspectu multorum hominum in stagnum se præcipitabat, & antequam ipsi succurri poterat, aqua suffocabatur. Transmittebatur quoque ab *Illustribus Patriæ Patribus* cadaver ad theatrum nostrum anatomicum, & a me publice dissecabatur. In

hoc simili modo ac in priori subjecto nihil morbosi aut extraordinarii reperi, præterquam 1) *pancreas* valde crassum & sanguine nigro ubique suffusum. 2) In *collo cystidis*, (quam *Rodbergius* Med. Stud. ob egregium judicium & diligentiam hic nominandus, exsiccaverat) sicut Tab. V. Fig. IV. AA. ostendit, ad exitum C. insignis aderat valvula B. dimidiam partem aperturæ ductus cystici obtegens. Ductus autem cysticus D. ubique rursus valvulis similibus spiralibus EE. totus erat instructus; quæ quidem, licet quantum novi, a nemine hactenus observatæ aut descriptæ fuerint, non tamen dubito eas sæpius reperiri, si ad eas frequentius attendamus, quia bis uno mense a nobis visæ sunt. *Glissonius* quidem tract. de hepate Cap. XIV. ait: *Anatomicos quosdam in ductu cystico valvulas effinxisse, se autem credere fibrosum annulum* (sive sphincterem) *cystidis iis imposuisse, se enim nunquam hactenus valvulam ibi inveniisse.* Sed en hic valvulas non fictas, sed veras easque pulcherrimas, non semel, sed in duobus subjectis repertas. *Lien* in utroque cadavere nullum vitium, neque in magnitudine insolita, neque in colore aut alia qualitate præternaturali ostendebat, qui tamen alias in melancholicis plerumque pro sede hujus morbi accusari solet. Ex quibus conjecturare licet, bilem & potissimum succum pancreaticum in his duobus subjectis non rite, neque debita copia respective secerni & excerni, ideoque & chylum non rite solvi attenuarique potuisse: hinc crudus spissusque chylus similem quoque sanguinem generat, qui accedente cumprimis causa procatarctica facile gravitatem corporis, tristitiam, anxietates, tædium vitæ, mentis perturbationes, verbo, melancholiam producere aptus est. Inde etiam manifestum fit, non semper lienem, sed forte sæpius pancreas & bilis impeditum fluxum melancholiam excitare, quam ob causam hanc in rem in aliis corporibus melancholicis, ubicunque dabitur occasio, ulterius inquirere, negotium erit profecto haud supervacaneum.

OBSER-

TAB. II

F. I



F. IV

F. VI

F. V



F. II



F. III



F. X

F. IX

F. VII



F. VIII

OBSERVATIO XXIX.

Dn. D. Laurentii Heisteri.

Ossa sesamoidea in femore ac minimo digito manus describens.

CUm ante biennium Altorfii Dn. Lic. *Christophorus Jacobus Trevv* occupatus esset in ossibus cadaveris humani mundandis, atque in præparatione artuum, me præeunte, in numerum ossium sesamoideorum accurate inquireret; (dum sciebam Autores de eorum numero non convenire) deprehendimus quædam, de quibus apud Autores vel nihil vel saltem non accurate dictum reperitur; multa autem alia constanter abesse in homine observavimus, quæ a magnis Anatomicis homini tribuuntur, & tamen tantum in canibus aliisque bestiis inveniuntur. *Primum antea nondum cognitum osticulum* se offerebat in femoris parte inferiore condyloque ejus exteriori: ubi in fovea quadam deprehendimus osticulum rotundum, satis magnum, figura & magnitudine Fig. VI. Tab. V. quod instar parvæ patellæ loco C. Fig. V. insidebat in utroque femore. Putabamus tunc temporis id extraordinarium fuisse; cum vero postmodum perlustraremus in sceletis alia femora, & luculenter semper deprehenderemus singularem foveam in omnibus femoribus, eo in loco, cui antea insidere repereramus illud osticulum, hanc foveam, frustra aut fortuito ibi non existere facile nobis persuadebamus: ita, ut deinceps ulterius in illius existentiam inquirere statueremus; quod & postea nunquam non in omnibus, quotquot deinceps cadavera inspeximus, reperire contigit: siquidem brevi in quatuor subjectis illud constanter inveni, atque etiam forsan cuilibet imposterum inquirenti patebit, nisi forte subjectum tractet juvenile, in quibus ossa sesamoidea plerumque deficiunt.

Alterum, quod ab aliis non descriptum scio, osticulum insidet minimo digito manus, in medio articulationis E. Fig. VII.

ubi os metacarpi A jungitur cum prima phalanga minimi digiti B, quod extra ſitum oſtendit Fig. IX. & hocce oſſiculum, licet exiguum, poſtea pariter ſemper ibidem inveni. *Veſalius*, *Spigelius*, aliique oſſicula duo ſeſamoidea omnibus digitis tribuunt & appingunt, atque ſic ultra quadraginta numerant, quibus vero αὐτοψία contradicit; ſiquidem quotquot examinavi cadavera, ac mecum alii accuratiores, præterquam duo in quovis pollice manus ac pedis, unumque ibi in quolibet pede, ubi ſub tarſo os cuboides cum cuneiformi jungitur, & ſic decem in univerſum, nulla in ullo digito deprehendere potui; niſi quod mihi nunc quaternis vicibus illud unicum ſolum in minimo digito, & quidem in medio articuli, conſtanter obſervare licuerit, cum alii Autores lateribus ea apponant. Hoc me non fugit, canes in qualibet articulatione metacarpi atque metatarſi in primis phalangis omnium digitorum duobus ejusmodi oſſiculis inſtructos eſſe, prout id Fig. VIII. lit. e. indicat, atque Fig. X. illa extra ſitum delineata exhibet; verum in homine ea, ſumma quamvis induſtria adhibita, nunquam reperire potui.

Figurarum explicatio:

Fig. V. Tab. V. femoris partem inferiorem demonſtrat. A. eſt ipſum femur. B B. ſunt duo condyli femoris: C. eſt oſſiculum ſeſamoideum inſidens cavitati condyli exterioris in omnibus femoribus conſpicuæ.

Fig. VI. Exhibet os illud ſeſamoideum femoris magnitudine naturali extra ſitum.

Fig. VII. digitum minimum humanum oſtendit: in quo A. indicat os metacarpi, hunc digitum ſuſtinens, B. primam digiti phalangam, C. ſecundam phalangam, D. tertiam. E. oſſiculum ſeſamoideum & locum, ubi articulationi inſidet.

Fig. VIII. digitum demonſtrat caninum: a eſt os metacarpi, b prima phalanga, c ſecunda, d tertia, e par oſſium ſeſamoideorum.

Fig. IX. oſſiculum ſiſtit ſeſamoideum digiti minimi humani extra ſitum & naturali magnitudine.

Fig.

Fig. X. Par illud ossiculorum sesamoideorum caninorum extra situm repræsentat.

(*Altorfio Noribergam d. 10. Mart. Anno 1716. missa.*)

OBSERVATIO XXX.

Dn. D. Christiani Henrici Erndl.

Febris Pestilentialis in Aula Regia Polon. Anno 1710. & 1711. grassari deprehensæ Historica Relatio.

Quantam stragem Pestilentialis Lues Anno currentis seculi nono, Gedani & Mariæburgi in Prussia fecerit, satis ubique notum, & per scripta Theologorum non minus quam Medicorum divulgatum; quid enim *D. Schelwigius* partim, partim etiam *D. Weickmannus*, utrique magni nominis Theologi, ex hoc capite, in monumentum inflictæ tunc urbi & agro Gedanensi Divinæ pœnæ, publicaverint, curiosos latere non potest: *D. Gottwald* autem, *D. Culmus*, & post illos Chirurgus *Manasse Stoeckel*, quid de eadem hac materia Medice scripserint, Iatrophilis non minus notum.

Cessaverat hæc, post anni 1710. initium, ita fere penitus, ut commercium cum exteris, Gedanensibus iterum esset ut antea liberum, statim post Paschatis festum, circa quod ipsum tempus solenni etiam pro gratiarum actione instituto festo, liberationem plenariam a contagiosa Lue publicare non dubitarunt ejusdem Reipublicæ proceres.

Eodem illo anno, postquam vere jam adulto, Sereniss. Poloniarum Rex Warsavia Mariæburgum in Prussiam cum aula sua concesserat, comitatus Regius colligere cœpit ex contagio miasmata illa maligna, quæ robusta Prussorum gens jam induraverat, nobis autem satis adhuc erant funesta, partim propter teneriorem corporum nostrorum constitutionem, partim propter valde noxiam tunc temporis aëris temperiem, celeri & frequenti mutatione ex calidissima in humidam transeuntem, sub-

jecta

jecta per pravam diætam & dictam teneriorem corporis crasin jam prædisposita graviter afficientem. Post ferventissimum enim æstum, per totum Junium & Julium fere durantem, mense Augusto creberrimi ingruebant imbres, & tales per universum autumnum & ultra fere continuabant: qualis præhumida aëris tempestas, notante jam *Hippocrate*, febres longas & putredines producere communiter solet. Quid victus & regionis conditio contribuerint, illis facile patere potest, quibus Prussici cœli ac telluris conditio nota: aquæ scilicet ibi scaturiunt communiter gustu etiam ingratæ, graves fœtentes, calce aluminosa & nitro impuro infectæ, quibus cum terræ fruges etiam correspondent & pecorum carnes, crassioris longe & crudioris substantiæ, quam in Germania & speciatim Saxonia nostra: quæ ex fœtente illo cœno nata alimenta non poterant non apud minus consuetos continuam in primis viis post se relinquere saburram, & halituosa sua putredine vitales corporis nostri humores pessimo modo inficere, in specie apud illos, qui gulæ indulgebant, in assumendis alimentis nec modum nec selectum observantes.

Morbos igitur ipsos quod attinet, qui ex hac humorum vitalium corruptione nascebantur, invadebant hi primo quidem speciatim illos, quorum vires per antecedentes morbos, præsertim Intermittentes febres jam erant fractæ, sub specie recidivæ, & memini tales sub morbi principium Intermittentes quasi perfecte retulisse, ast minus durabili illo typo: ex intermittentibus enim mox continuæ fiebant, & non nisi obscuriorem remissionis umbram ostendebant amplius, imo quinto vel septimo die accedebat communiter delirium cum lingua vel squalore obsita, vel nigrore & ariditate quasi rigente: occupabant quosdam in tali statu simul petechiæ, in brachiis potius ac pedibus, quam in pectore conspicuæ: alii præsentiori veneno infecti, statim pustulas nigricantes solitarias carbunculiformes in fronte vel hinc inde in artubus monstrabant, lentiori gradu quidem, quam Pestilentiales anthraces, partes affectas mortificantes. Talem carbuncu-

bunculum in pedis ſiniſtri pollice nactus erat ex venatoribus Regiis quidam, robuſtus homo, evſarcos & conſiſtentis ætatis vir, rixoſus alias & ſtomachoſus, qui firmiter credebat, ex preſſione pedis ab ocreis facta, eſſe hoc malum, nec ullam malignitatem puſtulam illam præ ſe ferre perſuaderi poterat: aſt vix triduo elapſo, cum in medio tibiæ ejusdem pedis novus carbunculus, & circa inguina in ſummitate femoris ejusdem lateris bubo emergeret, delirium præterea vehementiſſimum accederet cum anxietate & immani ſiti, maxime maligni genii morbo prehendi ipſum patefiebat, ſequente mox funeſto & lethali circa nonum exitu. Pari fere modo & lento malignitatis progreſſu quidam emergentibus circa inguina bubonibus ſolis infeſtabantur. Et cum inter hos plures eſſent, qui alias impuræ Veneri maxime erant dediti, dubioſos primo reddebant adſtantes de malignitate ac Peſtilentiali febre, præſertim cum primis tribus vel quatuor diebus, de gravitate artuum ac ſomnolentia ſaltem, ſymptomatibus Venereis bubonibus infectis alias conſuetis, conqueri audires, quæ laſſitudo & ſomnolentia autem brevi ſumma virium proſtratione, deliriis, comate, excipiebantur, ſymptomatis, neglecto morbi principio, utplurimum fere lethalibus. Qua occaſione reticere non poſſum, me in omnibus illis, qui tales bubones patiebantur, obſervaſſe, non in ipſo inguine, uti Venerei ſolent, ſed in ſummitate femoris potius abſceſſus hos ſedem habuiſſe; quo vel ſolo & unico ſigno, a Venereis ſtatim ab initio diſtingui poterant: & memini etiam Gedani a quibusdam præcipuis Medicis, qui contagii tempore ibi artem exercuerunt, ſimile quid exaudiſſe. Vehementiori autem gradu malum hoc invadebat alios cum vomitionibus, hæmorrhagiis, quibus accedebat apud nonnullos etiam ſudor effuſus, ita ut colliquatione univerſali humores ex corpore exterminarentur quaſi, in quibus, propter veneni Peſtilentialis vehementiam, ultra tertium diem vix differebatur lethalitas. Hypochondriorum autem itemque ventris in hypogaſtrica regione dolores adeo etiam exercebant quosdam ſub invaſione mali, ut Colicam adeſſe paſ-

sionem juraſſes primo intuitu, ſiquidem & tales patientes nil nisi medicamenta contra Colicam efflagitabant anxie; adeo a malignitate Protheum agente decipiebantur miseri: sicuti autem nil nisi subitanea virium proſtratio cum ardente æstu totum corpus afficiente, statim ab initio in tali casu Medico diagnosin suppeditabat, ita progressus morbi per accedens delirium, anxietates præcordiorum summas, aliaque pessima signa, malignitatem patefaciebant sufficienter. Simili fere modo & fœminas de instanti mensium fluxu, hincque natis, uti putabant, immanibus dorsi & capitis doloribus conqueri audiebas, quæ Lue maxime deleteria jam infectæ erant, & præ morbi vehementia ante tertium succumbebant. Gravidæ quædam iisdem fere cum symptomatibus abortum patiebantur cum incredibili uteri hæmorrhagia, intra spatium duodecim horarum miseras jugulante. Qui petechias ante mortem excludebant, communiter antequam hæ ipsæ erumperent, de vehementi dorsi dolore, quasi calculo affecti Renali, querebantur; nonnulli simul etiam per omnes corporis artus insignes dolores, quasi arthriticos vel a rhevmatismo ortos, patiebantur: exclusis maculis, dolores statim remittebant, ast communiter paulo post diarrhœa fœtidissima cum immani sudore, aliquando etiam Diabetis species, accedebant, decumbentes intra paucas horas extinguentes. Purpura autem qui afficiebantur, ante eruptionem hujus, puncturas pectoris, cephalalgiam, cardialgiam, æstum patiebantur non minus ac dorsi dolorem, nonnunquam & vomitus, ad instar febre catarrhali correptorum, elapsis autem vix viginti quatuor horis, delirium, & paulo post, propter continuas jactigationes, exanthematum retrocessio, delirii exacerbatio, convulsiones, mors. Memini cujusdam, qui in tali statu, statim post Purpuræ retrocessionem, diabete afficiebatur, ita, ut intra paucas horas, plusquam centies matulam lotio instar aquæ fontanæ limpido, impleret.

Gravidæ quid passæ fuerint, ratione abortus jam supranotatum: quamdiu autem venenum Pestilentiale in proprio corpore abscondere possint tales, in Vidua, 20. fere annorum fœmina,

mina, obſervavi. Hujus ipſius maritus Peſtilentiali febre cum petechiis, ſummo malignitatis gradu, extinguebatur, & miseram octavo menſe gravidam relinquebat viduam, quæ interea temporis graviditatem ſuam usque ad legitimum partus tempus ſic ſatis valens & ſana ad apparentiam abſolvebat, ſtatim autem ac partu ſatis felici puellum ediderat, latens hactenus contagium ſe exerebat per dolores poſt partum vehementiſſimos, cum ſuppreſſione lochiorum, quam autem, poſt ſex circiter horas excipiebat enormis uteri hæmorrhagia ſimulque hæmoptyſis, ita, ut ſanguine fere diffluentem ipſam maxime horrendo ſpectaculo, ſub prima viſitatione invenerim, qua ſanguinis jactura nullis medicamentis cedente ita ſtatim proſternebatur exhauſtis viribus, ut 24. horis nondum exactis, vitam cum morte commutaverit, ſuperſtite quidem adhuc puello, qui tamen & ipſe, poſt paucas ſeptimanas, purpura maligna prehenſus non minus occubuit. Ex quo caſu vel ſolo notavi, quamdiu vehementiſſimum etiam venenum peſtiferum in corpore humano aliquando latere poſſit, & quam juſta ſit Politica illa ad præcavendum contagium cautela, ut illi, qui ex infectis locis veniunt, licet ſaniſſimi videantur, tamen ad aliquot ſeptimanas, ab aliorum commercio arceantur, donec probatorium tempus, quadrageſimali dierum termino circumſcriptum, expiraverit.

Hactenus de illis, quorum decubitus ad quinque, ſex, ſeptem dies & ultra protrahebatur: interim non pauci erant, qui intra viginti quatuor horas & perfecte ſanis & mortuis accenſebantur. Præſertim autem illi, quibus carbunculi ſimul cum bubonibus in corpore emergebant, communiter brevem habuere decubitus terminum. Memini hac occaſione fœminæ, cujus jam ſupra, occaſione Abortus facta fuit mentio, hæc non ſaltem intra tam breve tempus per venenum Peſtilentiale fuit extincta, ſed & alios domeſticos & adſtantes ſimul infecit contagio tam præſentaneo, ut eodem modo ac celerrimo morbi decurſu ex vita erepti fuerint. Hæc licet vilioris eſſet conditionis, tamen per diligentiam ſuam non ſpernendam acquiſiverat auri ſum-

mam ad septuaginta Hungaricos ascendentem, hos coriaceo cingulo insutos moriens non marito, qui tunc adhuc in vivis erat, sed cuidam ex amasiis suis, quorum plures habebat, donaverat: infelix hic ex infeliciori adhuc ratione hæres, statim bubone & carbunculo affectus, tertia die post mortem fœminæ extinguitur, dictam auri summam alteri amico suo ante mortem tradens, quo brevi etiam non minus contagio infecto atque extincto, aurum illud ad tertium devenit, qui omnium gravissime hanc hæreditatem luens, non saltem bubone, sed etiam carbunculo in brachio, & ab hoc ad cordis regionem tendente vibice afficiebatur, & intra biduum vitam cum morte commutabat. Ad quem ab hoc postea infelix illa auri summa pervenerit, nemo facile & plane expiscari potuit: communis autem tunc erat inter nostros opinio, Pastorem illius loci, qui animam solaturus morienti assistebat, thesauri hujus hæredem factum fuisse, qui impune fortassis hoc ipso loculos suos ditavit, expiata jam per tot hominum cædes, divina vindicta: ipse autem maritus, cui jure competebat illa hæreditas, brevi etiam post uxoris obitum, moriebatur. Eodem fere tempore, quo hoc ipsum accidebat, in pago quodam vicino cum equis Regiis degens auriga, bubone subito affectus, a Chirurgo nostro cum cataplasmate in lacte coquendo & calide applicando providebatur, qui altero ab invasione mali die, sic satis ad sensum externum adhuc valens, ex mansione sua in culinam descendebat, carbones ibi, pro calefaciendo cataplasmate petens, ast rediens in media via batillum cum carbonibus in manu tenens concidebat, quasi apoplexia tactus, & e vestigio ultimum exhalabat spiritum.

Hæc ipsa Luis & febrium Pestilentialium historia: nunc ad causas descendendum esset; de quibus autem silendum potius, imprimis quod immediatam illam & proximam attinet, quam insufficientibus ratiociniis obscurum per æque obscurum probare, existimo. Sufficiat de procatarticis illis saltem breviter monuisse, insolitum & crassiorem victum, impeditam itidem tam per alimenta, quam per ipsam aëris inclementiam, transpiratio-

nem

nem inſenſibilem, plurimum apud noſtros contuliſſe, ut contagium ipſis adeo lethalem intulerit ſtragem. Alias enim non video, quomodo ceſſante jam apud Pruſſos epidemica lue & penitus fere profligata, nobis tantæ a veneno Peſtilentiali cædes infligi potuiſſent. Per teneriorem autem corporum noſtrorum conſtitutionem & ſupra jam allegatas rationes, ita factum fuit, ut illæ, quas incolæ jam diu induraverant, veneni reliquiæ, nobis adhuc fuerint deleteriæ; & quidem adeo graviter, ut, niſi per plures pagos hinc inde diſperſi fuiſſent noſtri Aulici, ſine dubio univerſalis & vera Peſtis nobis facta fuiſſet illa lues, quæ hinc inde ſaltem quasdam devaſtavit familias. Quamvis & hoc non reticendum, quosdam ex noſtris, per temeritatem vel ſorditiem in infectam ſupellectilem invadentes, & ſibi vindicantes res ab incolis adhuc pro ſuſpectis habitas, tali contagio occaſionem ſat evidentem dediſſe. Ita memini unum ex Agaſonibus Regiis cum uxore ſua partui proxima, lectos, quibus ante menſes aliquot Peſte laborantes immortui fuerant, repugnantibus licet domeſticis, ad ſe rapuiſſe, ipſisque incubuiſſe, aſt tam infelici ſucceſſu, ut poſt paucos dies febre Peſtilentiali cum petechiis prehenſi utrique, non minus ac puerulus receus natus, occubuerint: adeo præſens autem illud in plumis & ſtragulis latens erat venenum, ut ambo nondum elapſis bis viginti quatuor horis, petechias ſubſequente hæmorrhagia, qua diffluere quaſi videbantur, extinguerentur.

Therapiam quod attinet, qua in tractandis hac ipſa lue decumbentibus uſi fuimus, illam paucis verbis hic etiam attingere operæ pretium duco. Ante omnia autem fateor, expertum me tunc fuiſſe, veriſſimum eſſe Medicorum, qui Peſtem obſervarunt, effatum, nimirum, qui ante elapſum viginti quatuor horarum hac lue correptis non opitulari poſſit, communiter incaſſum poſtea omnem ſuum laborem impendere Medicum. Quia autem plerique ægrotantium, vel ex ignorantia periculi, vel ex metu ſeclusionis a cæteris, morbum non indicant prius, quam viribus jam exhauſti, eo ipſo fit, ut ex viginti perſonis vix unus

evadat communiter. In principio igitur epidemicæ hujus luis, ubi febris tam acuta adhuc non existebat, & morbi principium ad plures protendebatur dies, statim sub primum morbi insultum, vomitorium ex Arcano Dupl. cum Tartaro Emetico, admixta semper Camphora, dare nullus dubitavi, præsertim ubi crebra horripilatio, molestissima cardialgia, cum singulari appetitus ab omni re aversione, tale remedium indicare solebant. Dici enim non potest, quantum tale emeticum, succussionibus suis, spiritus per veneni violentiam oppressos & quasi attonitos excitet, humores ad coagulum & stasin pronos dissolvat, & ad sudorem, statim post tale purgans quam fieri potest citissime urgendum, disponat. Venæsectio autem, Heroicum etiam suo loco & tempore remedium, nunquam a nobis præcepta fuit in curatione ejusmodi febrium. Propter maximam enim veneni vehementiam, spiritus fere plus quam sanguinem infestantem, nullus hic optimo alias & præsentaneo remedio, erat locus. Instituebat quidem, me inscio, fœmina quædam, natione Polona, contagium a vicino ægrotante & mortuo nacta, hanc ipsam, uti putabat, præservatione in brachio, qua tamen impedire non poterat, quin gravissime postmodo decumberet cum bubone in utroque inguine; & non nisi difficillime iterum restituebatur, quamvis propter commissum per venæsectionem errorem, inter perditos a me ab initio curationis numeraretur. Reliqua Chirurgica præsidia, quæ miseris cum successu aliquo applicabantur, erant in bubonibus cataplasmata & emplastra emollientia, & in Carbunculis scarificatio & separantia. Quicquid enim dicant de applicandis Vesicatoriis in Bubonibus nonnulli, nunquam ausi fuimus apud nostros tale quid imitari; imo ex Medicis & Chirurgis Gedanensibus non semel audivi, quod bubones his applicatis potius disparuerint, quam ad citatiorem inflammationem ac suppurationem hinc dispositi fuerint: ex crispatura enim illa dolorifica fibrarum, quid aliud fere quam induratio, & proxime insequens retrocessio materiæ in abscessu formatæ, accidere potest? Post Vomitoria statim sudorifera potentiora, alexi-

alexipharmaca & bezoartica dicta communiter, eligebantur: Imo in plerisque, ubi intempeſtivum erat, propter formatos jam a natura per bubones & carbunculos, criſes & abſceſſus, Emeticis uti, ſtatim ad hæc, tanquam ad ſacram anchoram, confugimus. Inter omnia autem Alexipharmaca prævalebant Diaſcordium Fracaſt. & Theriaca Andr. non ad drachmam unam vel alteram, ſed ad tres, imo unciam ſemis & ultra præſcripta, Sale volatili Cornu cervi præterea & camphora acuata, & cum acidulis loco vehiculi, propinata. Nunquam auſus fuiſſem, ad tam exceſſivam opiatorum doſin aſcendere, niſi ab Illuſtri quodam Medico applicationem talis remedii ſalutarem, dum Mariæburgi adhuc degeremus, apud ægrotantem aliquem obſervaſſem. Decumbebat hic dicta Peſtilentiali febre, carbunculis & bubone ſtipata, per quinque dies integros nil dormiverat, vehementiſſime autem, præ dolore inflammatorio, delirabat, huic Elect. Diaſcordii drachmas ſex, Theriacæ drachmas tres, cum Salis vol. Cornu Cervi drachma ſemis & Camphoræ ſcrupulo ſemis, addito Aceto Bezoartico & aqua convenienti, pro tribus doſibus, intra ſex horarum ſpatium aſſumendis, propinabantur, ſucceſſu tam exoptato, ut ultima doſi vix abſoluta, in ſommum ſolveretur ad ſeptem horas & ultra durantem, emergente ſimul ſudore, & ceſſante delirio. Imitatus hunc talem Theriacalium uſum fui poſtmodum frequentiſſime in Peſtilentialibus æque ac aliis malignis febribus, mutatis tamen mutandis, & pro re nata in refracta doſi, & nunquam quidem ſine optato ſucceſſu: Veriſſimum enim eſſe tunc intellexi, quod *ol. Borrichius* de Peſte Hafnienſi obſervavit, & in tractatu ſuo *de Somno & ſomnif.* verbis ſequentibus expreſſit: *Mihi nihil ſecurius obſervatum in Peſte ipſa Theriaca, ſed liberalius, non improvide tamen propinata. Plures enecti, qui drachmam hauſerant, etiam ſubinde drachmæ geminæ nihil attulerunt opis, eoque in adultis nonnunquam ad tres aſcendendum fuit, non ſine periculo quidem, minus tamen quam malum ipſum periculoſo.* Certe dici non poteſt, quantum poſt uſum Theriacalium, dicto modo mixtorum

& pro-

& propinatorum remittat urens calor, sitis, cephalalgia, delirium: Scilicet Heroico tali, & tanto remedio opus est, ubi resolvenda cito incipiens jam & ad gangrænam tendens inflammatoria stasis, quæ in Pestilentialibus mirum quantum celeri cursu pergit, & miserorum ægrotantium interiora ad mortalem sphacelum disponit. Memini, eodem tempore, post solstitium Hyemale, quo vehementissime inter nostros Pestilentiales febres grassabantur, correptum fuisse contagio quendam ex cella vinar. Reg. viginti præter propter annorum juvenem, hic statim post decubitum vehementi corripiebatur delirio cum firmissima impressione, se ducem exercitus Saxonici esse electum, adeoque nil nisi sclopeta, incendia, tormentorum explosionem &c. meditabatur & loquebatur, qui autem adhibita dicta mixtura Theriacali completa, pro tribus vicibus, adeo quidem simul & semel ab æstu urente, cephalalgia ac delirio liberabatur, ut, cum altero die mane illum inviserem, ipse mihi dixerit, sibi, quasi manu applicata, omnem æstum & cephalalgiam a capite abstersam fuisse, postquam alteram saltem dictæ mixturæ dosin, insequente largo satis sudore, assumpsisset. Licet autem propinato Herculeo hoc antidoto malignitatis furor plerumque mox remiserit, non destiti tamen protinus ab usu ejus, sed interpositis alterantibus ac reficientibus, ex diaphoreticis fixis, viperinis, succo citri vel aceto, Confect. Alkermes vel Syrupo Rubi Id. &c. in potiones gratiores mixtis, vel etiam Tinctura Bezoartica Camph. Tinct. Antimonii cum Sale volat. Ol. & Essent. Viper. altera die iterum ad Diascordii & Theriacæ usum accessi, expertissimi *Rolfinccii* effati memor, scilicet, quod ille, *qui Peste correptis, spatio viginti quatuor horarum, quater vel sæpius sudorem non excitat, parum omnino sit profuturus.* Hoc unicum de Heroico hocce remedio est observandum, abstinendum scilicet esse de usu ejusdem, ubi sanguinis fluxus simul in Pestilentialibus concurrit, aut signis bene observatis, fores saltem jam pulsat, brevi erupturus, tunc enim & in tali statu certo certius, massam humorum nimis resolvendo, colliquationem accelerabit, magisque nocebit,

quam

quam opem ferret. Non minus etiam petechiis & Purpura jam præſentibus, vel imminentibus ſaltem, caute cum his armis pugnandum, facile enim, ſecus ſi fiet, retrocedunt, quæ jam efflo-ruerunt exanthemata, ſuperveniente dicta jam reſolutione humorum colliquativa. De cætero, loco potus ordinarii apud ægrotantes inſerviebat decoctum tenuiſſimum radice Acetoſæ & Scorzoneræ cum raſura L. Santal. rub. alteratum, quod illis, qui immani ſiti, conſueto in his febribus ſymptomate, infeſtabantur, liberaliter concedebatur. In Comatoſis acidula & Spir. Salis Ammon. volat. fuerunt adhibita: concurrente diarrhœa, Mithridatium Damocr. cum pulv. Pannon. Maſtich. & Catechu in bolos mixtum, ſufficiebat: Ubi Petechiæ & Purpura largiorem opiatorum uſum prohibebant, Myrrhæ & Antimonii Tinctura, itemque Liquor C.C. Succin. & M.S. vel per ſe data, vel cum diaphoretic. fixis in potiones mixta, officium faciebant: De Hæmorrhagiis colliquativis nil attinet dicere; ubi enim in Peſtilentialibus eo res redit, mors præ foribus, & convenientiſſima etiam remedia tunc gratis & incaſſum exhibentur.

Poſtquam igitur hæc noſtra Lues, a menſe Decembri potiſſimum, usque ad Februarium ſequentis Anni ſatis vehementer, & frigore quidem creſcente, omnium vehementiſſime graſſata fuerat, circa Martium menſem fere penitus rabiem ſuam depoſuit, quo ipſo tempore, & quidem decima Martii, juſſu Sereniſſimi noſtri, ſarcinas collegimus, Gedanoque Warſaviam transmigravimus; & id quidem vel maxime opportune. Niſi enim mutatio aëris & loci tunc interceſſiſſet, adulto vere malignitas fortaſſis denuo repullulaſſet, quod autem hoc ipſo itinere & motu impeditum ſalutariter fuit. Ego quidem, qui ægrotantes diligenter viſitavi, excepta ophthalmia, quam inclementiori aëri, a ventis ex mari ſpirantibus, potiſſimum adſcribo, nihil, Deo juvante, de cætero paſſus ſum mali. Chirurgi autem Aulici diſcipulus, qui ſedulitatem ſuam, in deligandis ac tractandis ægris ſatis nobis probavit, circa finem Februarii, ſpecie ſalivationis ſpontaneæ corripiebatur, cum capitis dolore vertiginoſo, quæ per

duas fere septimanas eundem exercebat graviter, maxime salutari tamen naturæ beneficio, maligna & venenata miasmatum ab ægrotantibus in corpus susceptorum spicula, ad glandulas dirigente, ut ibi, per copiosiorem salivæ effluxum eliminari e corpore valerent.

(*Vratislavia Augustam Vindel. d. 19. Mart. Anno 1716. ab Exc. D. D. Godofr. Klaunig missa.*)

OBSERVATIO XXXI.

Dn. D. Christiani Gottlieb Reusneri.

Descriptio Balsami Catholici Francisci Josephi Burrhi.

INter remedia, quæ vulgo Generoso Equiti de Burrhi adscribuntur & strepitum fecerunt in Republica Medica, non solum in Italia, sed nostra quoque Silesia, non ultimum meretur locum, Balsamus ejus Catholicus, i. e. universalis, propter usum polychrestum, tam internum quam externum: vix enim quisquam est, imprimis inter Religiosos, qui Aulæ Romanæ favent, cui non ad manus sit Balsamus iste ceu anchora sacra: venalis igitur prostat in multis locis Ducatuum nostrorum; optimus autem est, quem propriis sumtibus parari jubet Reverendissima Abbatissa in Liebenthal. Ne autem Medicos imposterum lateat arcana Balsami hujus elaboratio, communicabo descriptionem genuinam, ab Excellentiss. quodam Aulæ Cæsareæ Ministro mihi communicatam, qui in scrinio secretorum Medicorum sancte conservabat; quæ tamen, ne quid dissimulem, me judice, Regulis concinne præscribendi formulas remediorum non ex asse respondet: ℞ Axung. humanæ, Ursi, Ursæ ana ʒij. Viperarum ʒj. Balsami de Peru ʒß. Zibethi Mosch. ana ʒj. Storac. liquid. calamith. Opobalsami veri ana ʒj. Olei Olivar. recent. ʒiv. Laurini ʒij. Jasmini Lavand. destill. anthos Rutæ, Spicæ nard. major. ana ʒß. Ol. Cinamomi ℈ß. caryoph. ℈j. Nuc. Mosch. expr. ʒß. Terebinthinæ ℈j. Hypericon ʒß. Gumm. Arab. electi. Galbani, Olibani, Myrrh. rubr. ana ʒß. Elemi ʒß. Sanguin. Dracon. ʒij. Colophon. ʒß.

℥ß. Resinæ ℥ß. Ceræ Virgineæ ℥ij. Axungias omnes inde leberi terreo recenti, optime vitreato, suoque operculo munito, pro arcendis extraneis facile alias illabentibus quisquiliis; subjice tantum ignem, ac per 2. horas sine illas bene depurari, removendo primam spumam, & postmodum transcola per linteum. Hinc denuo superimpone igni, & adde ol. olivarum, Gummi Elemi, Hyperic. ol. Sanguin. Dracon. Coloph. Resinam, Ceram, Galbanum & reliqua Gummata, fluant lento igne per 2 horas; deinde adde storacem calamitham & liquidam, nec non Opobalsamum, & transcola iterum per linteum mundum. Postea inde ista ollæ recenti, bene vitreatæ, quam impones cineribus calentibus, tum subige Moschum, cum oleis destillatis, & tandem Balsamum de Peru & Zibethum. Si placet hunc Balsamum aliquatenus spissiorem conficere, plus ceræ solummodo addi poterit. De usu hujus Balsami polychresto nihil dicam, prodierunt enim in publicum Descriptiones hyperbolicæ Idiomate Italico, Latino & Germanico. Dosis duo vel 3. grana in ovo sorbili, vino, conserva rosarum, præmisso tamen laxante, exceptis saltem morbis contagiosis. Pro usu externo reliqua Balsama Apoplectica virtute sua superare creditur.

OBSERVATIO XXXII.

Dn. D. Christiani Gottlieb Reusneri.

Fragor in partu difficili Primiparæ.

CUrsoris cujusdam Uxor, annorum 20. in Aula Illustrissimi Comitis de Schaffgotsch &c. anno elapso, legitimo tempore ad partum se accingit, qui ad 24. horas procrastinatur; paulo post conatus Uteri augentur, & Clinicæ audiunt Fragorem ex utero ingentem, sonitui bombardæ minoris similem, als wenn man einen Puffer loß schiesste / mox embryonem masculum excludit, sanum & vegetum, qui adhuc est in vivis. Obstetrix, quæ ultra 700. mulieribus in partu auxiliatrices præbuit manus, se nunquam talem fragorem audivisse affirmabat. Unde fragor ille sonorus? non immerito quæritur. Judicet benevolus Lector,

quicquid velit; me, quod attinet; ſuppono cum Arniſæo, Pinæo, Guillemeau, Riolano, Paræo, Bauhino, Spigelio, Harvæo; oſſa pubis in partu maxime laborioſo Primiparæ a ſe invicem divelli poſſe, non tam ad latera, quam antrorſum, inde fragor iſte concipiendus.

OBSERVATIO XXXIII.

Dn. D. Chriſtiani Gottlieb Reuſneri.

Anaſarca curata.

RUſticus quidam, cognomine Hindemit in pago Koſchke in Ducatu Lignicenſi, annorum 53. mulctatur Hydrope, & quidem Anaſarca, neſcio ex qua cauſa: & more conſueto ſitim fere inextinguibilem habet, quid fit: impatiens iſte Patiens genio ſuo indulgens, ad levandam ſitim cereviſiam ſimplicem copioſe bibit, unde totum corpus indies ad crepaturam usque intumeſcit, tandem ſerum limpidum ex abdomine & pedibus ſenſim ſenſimque deſtillat; æger autem, videns laticem ſeroſum abire per poros corporis, ſpem concipit Sanitatis, (omnes enim Hydropici, quam diu adhuc vivunt, tam diu bene ſperant) abſtinetque a potu, quantum poſſibile, & omnibus liquidis, contentus tenui victu & cibis ſolidioribus, quo facto venter detumeſcere cœpit, & Hydrops imminutus; vivitque adhuc, quantum ſcio, ſoſpes & incolumis & liber ab omni morbo. Sed nemini Author ſum, ut idem tentet remedium, vereor, ne verum fiat; duo cum faciunt idem, non eſt idem.

SCHOLIUM.

COnfirmat hunc caſum obſervatio Formii Chirurgi Monſpelienſis, qui in obſervat. Riverio communicatis p.m.67. refert: duas hydropicas mulieres ſanatas fuiſſe unguibus pedum ita arcte præciſis, ut carnis vel cutis portiuncula roderetur, & aliquid ſanguinis emanaret, quem ſequebatur ſeroſi humoris ſtillatio, per multos dies, & ſic paulatim totus humor in abdomine contentus educebatur. Probabile in his ſubjectis eſt, viſcera adhuc fuiſſe ſana & incorrupta.

Favera Auguſtam Vind. d. 27. Mart. Anno 1716. miſſa.

OBSER-

OBSERVATIO XXXIV.

Dn. D. Eliæ Camerarii.

Spina Dorsi violenter torta atque emota.

SPinalis Medullæ analogam Cerebro continuamque compagem spinæ dorsi, seu miro connexarum artificio vertebrarum munimine tutam, gravissime læso hoc ossium directo nexu lædi palam est. E scriptis vero Medico Chirurgicis vix adæquatam, quam desideres, istarum luxationum claramque hauries Ideam, cum vel lento aberrantis naturæ motu, in mira Gibborum, Rhachiticorumque varietate, miras patiatur Spina distorsiones, quibus se accommodandi tempus non compressæ conceditur medullæ, vel subita lapsuum ac violentiæ vi luxatis vertebris comprimatur cerebrum hoc oblongatum & inversum; quo quidem sub impetu, uti alias vulnera, etiam istæ compressiones non fiunt ad mensuram, & lethales plerumque sunt istæ spinæ læsiones. Nec inficiandum tamen, esse & hic latitudinem insignem in mirabili illa vertebrarum combinatione, qua medullæ providentissime prospectum est, unde licet tristia non desint exempla, quibus immedicabili huic luxationi fuit succumbendum, ita alii tamen ex proceris lapsi arboribus, ac inferiorum partium paralysi graviter decumbentes, redierunt cum sanitate in gratiam, cum non semper eadem gravitate medullæ tenera compages percutiatur, prematurque. Ac potest quidem graviter affici ac percelli eadem, exitu tamen haud funesto; cujus eo lubentius hic referre exemplum libet, quod rarius ii occurrant casus, in quibus violento, simul tamen æquabili nisu mirabilis hæc compages distorqueatur. Rusticus annorum circ. 30. cum onusto saccis currui per viam profundiorem, rivumque per eam fluentem a bobus tracto insideret, transeundumque esset sub trabe, pontis in modum viæ fossæve summos margines jungente, existimans inclinato capite liberum sibi innoxiumque fore transitum, cum ineptius judicasset, imminen-

tisque trabis inferius planum non satis inclinatum caput verticemque depressisset, adeo firmiter humeris sub illud actus est jugum, ut subsistentibus inopinato, qui currum jam non amplius protrahere valebant omni suo nisu ob pertinax hoc vivumque repagulum, bobus, territus inde socius miserrimum intuitus spectaculum, retroagere cogeretur boves currumque, correptumque graviter, sensibusque privatum omnibus virum omni ope ad vitam revocare. Delatus lente in urbem advectusque, ad se redierat, debilis tamen immanique dolore excruciatus, tumidos offerebat dorsi musculos & integumenta tam graviter compressa, vix admittebat dorsi attactum misellus, tetigimus solicita manu tumidum dorsum, pressisque lenius, ob summum dolorem & ejulatum, digitis per spinæ regionem ductumque descendentes, sub medio thorace (quantum judicare molliusculus nec plane tensus tumor permisit) offendimus vertebram, dimidio circiter digito introrsum sub margine superioris magis fere prominentis adactam, foveamque ad tactum formantem, inferiori dein vertebra cæterisque sequentibus suum servantibus situm; intolerabilis illius loci dolor ad tactum fuit. Querebatur æger de imminentibus quasi continuo deliquiis, de sensu quasi confluentis intra abdominis cavum liquidi, de tensiva ex hypochondriis versus inguina tractione, atque tensione circa vesicam, deque anxietate insigni. Decumbendo in situ prudenter huic malo accommodato & acclivi leniter melius habebat, sedere vero nulla ratione valuit, etiamsi sustentaretur ab aliis, sustentato tamen ab aliis sub brachiis corpore, provideque suspenso, pedibus nonnihil potuit insistere diutius ac tolerabilius quam sedere. Gravis hinc deliberatio erat, quid agendum? proponebantur varii extensionum modi, enchireses variæ, anxius debilisque æger poscebat remedium, ut ut ab iis sibi metueret auxilii modis, placuit tandem re, omnibusque circumstantiis probe pensitatis, nihil tentare violenti, delinire potius partem læsam, eamque & corporis universi machinam confortare: cætera situ, stratoque lecti acclivis, spleniis spissioribus, apta dein

plumbi lamina admota ita curaturis, ut tenſa diſtentaque vertebrarum ligamenta in ſe priſtinumque tonum coëuntia, arcuatam illam quaſi ſpinæ torſionem ad majorem educerent rectitudinem. Dati interne pulveres ex: Pulv. pannonic. r. Cephal. Cain. epil. mir. M. Spec. diair. Antimon. diaphor. Sperm. Cet. Nitr. cryſtallin. Mixturæ ex: Aq. fumar. fl. til. Liquor. Corn. Cerv. ſuccin. pulv. alexipharmac. Cam. Elect. diaſcord. Fr. Syr. d. jujub. Infuſ. Théeform. ex: Herb. veronic. betonic. bellid. miu. acetoſell. Flor. hyperic. nymph. cichor. Rad. helen. Spec. decoct. pectoral. flor. & fruct. &c. aſſidue hauriendum ac ſorbillandum. Dorſo fomenta ex herbis floribusque aromaticis in vino decoctis, impoſito & muniente partes, ac fovente, ac roborante Emplaſtro, ſedulo applicabantur. Poſt aliquot horas in erecto illo ſuſpenſoque, aliorum ope corporis ſitu urinam potuit tandem dimittere, alvina vero excrementa diu non perduci ad exitum potuerunt, quod minus tamen erat minuendum, cum paralyſis inferiorum partium non acceſſiſſet. Increvit poſtea, crebriusque urſit moleſta illa ac ſpasmodica verſus veſicam tendentia ac conſtrictio; cæterum æger quo magis anxius & meticuloſus, eo ad obſequendum omniaque ipſi mandata probe obſervanda promptior diu, in dubio admodum debilique ſtatu permanſit, non ſine ingentibus decubitus iſtius moleſtiis; donec ſenſim & ſenſim dolores dorſi remitterent, & poſt unam alteramque ſeptimanam, ſub uſu remediorum reciperet aliquid virium, ut elapſo menſis ſpatio, obſervata ſuperius memorata deligatione circumſpecta, acclivitate lecti accommoda, laminæ, ac ſpleniorum quaſi ferularum applicatione &c. jam iterum liberius inſiſtere pedibus, poſtea vertebris ſemper magis magisque ad tonum ſitumque redeuntibus, ſedere iterum, tandemque leniter ac tarde, erecto tamen corpore obambulare, tandem per varios conatus per aliquot ſcalæ gradus deſcendere didicerit. Bene ſe hactenus habet, auctis viribus, diductaque magis in rectitudinem ſpina minori longe depreſſione introrſum videbatur adhuc adacta vertebra illa prius profundius ſita. Eventus do-

tus docuit, rectius nos omisisse violentas corporis extensiones; si enim luxatio compressa medulla fuisset major, nihil sub isto vertebræ introrsum adactæ situ profuisset violentia, nec suppetiisset ad eam reducendam enchiresis, & summa tamen, tensis jam dolore ingenti nervis, inducta fuisset violentia. Quisnam ergo spinæ fuit iste status, videtur equidem plures ista pressione vertebras fuisse tantillum emotas, sed illam earum mediam potissimum, ut sic arcuatim facta spinæ tensione hæc potissimum apparuerit introrsum trusa, reliquis minus, & proportionate tamen emotis sine arcta medullæ, aliquam dubio procul tensionem passæ, compressione: mirum tamen tantam sine malo majore insequente fuisse spinæ inæqualitatem, habetque de quo Deo O. M. gratias agat vir iste plurium liberorum parens, quod ex his angustiis feliciter emerserit.

OBSERVATIO XXXV.

Dn. D. Eliæ Camerarii,

Periculosus Faucium tumor feliciter sublatus curatusque.

VIx alia corporis pars gravioribus urgetur malis quam faucium isthmus, tanto eorum agmini expositus, ut eo magis mereatur eorum varietas & attendi diligentius, & describi uberius. Pertinet ad censum hunc non inutilem sequens Historia tumoris formidandi. Conjux Joh. Cunradi Nillii, texturæ robustioris, cholericæ, annorum triginta, inde ab Anni 1714. Julio mense advertit, se difficilius & non sine impedimento deglutire; intumuit sensim exterius quoque collum, donec mense Februario Anno 1715. Chirurgum Cel. Georg. Wilh. Sturmium accederet, de eo potissimum conquerens, quod nec panem amplius, nec duriores cibos alios valeat deglutire, laboretque insigni respirandi difficultate. Erat exterius collum, æquabili tamen intumescentia prætumidum, intra oris vero fauciumque isthmum, epiglottidis regionem, gulæque initia late occupabat quaqua-

versum

verum durissimus tumor; tentata sunt cataplasmata, ac gargarismi, ad discutiendum, emolliendumve tumorem, frustra tamen omnia, tumore non solum non imminuto, sed aucto potius, teste cumprimis deglutitionis summa jam difficultate; vocaverat me una in consilium Chirurgus, cui suspecta merito videbantur omnia, ob profundum ac periculosum tumoris situm, ac duritiem enormem, dolorisque maxime omnis absentiam; urgebat ob imminentem & fame & suffocatione mortem mulier tumoris apertionem, cum vero ob doloris absentiam ne suspicio quidem de puris adesset præsentia, cunctari Chirurgum remediisque insistere jussimus, donec tandem omnis sublata deglutitio etiam liquidorum fortius jam urgeret; consensimus in apertionem, cumque ob duritiem tumoris rebellem, ignotum esset, an pus illi, an sanguis, an carnosa subesset massa, detento firmiter capite, linguaque fortiter depressa, circa epiglottidis confinia lanceola inciforia Chirurgus tentavit incisionem tumoris, offendit tamen massam tumoris admodum spissam ac renitentem, durissimamque, ut vi imprimere lanceolam ac profunde cogeretur, quo facto, lento fluxu crassus viscidusque mucus potius quam pus profluxit, adeo vero parce ejus successit fluxus, ut quavis vice coalescens quasi vulnusculum stilo intruso reserandum fuerit, provocandaque ad effluxum lenta materia, labiis vulnusculi quasi cartilagineis nimis cito arcteque coëuntibus, hac itaque Methodo ordinario educenda erat materia, donec injecta quavis vice aloetica Tinctura intimiusque adacta, una tandem vice fœtentis putridique puris integra libra ejiceretur ex assueto jam magis eductioni osculo, duravit adhuc per decendium largior puris effusio, sex vero intra hebdomadas integre tandem convaluit mulier magnis vexata angustiis, atque hactenus egregie per Dei gratiam valet.

OBSERVATIO XXXVI.

Dn. D. Eliæ Camerarii.

Tumores Colli externi singulares.

MEretur priori Historiæ jungi altera hæc non minus singularis. Adiit me, eodem Cel. Chirurgo comite ac duce, Joh Ulricus Gusmann, ann. 23. sutor, ostentans formidandam, ampliſſimam, elevatam, prægrandem, tumorum colli usque ad præcordia extensam molem, cujus ista referebat primordia; inde a mense Majo ann. 1714. sensim elatum in sinistra colli parte tumorem, quem scropbulosum hinc suspicabatur, tam stupenda vero incrementa, usque ad Julium ann. 1715. sumserat tumor, vel tumorum potius congeries, ut non amplius inclinare caput, laborisque intueri objectum posset; summam advertimus tumorum tensionem ac duritiem, tribusque ingentibus prominebant tuberibus durissimis vastisque enormes colli, tumidisque ac lividis venis distinctæ cancri in morem intumescentiæ. Vix vidi hominem eo animi robore præditum, tantaque tumorum apertionem vi urgentem, cum ad laborem, immoto rigentique sursum capite, se non amplius videret idoneum; electus vero est tumoris declivior locus, eminentia scilicet ejus maxime prominens, & mole quoque maxima, ac nodus major antrorsum, deorsumque quasi protensus, resistebat fortiter incisioni durities involucrorum, ut vi adigenda esset lanceola, effluente, imo ejaculata cum impetu fuscam referente cerevisiam aqua, ejusque quasi uno momento prorumpentibus duabus ad minimum libris, collabascentibus tumoris integumentis. Speraverat Chirurgus egressum contentæ in cæteris tumoribus turbidæ aquæ per unicam hanc viam, nunc vero patuit, unamquamque illam massam altissimam propria concludi membrana, nec inter se communibus ductibus coire. Fuit igitur etiam in binis reliquis extuberantiis vastissimis incisio instituenda, effusis ejaculatisque ex qualibet plusquam duabus libris ejusmodi liquidi turbu-

turbulenti ac fusci, adeo ut ex universo tumore triplici eductione plusquam octo prodierint libræ collectæ istius corruptæ fuscæque lymphæ; non defiit octo continuis septimanis effluere istiusmodi aqua obscura largissima; quam excepit fluens per quatuor hebdomadas albicans aliud fluidum sanioſum, quo finito, decima quarta hebdomade coalucrant plene colli vulnera, redeunte illo ad gracilitatem, servante tamen duriusculas cicatrices. Protrahebatur diutius curatio, quia injectiones non ferebant istæ cavitates, quas graves mox colli sequebantur inflammationes, hinc tardius ac circumspecte, mitique via erat ad plenam usque & constantem hactenus sanationem progrediendum.

OBSERVATIO XXXVII.

Dn. D. Eliæ Camerarii.

De Arena Conchifera.

ARenam hanc obiter allegavi in Ephem. Centuriis Primis, missa Augusta Taurinorum Observatione juxta descriptionem Viri Excell. qui eam mihi communicaverat; offerebat illa obtutui magnum conchularum numerum, gradibus magnitudinis admodum differentium, nec tamen eo tempore penitius res inspecta, dijudicataque fuerat. Incidit nuper denuo in manus aliud agentis arena illa, tot retro annis asservata, nec dubitavi, tempus edax rerum, acremque & motum arenam illam & friabiliorem potuisse efficere, & alias illi inferre mutationes; placuit vero eam attentius rimari, quo ipso patuit, eam non omnino talem esse, qualis primo judicatur aspectu, qualemque Vir ille Exc. eam mihi descripserat; utut enim creberrimis scateat conchis, microscopium tamen ad motum facile reliqua arenæ asperiora concrementa & grana distinxit a conchiformibus numerosis commixtis, quæque majori albedine præ illis oculos feriunt. Observata vero sunt sequentia:

1.) Conchæ pervadunt totam massam arenaceam, sed facile patet differentia concharum majusc ularum & arenacearum

massularum, minores autem Conchulæ ab arenulis non facile possunt sine microscopio discerni; mediante microscopio autem ingens copia conchularum nitidarum atque elegantium, quæ nudis oculis arenæ granula videntur, comparet atque distingui potest. Unde & arenæ Massulæ, quæ nondum comminutæ & collapsæ sunt, intertextas sibi intime habent variæ molis conchulas, numerosas, nitentes, arenaque ipsa candidiores nonnihil. 2.) Majores & conspicuæ magis conchulæ pisi habent magnitudinem (colliguntur fere in superficie arenæ in scatula contentæ, hinc illa tota quasi conchulas nudo oculo refert) dantur vero aliæ per plurimos gradus minores, neque omnes sunt ejusdem figuræ & structuræ. 3.) Multa tamen etiam frusta conchularum reperiuntur, ipsæ tamen Conchæ ad tactum satis duræ sunt, & citius digitis comminuas arenæ massulas quam talem conchulam, digitis satis tractabilem, & ratione suæ convexitatis levi contractus pressioni magis resistentem. 4.) Referunt vero conchæ elegantes ac minutæ non eandem figuram, videntur tamen fere omnes ad univalvium classes spectare, cum helicibus seu volutis gaudeant, non eodem tamen in omnibus modo convolutis; quædam & pleræque omnium magnitudinum ad turbinatas videntur referendæ, cum helicibus ex ampliori basi aut orificio in apicem tenuem fastigiatis gaudeant, aliæ quidem longiores, aliæ breviores sunt, alias rerum istarum curiosi referrent ad buccinitas, alias forsan plures ad cochlitas, imo forsan alias ad Trochitas (uti fossilibus Excel. D. D. Bajerus ista tribuit nomina.) Ex minimis fere multæ sunt, quæ planas vulgari microscopio facies obtulere; unde microscopio subjectæ perfectiori egregiam suam nitidamque faciem exhibuerunt, helicibus introrsum intortis & in se convolutis, minutissima scilicet totidem Cornua Ammonis, partim & eleganter striata, quod in istis quasi atomis stupendum videbatur. 5.) De mole tam nitidarum, elegantiumque Conchularum facile judicaveris ex pondere; aliquæ ex majoribus ad bilancem examinatæ granum unum singulæ ponderarunt. Aliæ his minores sex æquarunt granum unum. Aliæ iterum minores viginti tres

ti tres granum unum ponderabant. Aliæ adhuc minores triginta quinque ad granum requirebantur. Minores etiam his aliæ ſexaginta tres granum æquabant. Minimæ autem, quas licuit colligere, (vix enim dubites de minoribus) centum & quinquaginta ſeptem granum tale unum ponderabant. Iſtorum autem nitidulorum Ammonis Cornuum centum & viginti ad grani pondus requirebantur. Non credidiſſem oculis, niſi nitido claroque microſcopio armatis, aliorumque lynceis oculis, qui iſtas concharum atomos (adhuc diſtincte aſſervatas) ſunt contemplati, ac dijudicarunt earum pondera, & numeros. 6.) Aquæ forti injectæ una alteraque conchula ſtatim ſub effervescentia inſigni diſſolvebantur; alia major injecta pariter cum ſibilo ſoluta eſt, fruſtula adjunctæ arenæ adhuc majorem in ea tumultum & ſpumam excitarunt, & mox integre ſoluta quoque ſunt, aqua forti relicta limpida, quæ talis etiam affuſa aqua permanſit; utut mox a ſolutione fuſci quid referret. Alia conchula Spiritui Vitrioli injecta cum effervescentia non levi fuit arroſa, emollitaque videbatur, extracta vero exhibuit auri inſignem effervescentiæ in ejus compage continuatæ ſonum. Alia conchula diu in aceto integra permanſit, magis videbatur arroſa juncta arena, erat vero & notabilis effervescentiæ ſibilus &c.

Candide iſta communicanda erant, ad emendandam alienis nixam oculis priorem obſervationem de hac arena, quæ tamen inde evadit mirabilior, magisque ſtupenda in tanta innumerabilium tam incredibiliter parvarum nitidarumque conchularum copia in tam vili arena, tantaque ejus mole ac monte. Requirerent iſta pleniorem inquiſitionem in ipſum locum natalem arenæ hujus ibi tam vilis habitæ, inque ſitus circumſtantias &c. ſed iſta nobis ſufficient hac vice. Valere enim nunc jubeo figuratos lapides, poſtquam iſta doctrina tantis animorum motibus agitur. Scripſeram nonnulla circa Geographiam Woodvvardianam dubia in Diſſert. Taurin. ut anſam præberem illius illuſtrationi ulteriori, & editioni Syſtematis majoris promiſſi; ægre tulit modeſtum diſſenſum Vir celeberrimus, placuitque ipſi mea

acrius adgredi; ego eclipſin iſtam qualemcunque, humanitatis Inclytæ Anglorum Genti ſolennis amico proſequor ſilentio, Virumque amo, nec agnoſco adverſarium. Mea non intereſt, quæcunque foſſilium iſtorum ſit origo; ego nulli adhuc parti accedo, utraque ſuos patitur manes. Diluvii Univerſalis veritas notiſſima eſt; quisquis Moſi & Prophetis non credit, neque figuratis credet lapidibus. Vincant qui poterunt. Iis tamen, qui iſtis delectantur elegantibus phænomenis hanc commendo Conchiferam Arenam, & Conchularum elegantiſſimas atomos, earumque originem inveſtigandam. Imo & commendo vel notiſſimum Belemnitem iis, qui in foſſilium regno elegantes atque artificioſas ſtructuras vix admittunt, ſcrutentur maxime, frequenti iſtius lapidis fractura, alveolum, ejus ſobolem, hujusque geneſin &c.

(*Tubinga Auguſtam Vind. d. 10. April. Anno 1716. miſſa.*)

OBSERVATIO XXXVIII.

Dn. D. Johannis Jacobi Dillenii.

Plantæ dubiæ.

Veronica Spicata, foliis Veronicæ Officinarum.
Spergula foliis Knaul, flore purpuraſcente.
Spergula foliis Knaul, flore purpuraſcente minore.
Spergula ſemine limbo foliaceo cincto.

INter alias rariores circa Giſſam provenientes plantas partim plane novas, partim deſcriptas quidem & depictas etiam, ſed minus curate obſervatas & examinatas, ſequentes memorare liceat; quarum primam utcunque deſcriptam, minus nitide vero depictam minusque explanatam, ſecundam, ſi calicis inciſuras omiſſas demas, curioſe ſatis a curioſo Botanico depictam, ſed nimis breviter deſcriptam, nec ad convenientem locum relatam reperimus, poſtquam utramque aliquot annis ante pro nova nondumve deſcripta habuiſſemus: tertia pro nova haberi poteſt: quarta immerenter in dubium vocata & cum alia ab ea diverſa commixta fuit. Prima Veronicæ ſpecies eſt, cujus radix

dix transversa repit, ex qua caulis surgit dodrantalis aut pedalis, simplex non ramosus, qui in spicam desinit palmum plerumque longam, ex floribus saturate cœruleis, dense stipatis compositam. Flores Irregulares sunt, in quatuor segmenta divisi, quorum unum erigitur, tria propendent; segmento medio lateralibus angustiore; segmenta florum angusta magis quam in Veronica spicata *Riv.* seu Lysimachia spicata cœrulea *C. B.* sunt, & non ita plana & expansa; singuli flores stamina duo & stilum simplicem propendentem habent; planum florum ad caulis longitudinem perpendiculariter erigitur, & singuli flores ligulam habent appositam, calices in quatuor segmenta dividuntur. Vascula tumida magis quam compressa sunt, non tamen rotunda aut testiculata, sed oblonga magis, seminibus multis repleta. Folia hirsuta per margines crenata, adeo, inferiora præcipue, Veronicæ Officinarum foliis similia sunt, ut distingui non queant; folia inferiora ex adverso bina, superiora, quæ minora, alterna sunt. Sapor plantæ amarus est. Loco pascuo in margine silvæ Gissensis, versus prata Urselum dicta, ad viam, quæ ad pagum Rœdgen ducit, neque alibi apud nos Augusto florentem reperimus. An a quoquam descripta sit, ignoro. An Veronica Alpina Bellidis folio hirsuta *C. B?* De Veronica spicata recta majore & minore *J. B.* & Veronica spicata angustifolia *C. B.* magna confusio est. *Rajus* in Historia has plantas conjungit, & Veronicam spicatam minorem *C. B.* eis insuper accenset *J. Bauhinum* sequutus. *C. Bauhinus* in Pinace cum Veronica sua spicata angustifolia, Veronicam rectam 1. & 2. *Tab.* conjungit, & Veronicæ spicatæ minori synonymam facit Veronicam rectam minorem *Tab.* quæ omnino diversæ a spicata angustifolia plantæ videntur, ideoque male conjungi a *Rajo.* Nos Veronicam rectam 1. & 2. *Tab.* synonymam fecimus cum Lysimachia spicata cœrulea *C. B.* & tales omnino sunt, prout *Tabernæmontanum* & *Hortum Eystettensem* evolventi patebit. An Veronica spicata recta major & minor *J. B.* recte conjungatur eum Veronica spicata angustifolia *C. B.* judicare nequeo, cum iconem *J. B.* non viderim, descri-

ſcriptio vero mihi non ſatisfaciat, unde etiam ob mancam deſcriptionem certus eſſe nequeo, an noſtra hæc cum Veronica ſpicata recta majore & minore *J. B.* eadem ſit, quod mihi non videtur. Nec cum Veronica mare erecta *C. B.* præſens planta convenire videtur, utpote quam *J. Bauhinus* & *Rajus*, ſecundum omnium icones & deſcriptiones cum Veronica vulgari eandem eſſe exiſtimant, quamvis *Dodonæus* folia non ſerrata & vaſcula, non ut in Vulgari marſupiata, ſed fere rotunda pingat, ob quas notas etiam & quod præterea ramoſa ſit, cum Noſtra hac eadem eſſe nequit. Quicquid ſit, nos plantam hanc plene planeque deſcripſimus, & titulum ei fecimus congruentem, ut quicunque eam viderit, non poſſit non ipſam ab aliis prompte internoſcere & diſtinguere. Verum poſtquam hæc aliquot annis ita ſcripta eſſent, ipſam *J. Bauhini* Hiſtoriam evolventes, deſcriptionem ejus in omnibus plantæ noſtræ ſatis quadrare invenimus, præterquam quod ſemen planis, bifidis capſulis contineri dicat: tempus florendi etiam convenit, ſed icones rudes, non tamen ab invicem diverſæ videntur; quid aliorum referant, inveſtigare jam non licet. Noſtram accurate & nitide pictam ad confuſionem tollendam exhibere fas eſto. Tab. VI. Pertinet ad eas Veronicas, quæ Spicatæ dicuntur, quarum videlicet ſpicæ ſummos caules & ramulos terminant: aliæ ſpicas etiam habent, ſed e foliorum alis egredientes: ceteræ, prout eas dividit *Rajus* in Hiſtoria, flores foliis intermixtos, e ſingulis eorundem alis ſingulos obtinent. Celeb. *Rivinus* Veronicas bifariam dividit, ita ut aliæ flores habeant magis planos, magisque compreſſa pericarpia, ad formam burſæ paſtoris, quales eſſe aut Veronicam *officinarum* & plerasque a Moriſono enumeratas: aliæ florum lacinias obtineant anguſtiores minusque patulas, & pericarpia minus compreſſa, ſed turgida inſtar gemellorum teſticulorum, quales ſint: Veronica ſpicata maxima pratenſis: Veronica folio incarnato Veronica folio Hederæ: Veronica folio Chamædryos. Verum cum differentiæ, quas adhibet *Rajus* claræ planæque ſint & magis obſervabiles, quam levior florum differentia, eæ reprobandæ aut his poſtponendæ non videntur. Altera, quam hic exhibemus plan-

tam

ta, Lychnis parva paluſtris, foliis acutis lanceolatis, floſculis purpureis dicitur *Menzelio* Pug. Ubi uncialis, quandoque duas, tres, aut quatuor uncias alta pronunciatur. In udis circa oppidum Marchiæ Beſcoviæ & in aliis Sileſiæ & Crosnæ locis reperit curioſus iſte Botanicus, & pro nova nondumve deſcriptæ propoſuit. Nos etiam antequam iconem Pugilli vidiſſemus, pro nova habuimus, dubitavimus tamen & quæſivimus, an non eſſet Caryophyllus ſaxifragus ſtrigoſior, vel Caryophyllus ſilveſtris flore minimo *C. B?* Saxifragia ſive Saxifraga Antiquorum *Lob?* Cui Betonicam coronariam ſive Tunicam minimam jungit *J. Bauhinus* Hiſt. Pl. T. 3. L. 29. C. 25. ſed *Fratri* non aſſentitur, quod Saxifragiam *Lobelii* eandem exiſtimarit cum hac planta, quam ipſe cum Saxifragia magna *Matth.* jungit; idem *J. Bauhinus* ſequutus *Fratrem* ex Phytop. Tunicam minimam *Lugd.* huic addit, quam *Caſparus* in Pin. p. 211. ſententiam mutans, rurſus disjungit, & ſub Caryophyllo minimo murali tradit. Ni *J. Bauhinus* radicem craſſiuſculam, multorum capitum, flores extremis ramulis majuſculos, ſingulares tribuiſſet ſuæ plantæ, eandem putaſſemus cum hac, quam deſcribimus. Si per ſingulares ſolitarios intelligat flores, hæc eſſe nequit, modo non de ramulis particularibus accipiendum id videatur. Reliqua ceterum omnis deſcriptio ei adaptari bene poteſt, nec icon, pro temporum licet ratione rudis, diverſum ſuadet & juniorem nondumque ramoſam factam plantam ſatis refert. At ipſe figuram hanc Fuchſianam pronuntiat, neque bene exprimere ſuam Betonicam diſerte aſſerit. Igitur quam Cap. ſequenti ſic ſatis accurate deſcribit atque a Betonica minima omnino diverſam dicit, noſtræ eadem prorſus videtur, licet icon omnino rudis & imperfecta etiam ſit. Vocatur ipſi Betonicæ ſive Tunicæ minimæ ſimilis planta. *Fratri* notam & in Gallia Narbonenſi repertam dicit, qui nobis eam Caryophylli minimi muralis nomine forte intellexiſſe videtur, cui an Tunicam minimam *Lugd.* recte junxerit, nondum nobis compertum eſt. Noſtram iconem Menzelianæ ſimilem, ſed plantam adultam magisque perfectam repræſentantem, & deſcriptionem,

ante Bauhinianam nobis notam, conceptam, magis etiam curaram, afferre liceat. Annua planta est, quæ & radice simplici, postea tamen ubi fere defloruit fibrosa, in multos ramulos divisa surrigitur & expanditur, ita ut arbusculam eleganter referat; ad singula genicula folia angusta oblonga habet, semunciam & unicam sæpe longa, ad quorum exortum ex altero latere duo longe minora vix conspicua egrediuntur, ut folia figura sua folia Knaul omnino referant, consistentia vero Hyssopi foliis similia sint, licet multo minora & angustiora. E divaricationum angulis & e foliorum alis pediculi exilissimi semunciales exeunt, flores purpurascentes & striis saturatioribus pictos gestantes, singulis petalis per medium divisis, verum adeo leviter, ut ad Spergulam potius quam Alsinen referenda videatur, flores non decidui stamitibus decem & apicibus albis aut herbidis donantur; stilus in duo fila brevia ceu cornicula dividitur. Vasculum seminale concides oblongo rotundum, seu basi angustiore præditum, ut venter adeo basi non nihil latior sit; semina nigricantia, lævia non sunt, parva, ut an rotunda, angulosa aut papaverina sint, non bene videri queat. Calix in quinque segmenta ex albo virescentia dividitur, verum non profunde, ut aliæ hujus generis, sed summa solum parte, attamen cum Caryophylli aut Lychnidis calice nihil commune habet, nam ad basin usque singula segmenta, si curiosius tractentur, separari possunt, nec semina cum Caryophylleis conveniunt, ut ad Spergulam potius, ad quam flore, vasculo, semineque & divisura caulium accedit. quam alias quascunque plantas referenda videatur, qua de causa Spergula foliis Knaul, flore purpurascente, nobis dicta fuit, cujus synonyma erunt: Lychnis parva palustris, foliis acutis lanceolatis, flosculis purpureis *Mentz.* Pug. Betonicæ sive Tunicæ minimæ similis planta *J. B.* Hist. Forte Caryophyllus minimus muralis *C. B.* Pin. forte etiam Caryophyllus saxifragus strigosior, vel Caryophyllus silvestris flore minimo *Ejusd.* ibid. Qui ab hujus consortio removendam docebit Saxifragiam Antiquorum *Lob.* quam sub posteriore, & Tunicam minimam *Lugd.* quam sub priore in Pi-

nace

nace locat *C. Baubinus*, ei lubentes assentiemur, nec sane aliunde quam ex *Lobelio* & *Lugdunensibus* explicandus est *C. Baubinus*, cum ipse nec suas nec aliorum descriptiones aut figuras citet harum plantarum. *Lobelio* sane & *Lugdunensi Historia* jam caremus, nec plantas earum vivas, si diversæ sint, nobis natura adhuc concessit, ut dicere de iis nihil habeamus. Nec minora operæ pretia faciet, qui Betonicam coronariam sive Tunicam minimam *J. B.* extricare allaborabit. Nos sane, utri ex plantis *C. Bauhini* rectius jungi debeat, ignoramus, & alii forte, quoniam omnes, quotquot de hisce scripserunt, nec descriptiones nec figuras satis accuratas adhuc attulerunt; præsentem quidem plantam satis nobis illustrasse videmur. In agris, & fossis calore æstivo siccatis, humectis tamen sæpe reperimus elegantem hanc plantulam. Vidimus & aliam hujus speciem priore minorem, cauliculis simplicibus aut minus ramosis, floribus paucis, altero tanto minoribus, minus striatis, quæ quoniam in eodem cum priore loco provenit, pro diversa haberi potest, titulo: Spergula foliis Knaul, flore purpurascente minore; hanc nos in Diaboli monte prope pagum Ruddershausen Augusto invenimus. Spergulæ nomen tempusque florendi ei, quo hæc scribimus, idem nobis suppeditant aliam Spergulæ speciem quarto loco hic memorandam, a quibusdam immerito in dubium vocatam. *Morisonus* eam vocat Spergulam annuam semine foliaceo, nigro, circulo membranaceo albo cinctam. *Magnol* in Bot. Morisoni hanc plantam ægre separat ab Alsine Spergulæ facie media *C. B.* Spergula marina *J. B.* cui *Rajus*, *Morisono* alias iniquior, facile etiam assentitur in Historia, licet nemo eorum plantam Morisonianam viderit: *C. Knauth* in Herbario Hallensi utramque etiam conjungit: *D. Rupp* Botanophilus eximius utrasque contulit & diversas esse affirmavit, cui consentimus. Nostra palmaris est; folia teretia stellatim caules ambiunt; flores albi in summis caulibus umbellatim quasi disponuntur, singuli in singulis pediculis terram versus decussatis, Pentapetali, petalis integris, clausi plerumque & non nisi sole admodum lucente sese expandentes,

quo tempore simul erecti sunt. Vascula seminalia subrotunda per maturitatem sursum eriguntur & quinquefariam dehiscunt, seminaque fundunt nigra compressa, limbo membranaceo albo circumdata. In colle veneris dicto, solo arenoso Aprili & Maji principio neque uspiam alibi apud nos floret; brevis ævi est & calore vernali appropinquante cito exsolvitur. Postquam hæc scripseramus, cum pro flore delineando plantam hanc quærere vellemus, collem, ubi ei appropinquaremus, aratro subversum & arboribus consitum reperimus, unde nemo miretur, si plantam frustra ibi inposterum quæsiverit, solum enim brevi mutabitur & ex aprico silvestre & umbrosum fiet. *J. Bauhinus* Hist. Pl. T. 3 L. 36. C. 18. radicem marinæ crassiorem quam mediterraneæ, folia secundum iconem quam nostræ longiora & crassiora, salsa, flores luteos e caliculis hirsutis erumpentes tribuit, quo tum a vulgari, tum a nostra hac satis diversa declaratur, ut non memorem plantas marinas & salsas, mediterraneas & dulces fieri nondum observatum.

Gissa Angustam Vind. d. 22. Apr. Anno 1716. missa.

OBSERVATIO XXXIX.

Dn. D. Michaelis Bernhardi Valentini.

De

Lucerna & Amphora VV. Rom. in Hassia repertis.

PRæter urnas, vitra lachrymalia, ceraunias similesque antiquitates in patria nostra hinc inde e terra erutas, notam merentur binæ aliæ a Generoso non minus quam Erudito & in re antiquaria versatissimo Domino de Klettenberg, Francofurto mihi gratiose communicatæ & in Tab. VIII. ob oculos positæ. Verba ejus ita se habent: Quum in aula Serenissimi quondam Principis ac Domini, Domini FRIDERICI D. G. Hassiæ Landgravii &c. &c gloriosissimæ memoriæ, Homburgi Supremi Stabularii munere defungerer, Anno 1707. die 18. Martii Stedæ piscina quædam reparabatur. Cum ergo haud procul a pago illo cespites

Lit B.



2. Schuh

Lit. C. ad pag. 280.

Lit. A.

spites effoderentur, pro formando aggere, *lucerna* in præsente Tabula Lit. A. depicta eruebatur, & in præsentia Principis Serenissimi, Domini mei Clementissimi, integra prorsus & inviolata extrahebatur, postquam paulo ante ex eadem caverna urnam, ob fossorum incuriam omnino confractam, obtinuerant: quæ utrobique immediate sub cespite lapidibus ad dimidii pedis altitudinem obtectæ erant. Lucerna autem hæc extus atro fusca est, & si incrustatio ejus fortiter fricatur, argilla vulgaris emicat. Parti inferiori, sub ipso ventre, inter duos pedes posteriores sequens inscriptio insculpta est:

DEO HERCOLI.

Lit. B. est *Amphora* ex communi argilla constans & extus aliqua calcis specie, quæ minus abstergitur, obducta & quasi gypsata, quæ ante annum vel quod excurrit, extra mœnia civitatis Moguntinæ in municipio novo eruta, & ab Architecto Militari Superiore Dn. Welschio, Reverendissimo atque Celsissimo Electori submisse oblata fuit, qui eandem ex summa, qua me clementissime prosequitur gratia, una cum aliis antiquitatibus, notatu dignissimis, urnis scil. emortualibus, lucernis antiquorum &c. Museo meo inferri jussit. Hæc amphora, 2. pedes cum 8. dig. alta, XVI. mensurarum Francofurtensium capax est.

SCHOLION.

AB amphoris similibus denominatum olim fuit *Vinum amphorarium*, quod in jure Justinianæo frequenter memoratur, & *vino doliari* opponitur. Vocatur autem amphora, quod hinc & inde levetur, vel & a figura, quod ejus ansæ geminatæ videantur aures imitari, ut *Isidorus in Orig. cap.* 25. loquitur. ἀμφορεὺς enim Græcis dicitur quasi ἀμφιφορεὺς, τὸ ἑκατέρωθεν δίωτον σκεῦος, vas ab utraque parte auriculas habens; unde & ansatum illud vas, quod mannam continebat & in nummis quibusdam Hebræorum occurrit, amphoram mannæ vocat Hadrianus *Relandus de Nummis Vet. Hebræorum, Diss.* 2. *pag.* 10. ubi simul

ex *Eustathio, Suida, Hesychio, Phavorino* & aliis ostendit, amphoras illas plerumque vasa figulina fuisse: quamvis *Petronius* in *Satyr.* etiam vitrearum meminerit.

Erant autem amphoræ vel *Sessiles*, vel quæ in acutum desinebant *non sessiles*: quarum figuras utrobique in nummis exhibet ante laudatus *Relandus c. l.*

In his Vetustissimi Romanorum Vinum recondebant & per complures annos asservabant, quod ipsum ætate æstimabant, & quo diutius fuisset asservatum, eo majoris habebant, ut ex *L. Apul. Seneca, Pomponio, Scævola* & quamplurimis aliis comprobat *Demsterus* in *Not. ad Rosini Antiquit. Rom. Lib. V. c.* 30 *p.* 384.

Modus vinum istiusmodi condendi in doliis vel amphoris erat, ut opercula pice vel gypso diligenter oblinerent, & vel in loco statuerent, quo fumus pertingeret, vel in locis subterraneis defoderent. Fumo equidem vinum celerius maturescere, *Jun. Moderatus Columella Lib. I. Rei Rustic. c.* 6. tradit: id quod saluberrimum quoque statuit *Plinius lib.* 23. *cap.* 1.

Primus Autor picandi reponendique hac ratione vini statuitur *L. Opimius* Consul, unde & Opimianum dictum fuit, *C. Plin. lib.* 14. *cap.* 4. & ut de ætate ejus constaret, vasi nomen tum Autoris, tum Consulis, vel & annorum numerus inscribebatur. Hinc *Petronius in Satyr pag.* 26. statim, *inquit*, allatæ sunt amphoræ vitreæ diligenter gypsatæ, quarum in cervicibus pittatia erant affixa, cum hoc titulo: FALERNUM. OPIMIANUM. ANNORUM. CENTUM. Nostris temporibus simile quoque vinum doliare habetur in quibusdam Germaniæ locis, Argentorati v. g. in Nosocomio, oleo vel Q. E. similius quam vino.

Interim non putandum est, Amphoras Romanorum soli vino recipiendo destinatas fuisse, sed & alia, frumentum v. g. oleum, sal, acetum, aquam &c. in illis recondita fuisse Historici tradunt; quod vel ex solo loco *Martialis lib. XIII. Epigr.* 119. constare poterat, qui ita se habet:

Ampho-

Amphora Niliaci non sit tibi vilis aceti.

Quin & cineribus mortuorum easdem inserviisse nonnunquam, urinæ anfatæ, etiam in Hassia inventæ, testantur, quarum jamdudum vestigia prostabant apud *Homerum iliad.* Ψ.

(*Gissa Augustam Vind. d. 30. April. Anno 1716. missa.*)

*** *** ***

Similem Sphingis Lucernam, quam Excell. Auctor Observationis exhibet, apud Fortun. Licetum e L. Comitibus ortum in eruditiss. de Lucern. Antiq. recondit. Libr. IV. cap. XXXVIII. p. 822. repertu datur, quam sepulcralem credit. Nec aliquem absterreat fuisse sepulchralem Inscriptio: DEO HERCOLI; cum probe constet, veteres pro defunctorum animis Herculi sacrificasse Deo, Charonti & aliis inferis metuendo, ne tranare paludem stygiam optantes animæ citius, a Charonte negligerentur, & ad ripam diu flentes, commorari maestæ cogerentur. Cum Lucerna hæc in agro Moguntiaco effossa, Inscriptione id probamus Lapidis, qui in area facelli St. Aurei prope Dalheim fuit, ex agro pariter Moguntino veteri Rom. Colonia.

HERCULI SACRUM
VALE SPERATA
L. MAGAL. VICTORE
C. VALER. SENECIONE
L. VALER. SECUNDO
P. VALER. PACATO
FILIIS
V. S. L. L. M.

Et certe Herculis præ cæteris numinibus verendum apud Germanos nomen fuisse, nemini ignotum, ne Tacito quidem de Germanor. mor. id diffitente. Alemannum cognomento Herculem ultimum Germanorum Regem fuisse, ex Beroso Aventinus confirmat. qui pro Boicæ gentis conditore habetur, cujus insigne Leo, cognominis causa. Argle Atergle, arle & ærgle ferum

rum denotare Leonem in veteri Lingua Theotisca Schedius de Diis German. Syngr. III. cap. II. p. 474. vult, unde Herculem Latini fecerunt. Pro HERCULE passim in Inscriptionibus HERCOLE legitur. Sic in novo Inscript. Gruter. opere, ab immortalis gloriæ Græv io cum Not. Marq. Gudii edit. p. VI. n. 2. I. O. M. JUNONI MAGNAE HERCOLI &c. & p. XLV. n. 6. HERCOLI CELERI. VA.

Ad Amphoram quod attinet ansatam sive auritam, hoc doctissimis conjecturis Excell. Auctoris, ejus pace atque venia, addere licebit, amphoram allatam, Ægyptiacæ Isidis amphoræ non esse dissimilem, qualem Φιλαιχαιώτατος Begerus Thesaur. Brandeb. Volum. III. p. 390. exhibuit, Græce Τέξειον dicta, quas in Isidis Osiridisque Pompa prælatas fuisse Plutarchus testatur. Sed, inquies, quid Germaniæ cum Ægyptiaca Iside & Osiride? utique. Isidem nempe in Germania cultam, jam laudatus de morib. Germ. Tacitus memorat; Inscriptionesque Isidis ad Rheni ripas, in Vindeliciis, alibique in Germania repertæ, ab Aventino, Welsero, aliisque recensitæ locaque inde nomen adhuc habentia affatim probant. Nec infrequentem esse hydriarum talium Isiacarum effossionem in agro Moguntiaco, patet ex D. Joh. Crafft. Hiegelii Specim. prim. Urn. sepulchral. nuper extra Urbem Mogunt. erut. qui ansatam hydriam Isidis Tab. I. Fig. 3. & urceum insuper tribus ansis instructum & ibi effossum Tab. II, delineari curavit. Hoc denique annectere placuit, hac hydria ubertatem designari, id quod patet ex elegantissima Abundantiæ statua apud E. P. Borghesium Romæ obvia, caput habente herbarum frondibus coronatum, altera manu cornucopiæ fructibus refertum, altera hydriam Isiacam tenente, quam depictam dedit Cl. Mich. Angelus Causeus de la Chausse in Deorum simulacris & Idolis aliisque Imaginibus æreis Tab. XXIII.

Periander.

OBSERVATIO XL.

Dn. D. Gerardi Arnoldi de Vinquedes.

Antimonii crudi usus medicus.

ANtimonium crudum a variis licet authoribus, & nonnisi ad grana aliquot pro dosi, interne sumendum præscribatur: tamen ratio & experientia me eo deduxerunt, ut ulterius progredi ausus fuerim: neque successu caruit præcipue sequens compositum: ℞. Antimon. crud. ʒiß. cort. chin. chin. ʒiij. pulverisentur seorsim, hinc misceantur coganturque cum s. q. syrup. e succo card. ben. in massam pillularem.

Dosis, vires & usus.

In omni intermittente, imo ipsa quoque continua febre, summum est arcanum. Dosis est drachmarum duarum; unde formentur pill. No. V. involvend. pulvere cinamomi liquiritiæ alio. ve pro re nata.

Modus utendi hic est, postquam scilicet paroxismus febrilis remiserit, porrigatur ægro vomitorium conflat. e tart. emet. gr. vi. vij. aut viij. pro qualitate subjecti, arcan. duplicat. ℈j. conf. absinth. ʒj. misce fiat bolus. Posteris vero a sumptione boli diebus mane jejuno ventriculo, circa octavam Pillul. nostrarum mineralium sumendæ sunt Pill. No. V. superhibendo haustum vini burgundici unciarum circiter octo, ejus autem defectu alterius cujusdam vini quo repiriri potuerit generosissimi provectæ ætatis sub vesperam duabus ante pastum horis parem qua supra exhibendo pillularum quantitatem, superaddita eadem quoque vini portione, idque per novem dies continuos, unde perfecta febrium subsequetur curatio, cujus varia possem adducere experimenta, quæ studio prætorire volui, attamen e pluribus unum in medicinæ tyronum gratiam subnectam, de quodam quartanario ipsa media hyeme modo quo supra curato: is ea febri per menses quatuordecim & ultra postquam detentus fuerat, variis incassum assumptis medicamentis, nostram implo-

ravit opem, cui in paroxismi declivio porrexi bolum sequentem: ℞. Tart. emet. gr. viij. arcan. duplicat. ℈j. conf. absinth. ʒj. m. f. bolus. Unde laudabiliter tam per superna, quam inferna copiosam materiæ febrilis saburram deposuit: posteris autem octo diebus continuis mane & sub vesperam modo quo supra pillularum mineralium dosin sumsit, superbibendo vini haustum, eoque spatio evoluto, metu recidivæ porrexi bolum, quo supra vomitivum, unde in tantum bene valuit, ut in virum robustum & quadratum evasus, non sine admiratione ipsum obviam habuerim, ubi tamen antea potius morti quam vitæ proximior erat.

OBSERVATIO XLI.

Dn. D. Gerardi Arnoldi de Vincquedes.

Antihydropicum expertum.

℞. Rad. 5. aperient. aa. ℥j. asari jalapp. mechiocan. aa. ʒiß. helleb. nigr. ʒvj. fol. sennæ oriental. ℥j. herb. chamædr. polymontan. ceterach scolopend. card. bened. agrimon. aa. Mi. virg. aureæ Miij. santal. citrin. sassafras aa. ʒij. bacc. hederæ arboresc. junip. aa. ℥i. cort. citr. aurant. aa. ʒiij. fem. anis. fenicul. aa. ʒij. incisa & contus. infund. cervis. fort. ℔Lij. postquam per aliquot dies macerav♃rit, exhibeatur mane & vesperi insignis haustus pro qualitate ægri, aquas hydropicorum potentissime per secessum & urinas educit.

(*Leodio Augustam Vind. d. 11. April. Anno 1716. misse.*)

OBSERVATIO XLII.

Dn. D. Johannis Caspari Westphali.

De Pluvia sanguinea.

Cum Anno 1712. die 4. mensis Junii, cœlo sereno, in hortis oppiduli Græfenheinichen Saxoniæ superioris, ut & die 9. ejusdem mensis in pago quodam eidem vicino, maculæ rubræ in foliis arborum &c. deprehensæ fuissent, atque a nonnullis pluviæ

viæ cuidam prodigiosæ, ab aliis vero papilionibus tum temporis magna in copia circumvolitantibus adscriberentur, de iis quid mihi videretur, judicium ferre d. 13. Junii ab Amico rogatus, sequentem in modum respondi: Sanguineæ illæ creditæ guttæ neque papilionibus, multo minus prodigio alicui debentur, sed operatio saltem naturæ sunt, & nihil aliud, quam particulæ vel atomi sulphureæ, oleosæ, pingues, æstivis caloribus ex plantis, fruticibus & arboribus, horumque floribus aromaticis pinguibus, una cum salinis volatilibus mercurialibus, evaporantes, quæ in aëre, una cum rore matutino vegetabilium unitæ circulantur & digeruntur, hinc cum dicto rore condensatæ, defectu pluviæ, guttularum rubicundarum forma delabuntur; prout sulphur etiam vulgare cum Mercurio vivo mixtum, mediante sublimatione in minutissimos atomos intime commiscetur, & corpus tertium, vel concretum rubrum, cinnabarin nempe, constituit. Ante 36. annos simile quid Mittewaydæ, aëre admodum calido existente, & cum diu pluvia non decidisset, me observasse recordor, ubi particulæ sulphureæ & salinæ volatiles ac mercuriales cum rore aliisque effluviis aqueis a solis calore in altum eductæ, circulatæ, inque colorem rubicundum digestæ fuerunt; idque circa meridiem post horam decimam contigisse deprehendi. Id quod propria experientia illustrare possum, postquam aliquoties mucilaginem illam viscosam, quam Stellas cadentes, die Sternbutzen/ vocamus, in phiala vel mortario vitreo, mediante speculo caustico in materiam sanguini arterioso rubore similem circulando mutavi. Memini quoque, olim D. Jodocum Müllerum, Dresdensem, ex auro mediante rore matutino essentiam saturate rubram extraxisse, qui etiam colore hoc per alembicum transibat, relicto in fundo cucurbitæ auro resoluto, qui color necessario a particulis salino-sulphureis originem ducebat. Notum insuper est Digbæi experimentum, quo radii solares mediante speculo ustorio in pulverem rubrum concentrati fuerunt; non quidem juxta sententiam authoris hujus, cæterum prudentis admodum & experientissimi, ipsi radii sola-

res præcipitati, sed particulæ illæ salino-sulphureæ & mercuriales aêreæ a calore solis unitæ, circulatæ ac digestæ, atque per speculum causticum in pulverem rubrum concentratæ ac præcipitatæ, sunt intelligendæ; cum econtra byemali tempore, aliisque aëris mutationibus, nullus talis pulvis rubeus remaneat, sed colore ob particulas in aëre contentas differat, præcipue autem in autumno mox spadiceus, mox fuscus ille compareat.

(Delitschio Augustam Vind. d. 12. May. A. 1716. missa.)

OBSERVATIO XLIII.

Dn. D. Michaelis Alberti.

Genealogia Salium Mediorum per viam siccam paratorum.

DUm in Centuriæ quartæ Observatione 82. animadversiones quædam in præparationem Salium mediorum, quæ neutra vulgo dicuntur, commemoratæ fuere, quatenus eadem per humidam viam producuntur, ita placet jam stare promissis, & debito me liberare, videlicet aliquot annotationes circa genesin horumSalium via sicca succedentem explicare & indicare. Jam constat, quod hæc Salia propterea media dicantur, quia ex acido & alcali mixta sunt, & mediam indolem præsentant, unde neutra vocantur, quia neque purum atque liberum amplius acidum, neque nudum alcali, sed ex utroque conflata existunt; non neutra dicuntur, quasi nullum acidum, & nullum alcali amplius contineant, & ita ad Philosophiam Aristotelis, circa mixtionem Physicam versantem, privationem pristinæ & inductionem novæ formæ sistant. cum contrarium per reductionem & analyticam methodum ipsis sensibus demonstrari queat, quomodo nimirumSalia media in acidum & alcali pristinum verti & promoveri possint, licet laboriosa atque difficili, tamen possibili & demonstrativa methodo atque enchirisi, de qua re placet alia observatione differere. Et horum itaque Salium genesis succedit etiam tali modo atque processu, ut ad ipsum actum combina-

tionis

tionis acidi cum alcali nulla humiditas propric ſic dicta, aut nullum vehiculum & adminiculum aquoſum requiratur. Acidum vero, quod ad hæc Salia pertinet, Vitriolicæ eſſe debet indolis aut proſapiæ; alcali quodvis Fixum ſaturatum & bene acre ſatisfacit, & quo acrius, ſubinde etiam tenerius tale eſt, eo melius inde redundat Sal Medium: hinc ipſa hæc Salia bonitate, utilitate & efficacia inter ſe differunt, prout principia, ex quibus conflantur, puriora concentratiora & teneriora exiſtunt: quemadmodum de Salibus alcalibus tenerioribus conſtat, quantam colliquativam, abſtergentem, incidentem, ſubinde etiam plane laxantem efficaciam habeant, etiam ſimpliciora, ſine connubio alterius Salis, id quod in famoſa illa Magneſia alba occurrit, quæ nihil aliud eſt, quam ſuperflua in Nitro, calcareo-alcalina ſubſtantia, vix ac ne vix quidem cum acido Nitroſo reſiduo remixta. Unde principia horum Salium Mediorum in diverſo licet proceſſu, non tamen ſunt diverſa, ſed eadem, modo ex diverſis ſubjectis, aggregativam connexionem præbentibus & continentibus, petita. Familiariſſima & maxime cognita methodus Sal tale Medium via ſicca generandi & producendi occurrit

I. In proceſſu deſtillationis Spiritus Nitri ad inſtitutum *Glauberi*, *Kesleri*, quin certo reſpectu ipſius *Ludovici*, quando Nitrum cum Vitriolo miſcetur & convenienti modo tractatur & deſtillatur, prodit inde non Vitrioli Spiritus (niſi exceſſiva quantitas Vitrioli Nitro addita, & gradus Ignis nimium una auctus fuerit) ſed Nitri; interea in reſiduo capite mortuo inter duo corpora ſicca Terrea genitum eſt illud productum mediæ indolis, quod non amplius eſt acidum, ſed amarum, non corroſivum, ſed abſtergens, non metallicum, ſed ſalinum, quod quidem jam actu generatum eſt, ut non niſi ultima ſeparatio & repurgatio ab aliis metallicis Terreis quisquiliis neceſſaria exiſtat: dicitur hoc Sal ita genitum arcanum duplicatum, ſane minime arcanum aut methodo arcana generatum, uti appoſite, luculenter & ſufficienter demonſtravit *Stahlius in opuſc. chym* Evenit vero hæc genealogia, dum acidum in Vitriolo, ut præ reliquis potentiſſimum & efficaciſ-

simum, Nitro corpus alcalinum aufert, abripit, absumit, & sese cum eodem jungit, miscet & saturat, adeoque acidum Nitri nunc denudat, eidemque vestem quasi exuit, quod ita liberum, nunc Igneum motum subiens, post perpessum hoc divortium, transcendit & Spiritum Nitri constituit, remanet in retorta Sal illud fixum, videlicet acidum Vitriolicum, quod metallum suum pristinum deseruit (quoniam cum Terris simplicioribus & imprimis alcalinis facilius congreditur, testante experientia & observatione chymica) & Terram alcalinam calcaream Nitri amplexum est, unde jam medium tale Sal est, quod arcanum vocatur, sive, quod adhuc magis est, Panacea, deinde Holsatica, quod Sal sicca via atque methodo, (proprie processum advertendo & disquirendo) genitum constat. Idem fit, si loco Vitrioli crudi, Alumen crudum leviter calcinatum recipitur, & cum Nitro remiscetur: habet enim alumen idem illud acidum Vitriolicæ indolis, ad generandum Sal tale sufficiens & satisfaciens.

II. Et simile quidem Sal ita dictum arcanum, hac via generari potest, si Vitriolum calcinatum cum æquali portione Nitri miscetur, & non in vase occluso, videlicet Retorta cum præposito recipiente, in quo deinde Spiritus Nitri colligitur, sed in vase aperto, nimirum Crucibulo, funditur, evenit sub hac tractatione, ut Spiritus Nitri intense olidus atque fulvus cum reliquo fumo vaporoso Aquoso Vitrioli transpiret, residuum vero acidum Vitrioli remanentem Nitri alcalino calcaream terram arripiat, & tale sal medium quod arcanum denotat, constituat: *conf. Stahlii Mens. Julius* (*ap.* 3. Tali quidem modo procedit etiam hac via coalitio principii acidi, cum alcalino, ex aliis subjectis sine sulphure separativo a *Ludovico a Frundek* supposito, segregato.

III. Enascitur porro hoc Sal hac via, ex Hepate Sulphuris, quando hoc leniter calcinatur & a suo principio inflammabili, flagrante & subtiliter flammante liberatur, remanet sic in pulvere grysei coloris Sal illud amarulentum, quod tantum a superflua Terra & adhærescentibus sordibus removendum & seorsim colligendum est: quod Sal hoc modo paratum & Medicis

dicis & Pharmacevtis nomine Polychrefti Glaſeri venire ſolet: poteſt etiam pulvis ille gryſeus mediantibus carbonibus iterum in antiquum hepar Sulphuris converti; ſicuti Sal hoc cum eodem additamento denuo in verum eſſentiale & perfectum Sulphur reduci poteſt, juxta novum experimentum prælaudati Stahlii l. c. conf. Index Opuſc. ejusdem chymicorum. Contingit hæc geneſis hujus Salis in hoc proceſſu, dum acidum Sulphuris, quod non aliud quam Vitriolicum eſt, ſeſe cum Sale alcali cinerum clavellatorum ſaturat, cui miſcelæ tamen ſuperficietenus adhæret portio Sulphuris inflammabilis & deflagrabilis, quæ propterea ſub levi calcinatione exuri & ſemoveri poteſt. remanente illo Sale mixto, ex acido Vitrioli & alcali, unde Sal illud neutrum ſiſtitur.

IV. Generatur etiam hoc Sal, quando Vitriolum, præcipue mundum, cum cineribus clavellatis, imprimis puris candidis, aut Sale Tartari ad minimum portione anatica, in crucibulo fundi-tur per dimidiam horam, per initia lente & circumſpecte, ita maſſa inde prodit obſcuri coloris in nigredinem proni, cui jam ineſt hoc Sal, quod ſub hac fuſione genitum fuit, dum acidum Vitrioli ſuum metallum deſeruit & alcali cinerum clavellatorum apprehendit, unumque mixtum cum hoc conſtituit, quale Sal deinde iterum modo e tali Maſſa Salino-metallica ſeparari debet; remanet ſic plurimum præter alias ſordes terreſtres, metallum Vitrioli: ad quam geneſin ne ulla quidem humiditas contribuit, cum proceſſus inſtitui poſſit, cum Vitriolo intenſius etiam calcinato, & exhalante omni humiditate.

V. Idem accidit, quando Sal Tartari cum alumine tali modo tractatur, videlicet per fuſionem in crucibulo ad dimidiam imo integram horam, maſſa inde provenit ſpumoſa, cretacea, albicans, ab empyrevmate Ignis vel leviter flaveſcens, vel parcius in cæruleum colorem inclinans, ubi acidum aluminis, quod ſimiliter vitriolicæ proſapiæ eſt, cum Sale alcali Tartari ſaturatur, & medium tale Sal conſtituit Tartaro Vitriolato æmulum amarum, digeſtivum, remanente cretacea aluminis ſubſtantia pulverulenta, macra & ſterili, quæ integræ maſſæ pumicoſam conſiden-

sistentiam conciliavit, dum a suo acido liberata est, & huic massæ confuse sine mixtione, sed superficietenus tantum inhæret, & ex hac massa Sal illud neutrum, jam tum sub fusione genitum, modo educi debet, i. e. sequestrari, non vero produci aut generari cum humido vehiculo.

VI. Ita siccus porro processus est, quando Nitrum cum parte dimidia Sulphuris funditur, dum nimirum successive Sulphur adjicitur fluenti in Crucibulo Nitro, cum quo splendidam & fulgurantem flammam concipit, evenit inde, ut, dum sub momentanea hac accensione utriusque subjecti tam Nitri, quam Sulphuris mixtio solvitur, in illo principium subtile inflammabile & alterum acidum a Terreo suo corpore, in hoc & inflammabile & acidum, hoc videlicet Sulphuris acidum potentius, inter singula hæc libere fluctuantia reliqua principia, Nitri corpus alcalinum arripiat, & cum eodem in fixiorem Salinam consistentiam abeat, atque hoc modo Sal illud medium efficiat, quanquam aliquando de acido Nitroso quiddam huic Salino magmati interspersum hæreat, inflammabile vero tum Nitri, tum Sulphuri, deflagravit & decessit: vocatur hoc productum Nitrum Sulphuratum, sive juxta pharmaceuticum appellandi modum Lapis Prunellæ, quod non aliud Sal est, quam tale digestivum, cum tantillo acidi Nitri remixtum, quod acidum certa enchirisi & quidem continuata ustulatione & fusione vegetiori quantisper segregari potest.

VII. Quando Sal commune mediocriter crepatum in crucibulo cum Vitriolo funditur, igne efficaciori, transcendit sub fusione vapor nebulosus obscure pallidus, qui præter reliquam translucentem & ad operationem nihil contribuentem humiditatem aquosam, Spiritum acidum Salis communis exhibet, in crucibulo vero generatur illud Sal medium ex acido Vitrioli & alcalina arenoso-Terrestri substantia Salis communis constans, & illud mirabile Glauberi Sal repræsentans: massa vero, ubi de metallica portione Vitrioli crudi, quod antea ad hunc processum receptum fuerat, participat, ita non alio ulteriori labore indiget, nisi ut hoc jam genitum Sal inde educatur & ab heterogeneitatibus terrestribus separetur.

VIII. Si-

VIII. Simili modo succedit hæc genesis, quando Vitriolum calcinatum cum Sale communi crepato ex retorta destillatur in recipientem capacem, prodit inde Spiritus Salis communis, & remanet in Capite mortuo hoc Sal mirabile, quod itidem ex eodem Capite mortuo modo educi debet: Commendat *Glauberus Cent. 3. num.* 89. hujus Salis præparationem, quando oleum Vitrioli (quod num. 86. pro universali acido & reliquis potentissimo laudat) cum Sale communi miscet & destillat: hujus Salis medii digestivi differentiam specialissimam a Tartaro Vitriolato exposuit laudatus *Stahlius l.c. cap.* 6.

IX. Idem accidit, quando alumen leniter calcinatum cum hoc Sale communi vel in crucibulo funditur, vel ex retorta destillatur, ubi similis saturatio Acidi aluminosi cum Terra arenosa alcalina Salis communis contingit, Spiritus vero Salis transcendit; remanente hoc Sale medio, e Capite mortuo separando.

X. Ita si Sulphuris partes duæ, cum Nitri & Salis communis ana parte una in crucibulo deflagrantur, fit ut ad processum VI. acidum Sulphuris Terram alcalinam tum Nitri, tum Salis communis, arripiat, & cum eadem tale Sal medium efficiat, superficietenus inhærente levi quantitate acidi & Nitrosi & Salis communis: crystalli quæ inde formantur, sunt maxime irregulares, quia corpus crystalisationem subiens & in hoc producto assumens, nimirum alcalinum cum acido mixtum, in illo Sale combinatum & irregularis quantitatis est.

Et quid quæso XI. illud ab aliquot annis peroratum Sal Anglicanum sive Epsomense aliud est, quam tale Sal medium, ex acido Vitrioli & Terra alcalina Salis communis constans, sive jam ex lixivio Salis communis & Capite mortuo Vitrioli, sive Colcothare paratum fuerit, (ubi illud solum notandum est, quod Vitriolum extreme exustum ad hujus Salis præparationem non inserviat, sed illud colcothar, ex quo Spiritus Vitrioli nondum regeneratus est, aut in quo adhuc aliquid hujus acidi inhæret) sive ex ipso genuino Sale communi & Vitriolo quovis, sive ex Sale Marino, aut fossili aut gemmæ & Vitriolo paratum fuerit: cardo

rei vertitur in combinatione acidi Vitriolici & alcalinæ Terræ Salis communis, aut huic gemini alterius Salis, unde enascitur tertium sive medium illud Sal digestivum: potentius vero jam tale Sal abstergit, quia efficaciori & subtiliori Terra calcarea gaudet, quæ effectum absterſionis & colliquationis promovet, uti supra monitum: deinde etiam in genesi hujus Salis non requiritur acida Salis communis substantia, sed alcalina altera illa aerinoso calcarea Terra, unde non cum Spiritu Salis & acido Vitrioli Sal tale produci potest, sed vel cum lixivio Salis, cui Terrea illa substantia magna quantitate inest (quemadmodum in matrice illa, sive lixivio, quod vocant die Mutter-Lauge/ longe plus Terræstris materiæ, quam acidæ inexistit) vel cum ipso genuino Sale communi: inest vero huic lixivio terrestris alcalina portio maxime acris concentrata, & suo Sale alcalino perquam saturata & imprægnata præter reliquam paucam insipidam, quippe quod Sal alcalinum Terra illa intimius & subtilius possidet, unde non semper crasso sensui tam lixivioſa obvenit, nisi pauca humiditate deinde diluatur: quam ob rem de Magnesia alba superius dixi, quod plurima parte & potiori efficacia operetur ob terream illam radicalem & ex reliqua quantitate superfluam alcalino-calcaream substantiam, quæ similiter potenter colliquat & absterget, atque hac ratione alvum laxat & educit.

XII. Non minori aut alia ratione atque promptitudine fit tale Sal medium, si cum alumine Sal fossile, aut marinum in fodinis fabulosis collectum, aut Sal gemmæ, quod multum de Terrea rupea & petrosa substantia continet, in crucibulo funditur (ubi tamen monendum, quod alterius Salis plus quam aluminosi recipi debeat, quia hæc Terrea substantia alcalina non multa aut ad minimum non sufficienti quantitate inest Sali fossili, petroso gemmeo aut marino, quanquam aliquid hujus Salis alcalini contineant:) ita evenit, ut acidum aluminosum obsaturetur cum tali Terrea substantia, unde Sal illud neutrum generatur Tartaro Vitriolato & sapore & effectu æmulum, licet paulo facilius igneo motui obtemperet, ut fundi queat, quam Tartarus ille Vitriolatus.

XIII. Ex

XIII. Ex Capite mortuo Mercurii ſublimati educi poteſt ſimile Sal medium: ſicuti enim hoc corroſivum productum ex Vitriolo calcinato, Sale communi & Mercurio currente generatur (ubi nihil Nitri additamentum contribuit) ita notandum, quod Mercurius ſublimatus ſit concretum quoddam ex acido Salis communis & Mercurio currente conſtans, (quanquam hoc etiam proceſſu, loco corroſivi, dulcis Mercurius præparari queat, ſi quantitas additi Mercurii currentis augetur) quando videlicet hæc quantitas hujus acidi non penitus obſaturatur, alias dulcis inde emergit Mercurius: quo vero hoc acidum Salis communis ſui juris fiat & a compedibus Terreo alcalinis liberetur, ut Mercurium aggredi, & ſeſe cum illo ſociare queat, additum fuit Vitriolum calcinatum, hoc vero ſaturatur cum Terreo corpore ſalis communis, atque certa quantitate ſub ipſa hac operatione Sal hoc medium via ſicca generat, quod poſtea ex hoc capite mortuo educendum eſt.

XIV. Quando apta proportio Sulphuris, Nitri & Tartari crudi deflagratur, & maſſa reſidua bene calcinatur, generatur ſtatim in crucibulo hoc Sal medium, dum Sulphuris inflammabile & Tartari pingue principium cum Nitro detonat, atque exuritur, ut potentius Sulphuris acidum & Nitro & Tartaro terreum ſuum corpus alcalinum ſurripiat, & cum hoc ſeſe jungat, unde illud Sal provenit.

XV. Idem fit, ſi loco Tartari, ſacharum finiſſimum commiſceatur cum reliquis materiis, & ſucceſſive adhuc aliquid Nitri adjiciatur, ubi ſachari corpus calcareo alcalinum perinde ab acido Sulphuris aſſumitur, & in illam mediam conſiſtentiam convertitur, ut amaricans inde Sal abſtergens proveniat, quod ſimul Nitri corpus Terreum continet.

XVI. Si Vitriolum aut Alumen cum Tartaro calcinato in crucibulo vegete funditur & aliquandiu calcinatur, evenit etiam hoc proceſſu, ut acidum Vitrioli aut aluminis Terram alcalinam Tartari amplectatur, & cum hac in Sal illud medium via plane ſicca tranſeat.

XVII. Si antimonium crudum cum Nitro detonatur, ut antimonium diaphoreticum inde prodeat, sive cum dupla aut tripla Nitri parte operatio instituta fuerit, emergit inde præter diaphoreticum illum pulverem sive communem, sive ex lixivio præcipitatum & sub nomine Cerussæ Antimonii venientem, Nitrum Antimoniatum, quod est Sal mediæ indolis, ubi acidum Sulphuris Antimonii unionem subit cum Terra alcalina Nitri, atque Sal illud, non hexaedrum hastatum, sed conicum format, mediocriter amarulentum, sed sufficienter digestivum & cum acido Nitri tantisper imprægnatum, quod non penitus sub detonatione prægressa dispersum fuerat; huic inhæret alias tantillum regulinæ substantiæ tenerioris, quæ tamen reliquam miscelam acido-alcalinam nihil alterat (quoad essentialia nimirum requisita & ipsam subinde efficaciam) unde crystallis inde formatis subtilissimi sabuli aut pulvilli instar superficietenus adhæret: uti etiam ex lixivio hujus Salis sive Nitri antimoniati hic tenerrimus pulvis regulinus, mediante acido quodam præcipitari potest, ut cerussa illa instar pulvilli nebuloso-limosi ad fundum decidat.

XVIII. Si antimonium crudum cum cineribus clavellatis aut Sale Tartari funditur, producitur inde Hepar antimonii, massa obscure rutilans & in nigredinem vergens, cui jam hoc Sal medium inexistit, quod ex acido Sulphuris antimonii & terra alcalina adjecta generatum: hinc per elixationem ex hac massa educi & separari potest, modo eadem massa leviter calcinata fuerit, ut inflammabile sulphuris antimonii deflagraverit, ne sal hoc medium ex eodem alterationem aliquam subeat.

XIX. Idem contingit, quando Sulphur antimonii seorsim jam collectum cum Nitro remixtum in crucibulo detonatur, enascitur inde iterum hoc sal amarulentum Tartaro Vitriolato simile, quando uraque subjecta tam Sulphur illud, quam Nitrum sub hac miscela per deflagrationem quoad principia sua resolvuntur, ita mox discedit maxime volatilis illa tam Sulphuris quam Nitri inflammabilis substantia, neque parum etiam de acido utriusque subjecti principio transhalat, aliqua vero quantitas

acidi

acidi Sulphuris Antimonii residuam terram alcalinam Nitri comprehendit, & cum hac in novam mixtionem transit, constituitque illud sal amarulentum, neutrum, abstergens, incidens & digestivum.

XX. Ita etiam evenit, quando Sulphur Antimonii cum Sale communi crepato in crucibulo sub intensiori & diuturniori igne tractatur, emergit inde aliquid hujus salis, licet sub paulo difficiliori & tardiori genesi, quando inflammabile principium Sulphuris antimonii exuritur, & residuum acidum sulphuris Sali communi terram aut corpus alcalinum aufert, ita continuato Igne liberatum Salis communis acidum evaporat, & nidorosum fumum albicantem nebulosum format, remanente acido Sulphuris cum Terra Salis communis, sal hoc medium hac connexione præbente.

XXI. Si Terra Bolaris rubicunda cum Nitro mixta vegeto Igne destillatur, transcendit ad vulgarem methodum Spiritus Nitri, parum concentratus, sed dilutior, in capite mortuo vero remanet sal hoc amaricans pauca licet quantitate, tamen ex utroque subjecto genitum, dum nimirum ejusmodi terris ad *Becheri & Stahlii* observationem, aliquid acido Vitriolico apprime congenerum inest, quod cum terreo Nitri corpore jungitur, secedente acido Nitri. Quemadmodum itaque acidum Vitrioli facile cum Marte coalescit, & in sua crassa aggregata crystallina consistentia cum marte combinatum multa parte occurrit, ita Terræ rubicundæ de ferrifera prosapia esse judicantur. *conf. Mensis Septembr. Stahlii*: quo loco merito supersedeo demonstrationi, quod nimirum hæc Terra bolaris de acido Vitriolico participet, qui labor non præsentis scopi est.

XXII Similiter generatur hoc sal medium, quando minera martis Solaris Hassiaca cum Nitro aut Sale communi, cineribus clavellatis aut Sale Tartari miscetur. & in crucibulo vel retorta tractatur, ita minera illa (dum acidum vitriolicum non exigua quantitate possidet, præter ferri mineram & terreas macras interpositas substantias) per suum acidum vel Nitro aut Sali communi addito corpus alcalinum aufert, vel cum sale tartari aut cineribus

neribus clavellatis sese sociat atque saturat, & sal illud neutrum gignit.

XXIII. Quando Sulphur cum calce viva in crucibulo ustulatur per dimidiam ad minimum horam, ita evenit, ut conflagrato inflammabili sulphuris residuum acidum amplectatur Terram calcaream, quæ est indolis alcalinæ, cum qua sese quantisper saturat, ut in amaricans quoddam tertium salinum productum, via simpliciter sicca abeat, ut nulla ulteriori enchirisi opus sit, nisi modo e residuo pulverulento cramate sal illud genitum educatur.

XXIV. Unum adhuc placet verbum monere circa salium vegetabilium considerationem: occurrunt inter illa quædam, quæ mediæ hujus indolis sunt, quanquam minime hoc de omnibus indiscretim prædicari queat; ubi omnino discretione opus est, inter salia vegetabilia accessoria & essentialia sive intrinseca: unde multæ species de vegetabilibus gaudent Sale Nitroso adventitio, illæ præprimis, quæ in locis Nitrosis succulenter & luxuriose accrescunt, quale sal posthac tales herbæ etiam conspectui offerunt, si videlicet eædem exprimuntur, succus vero clarificatus & repurgatus in mellagineam aut oleosam consistentiam inspissatur, deinde in locum frigidum reponitur, communiter in eodem concrescunt crystalluli semihastatæ & sapore & figura sal Nitrosum prodentes; omissis variis aliis demonstrationibus, quæ non sunt hujus loci; id quod imprimis valet de herbis ex muris maxime vetustis, progerminantibus, uti Parietaria. Quemadmodum de Bardana refert *Hainius in Misc. N. C. Dec. I. An. 3. obs.* 222. ad cujus experimenti imitationem simili processu instituendam, inservit herba Nicotianæ: & tales quidem herbæ nihil hujus medii salis præbent: contra vero quando vegetabilia ex Terris lutosis, limosis rubicundis excrescunt, quod etiam valet de arbore Quercu, polypodio querno, Filice & diversis musci speciebus &c. tunc participant talia vegetabilia non de acido Nitroso, sed Vitriolico, & combustæ exhibent ejusmodi sal medium: quemadmodum hoc in transitu de helleboro nigro asseverat-

Tab. VIII. pag. 295.

Fig. 2.

Observ. XCIV. Cent. VI.
pag. 404.

Observ. CXVII.
Cent. VI.

Observ. 45. Cent. VI.

Observ. 44. Cent. VI.

Observ. 43. Cent. VI.

Fig. 1.

ſeverare poſſum, ſi hujus extractum per aliquod tempus, per dimidium nimirum aut integrum annum, ſteterit, ut ſucceſſive magis inſpiſſetur, generantur in eodem cryſtalluli amaricantes, & ſapore & figura Tartaro Vitriolato ſimiles. Plura hac vice adjungere non placet, ne terminum conſcribendarum obſervationum transgrediar: demonſtravi in compendio diverſos modos producendi ſal medium via ſicca: & quamquam adhuc varii alii ſimiles proceſſus conſtent, notandum tamen eſt, quod iidem, ad tales a me deſcriptos & indicatos commode referri queant: unde paucis hanc materiam commendaſſe & de eadem diſſeruiſſe ſuffecerit.

(*Noribergæ Auguſtam Vind. per Exc. D. D. God. Thomaſium d 22. Junii Anno 1716. miſſa.*)

OBSERVATIO XLIV.

Dn. D. Joh. Mauricii Hoffmanni.

De ovo ligneo torno elaborato vaginæ uterinæ a muliore intruſo, cruſta lapidea obducto.

MUlier quædam ruri vivens cum ex partu difficili uteri procidentiam perpeſſa eſſet, pro ejusdem & repoſitione & repoſiti firmatione ovum vaginæ immiſit ligneum torno affabre factum, & colore rubro tinctum, idque absque ullo incommodo ultra annum reconditum ibi geſtavit, nec unquam interea ejusdem extractionem tentavit; poſtea autem ſenſim & ponderis, & tenſionis ab iſto ovo moleſtiam ſenſit, hancque continuo involuntario urinæ ſtillicidio propter fibras ſphincteris veſicæ ſub eodem partu procul dubio ſimul violenter dilaceratas ſtipatam, per integrum biennium conſtanti animo ſuſtinuit, ſed demum, ſuperveniente inſigni dolore, & ſeſe prodentibus ſuppurationis indiciis, coacta primum obſtetricis, hinc meam imploravit opem, ego mox advertens ovi amplioris vaginæ uterinæ, a ſuppuratione ſuperficiali hinc inde notabili exquiſitiſſimi ſenſus ac contactum ægerrime ferentis, anguſtiis incar-

cerati

cerati emotionem fore difficillimam, præmisso fotu, dein insessu in balneum aqueolacteum cum herbis emollientibus, mundificantibus & abstergentibus concinnatum, extractionem ovi aliquoties ab obstetrice alias non imperita tentari feci, sed frustraneo semper conatu, ideoque forcipem primo oblongum rectum, postea alium in extremitate nonnihil incurvatum, ad exemplum utriusque a Sculteto Armamentar. Chirurgici Tab. XIII. Fig. I. & II. delineati, parari curavi, atque mulieri, ut post continuandum adhuc tantisper balnei usum, forcipe incurvato ipsa ovi lignei emotionis subinde faceret periculum, autor suasorque extiti. Quid factum? postquam afflicta mulier crustularum lapidearum fragmenta plurima avulserat, demum non sine magno molimine ovum ipsum tam diuturnum ingratum sibi hospitem extraxit, quod inter rariora mea adhuc asservo, atque figura ærea expressum hic sisto, Tab. VI. fig adhuc ex parte tegmine lapideo obductum, ejusdem enim reliquum, ceu innui, in fragmenta abruptum secessit, omne autem alluentis urinæ coagulo tartareo-fæculento salino ortum & incrementum suum debuit. Ceterum mulier nunc pancratice vivit decocto vulnerario ultimo epoto restituta in integrum.

OBSERVATIO XLV.

Dn. D. Joh. Mauricii Hoffmanni.

Trichaisis cum calculo vesicæ gemino sibi in medio incumbente & excavato.

Miserrimam Altdorffi in dulcissima mea patria vitam vixit puer sex annorum, stranguria perpetua, immani peritonæi dolore, ac tenesmo diu conflictatus, cum summa urinæ difficultate pilos subinde excernens, ut adeo parentes incantationem veluti genuinam causam accusarent, sagaciores autem naturæ consulti calculum vesicæ ex præsentibus certioribus calculi signis divinarent, cujus effati veritatem defuncti cadaveris dissectio etiam revelavit, nam in vesica urinaria repertus calculus ge-

lus geminus, ejus figuræ & magnitudinis, quam in figura... Tab. VI. appoſita ſiſtimus, cavo medio ſeſe invicem excipiens, propterea quod puer ad demulcendam doloris acerbitatem tibiam unam ſupra alteram ſartorum more ſuperimponendo, ſimulque in gyrum exiguum ducendo, calculum unum alteri ſuperimpoſitum in medio excavari fecerit. Sicuti autem calculus iſthic geminus tophaceæ ſubſtantiæ & inſtar gypſi candicans, atque ad contactum admotos digitos candore inficiens, conſpiciendus erat, ita alterius minoris ſitu ſuperioris ſuprema ſuperficies cruſta ſpadicei coloris ſilicea, prorſus polita ac reſplendeſcens, obtecta viſui apparebat, pili autem tenues vago ſitu hinc inde tum expanſi tum circumvoluti, interſperſis hinc inde miculis fibroſo-mucaginoſis duriuſculis deprehendebantur.

OBSERVATIO XLVI.

Dn. D. Joh. Mauricii Hoffmanni.

Hypercatharſis ex maſticatione & eſu quatuor baccarum mezerei.

LAureolam folio deciduo flore purpureo baccas primo ſubvireſcentes, poſtea rubentes, demumque per maturitatem nigricantes, piperi haud abſimiles, includentes ſub pellicula nucleum rotundum ſaporis fervidi & nauſeoſi, ſale cauſtico & tam potenter purgante conſtare, ut earum uſus nonniſi robuſtiſſimis concedendus ſit, ex fide omnium rerum magiſtræ experientiæ veriſſime aſſeruit Beatus Hermannus, in cynoſura materiæ medicæ a Cl. Henningero luci publicæ data, & ex Trago Theodorus Corbeius in pharmacia ſimplicium recte monuit, a fruticis etiam uſu vel ipſas nomenclaturas, quibus vulgo rapiens vitam, faciens viduas, hoc eſt, ſi interpreteris germanice, Mord und Menſchen-Dieb appellatur, nos deterrere debere, ſubſcribente etiam Clar. Zvvingero in Theatro Botanico p. 262. Aſſerti autem hujus confirmationem nobis dedit obſervatio anno ſuperiori hic habita. Nempe enim Eques quidam Francus E-

quiti Saxonico per jocum obtulit dictæ Laureolæ baccas quatuor probe prius masticandas, utpote sic ventriculum mire calefacturas & corroboraturas, sed infausto successu, passus siquidem exinde Illustris hic Eques Saxonicus lethalem ferme hypercatharsin ἄνω καὶ κάτω ventriculum & primas vias deturbantem, intolerabili oris fauciumque æstu & siti clamosa stipatam, succedente febre acuta, agrypnia summoque virium dispendio atque (quod omnino singulare erat phænomenon,) post aliquot dies eveniente cuticulæ extimæ ab universo corpore, imo vel illa etiam parte, qua viri vocamur, separatione. Auxilium Divina favente gratia præcipue suggesserunt Emulsiones ex amygdalis dulcibus, seminibus quatuor frigidis majoribus & papaveris albi cum aq. hordei cerasor. nigror. fl. tiliæ paratæ, decocta epicerastica, diascordium Fracastorii similiaque opiata, & absorbentia terreo-alcalina intermixta. Equidem parens meus p. m. in Floræ Altdorfinæ deliciis sylvestribus memoravit, baccas nominatas Mense Augusto matureſcentes & rubentes suavissimæ dulcedinis fuisse, neque fauces assumentium puerorum anno 1660. ussisse, nec alvum turbasse; at enim vero ego crediderim, benigniorem hujusmodi effectum aut sali acri caustico nondum satis explicito, sed particulis aqueo-mucaginosis post maturitatem sub resiccatione abscedentibus adhuc involuto, aut nucleo forte rejecto nec comesto imputandum esse, alias enim nec corticis, nisi vis cathartica aceto subjugata, aut sub mellis admixti dulcedine occultata, aut farinæ lentore inviscata fuerit, usum usque tutum esse constat, siquidem Illustris Wedelius in pharmac. acroamatica p. 243. ἀκριβῶς annotavit, empiricam quandam nobilem pro hydrope curando in substantia pulverem corticis laureolæ, cum melle & farina panes inde formando, idque aliquando cum felici successu exhibuisse, dum idem tamen Ephemerid. Germanic. Decur. II. Ann. 2. Observ. 145. prudentissime advertit, viro quadraginta annorum hydropico ascitico a vetula empirica purgante ex laureola inscio medico dato, hypercatharsi inde subsecuta, tono ventriculi prorsus dejecto, sedibus

dibus quidem adstrictis, vomitu contra ciborum & aquoso per sex continuas hebdomadas quotidie repetente, pedum abdominis & scroti tumore detumente, tandem omnium partium tabem & marasmum fatalem intulisse necem. Conf. Petrus Forestus Obs. lib. XXX. de venenis in Schol. ad Obs. IX. p. 30. quid quod ab eodem cortice A. 1623. a Simone Pauli præmanso inflammatio faucium sibi conscita fuerit, ipso proprio teste in Quadripartito botanico p. 406.

OBSERVATIO XLVII.

Dn. D. Joh. Mauricii Hoffmanni.

Pseudomolæ concreti sanguinis polyposæ sub hæmorrhagia uteri protrusæ.

MOlæ proprie appellantur massæ carneo- glandulosо-fibrosæ inanimatæ, plerumque sine ossibus ac membris distincte efformatis conspiciendæ, exterius pellicula obductæ, figura formaque varia præditæ, aut a staminibus primordialibus seminalibus cordis aliarumque partium ideam continentibus, ovulis muliebribus inclusis, propter Spiritus energetici spermatici masculini impotentiam debito modo haud actuatis, explicitis, aut efformatis, aut ab iisdem propter perpessam compressionem in expansione sua efformatrice cohibitis, aut propter conquassationem nimiam aliasve causas turbatis, aut ex imaginatione aliisque gravioribus animi passionibus maternis (de quibus consulatur Exc. Harderi Apiarii sui Obs. XCII.) inversis, aut aliunde pravam situationem nactis enatæ. Tales adeoque nec a virginibus, nec a viduis extra congressum virilem unquam gestatas vel exclusas fuisse, plures Autorum negant, citati a Joh. Bapt. Lamzweerde in Histor. naturali molarum cap. I. p. 9. alii contra ibidem quoque allegati affirmant, quorum quidem dissensum Clarissimus idem Vir conciliare allaboravit, distinguendo inter molas generationis & nutritionis, ita quidem ut illi Autores, qui in sacro generationis mysterio negant virginem sine ma-

ris auxilio posse concipere molam, accipiant molam in propria sua significatione, qui autem contrarium defendunt, tam late interpretentur notionem molæ, ut omnes uteri intumescentias præter ingravidationem comprehendat, hincque acerrima illa quæstio tot seculis a tot viris doctis agitata, sit mera quasi λογομαχία. Interea apprime mihi placuit observatio Celeberrimi Regiomontani Professoris D. D. Hartmanni in Miscellaneorum nostrorum Naturæ Curiosorum Decur. II. Ann. X. numero CLXXV. consignata, ubi refert, aliquoties sibi molas carneas fuisse exhibitas, quas imperitæ mulierculæ fœtibus deputarant, cultro autem anatomico subjectas, concretum polyposum in carneum aut gelatinosum vergentem sanguinem demonstrasse. Sane enim in ea omnino versor sententia, possibile esse, ut quemadmodum alias polypi sive molles tenaces viscosæ ac quasi carneæ excrescentiæ a chylo crasso glutinoso similique sero recrementitiis particulis diversis admixtis sanguini interfuso, ex fibrillis membranacco-glandulosis aut carnosis abruptis vel erosis vel quocunque modo adapertis ad diversas partes cavas exstillantibus & extravasatis in substantiam mollem carniformem coëuntibus vel compactis generari solent, ita eandem originem nanciscimolas hasce vel pseudomolas intra uteri cavum reperiundas, hinc dein excluſas, quam in rem sequens faciet observatio. Illustris quædam matrona quinquagenaria, copioso mensium fluxu a matura usque ad appropinquantem declivem ætatem afflicta, quinque liberorum mater, enormes subinde etiam perpessa est uteri hæmorrhagias, ut istis coërcendis magno labore & studio conquisita vix interna & externa auxilia paria fuerint. quibus fluor albus interpolatus, tantum non continuus, accessit, & postea sabulum in notabili quantitate cum urina excretum, utque in matricis fundo medio in cumulum collectum sese conspiciendum præbuit, dehinc post nephriticos dolores molestiam morbosam adaugentes demum urina lacti non absimilis turbida, post aliquam moram pus distincte conspiciendum, deposuit, atque capropter concurrentibus simul aliis signis evi-

dentibus

tentibus exulcerationis renalis indicium dedit; comites individui quotidie fuerunt dolores abdominis atroces per paroxysmos repetentes circa regionem lumborum, os sacrum, inguina, & pubem per aliquot horas durantes, hi ipsi autem cum aliquando ultra modum sæviissent, propter sanguinis partim fluidi & rutilantis, partim in thrombos condensati nigricantis notabilem profusionem supervenientem, repentina quidem illustris matronæ a dolorum acerbitate relevatio successit, ipsa autem absque ullo conatu aut stimulo molas duas utero ejecit, ex altera superficie membrana cinctas, ex altera cruore obsessas, de reliquo fibroso-carniformes, hujusmodi autem molas, quantum probabili mentis conjectura assequi licuit, suspicatus sum ex erosis a fluore albo diuturno uteri vasis & fibrillis extillante chylo sero & sanguine natales suos accepisse, eorundemque lentore viscoso communi quasi glutine combinatas fuisse, aut ad mentem τοῦ πάνυ Pechlini in Observat. physico medicar. lib. 2. Obser. 2. ipsum sanguinem polypi instar coagulatum, exuta cum tempore rubedine, viscosas membranaceasve aut reticulatas lamellas interstitiis vasorum & parietibus internis circumcirca applicuisse; idem quippe sagacissimus naturæ mysta nullus dubitavit, quin plurimis in partibus coagulum sanguinis contingeret sine ulla puris aut putredinis necessitate, & esse hoc fatum sinuum ac vasculorum tubulatorum, qui inter arterias venasque veluti medii intercipiuntur utriusque naturæ participes, uti sunt cerebri uterique sinus tubulati, hincque ipse credidit, in mensium obstructione quotidianum esse illud symptoma. Et quis quæso impossibilem enunciet talium pseudomolarum polyposarum genesin, cum Theod. Kerckringius in spicileg. anatomic. Obs. LIII. post mensium obstructionem sarcoma totam uteri vaginam occupans forasque dependens, & in puella similis sarcomatis rudimentum instar dactyli orificio uteri interno adhærescens viderit. Conferatur si lubet M. N. C. Decur. II. Ann. I Obs. XXXIX. Cl. Anhornii, qui in virgine episcopicellicensi matrici inclusas septem diversæ magnitudinis molas invenit, curatius descriptas &

delineatas a Celeberrimo J. C. Peyero in parergo anatomico VI.

OBSERVATIO XLVIII.

Dn. D. Johannis Mauricii Hoffmanni.

Lapis ex tonsilla dextra excisus.

LApidis tantum non in omnibus corporis partibus generari, observationes Autorum & plures in Ephemeridibus nostris consignatæ loquuntur, addo illis singularem lapidis ejus figuræ & magnitudinis, quam apposita fig... Tab. VI. exhibet, in tonsilla dextra fœminæ concretum, & a balneatori Crailsheimensi Scheurmanno Anno superiori 1715. die 12. Martii exinde excisum, cujus equidem combinationem lymphæ intra eandem effusæ tartarcosalinæ viscositas glutinosa effecit, dum sinus communis amplus ovulis commodam sedem, ubi commoraretur, præbuit: Hic ὡς ἐν καιρῷ mihi in memoriam venit lapillus exiguus circa osculum ductus sublingualis dextri hærens, in viro honesto a me visus, cujus incrementum idem hucusque frequentiori linguæ appressæ linctu cohibere studuit.

(*Onolda Augustam Vind d. 8. Junii. Anno 1716. missa.*)

OBSERVATIO XLIX.

Dn. D. Johannis Christophori Gerlachii.

Vitriolum, Euporiston contra cancrum.

FOemina vicini pagi paupercula laborat ulcere oris atque narium depascente, omnium Chirurgorum judicio, cancroso: sed post varia incassum adhibita suo relinquitur fato, incurabilis habita; crescente indies malo: adhibitæ etiam frustra plane imo cum detrimento intus & in cute Aquæ per aliquot annos celebres in Ducatus nostri versus Palatinatum finibus, Zaisenhusanæ. Desperanti tandem curationem omnem Mendica, eleemosynam forte petens, suasit vitriolum cœruleum contusum & vel solitarie, sed majorem dolorem excitaturum, vel, minori cum molestia, cum

oleo olivarum, applicandum. Paruit ægra, applicuit aliquoties modo cum oleo olivarum, modo solitarium Vitriolum, stititque non modo ulteriorem depascentis interim dimidiam ferme faciem ulceris rabiem, sed & illud plane consolidavit, ita ut sana nunc sit per biennium & quod excurrit; relicta non nisi miseranda & horribili faciei forma.

OBSERVATIO L.

Dn. D. Johannis Christophori Gerlachii.

Veneris Virtus antivenerea.

ANnus circiter est, ex quo probatæ fidei Chirurgus castrensis primarius mihi retulit historiam militis gregarii, Venerea lue adeo infecti, ut, consuetis per Ligna quin & Mercurium curationibus solicite licet adhibitis nil proficientibus, relinquere volentem ita ægrum empiricæ alterius gregarii militis curationi coactus fuerit, qui brevi etiam integræ illum restituerit sanitati solo *viridis æris usu interno* cum vino rubro &c. Hac occasione comperisse se, retulit porro vir solertissimus, *euporiston* hoc *antivenereum* apud gregarios milites ab aliquo tempore familiare plane esse, pluresque id in pera, tanquam supellectilem maxime necessariam, secum circumgestare. Quæ ipsa relatio refricuit mihi memoriam *ejusdem arcani*, quod dudum antea mecum communicaverat Amicus quidam Chirurgus Ducalis, strenuus affectuum venereorum debellator, quo ipse quidem nunquam, alius vero quispiam Chirurgus vel balneator potius, cetera parum sapiens, edoctus id a rustico Herciniæ, sæpissime cum successu usus est: Methodum in schedis meis reperio talem: ℞. Virid. ær. vitriol. virid. & cœrul. ana quant. trium cultri cuspid. coq. in vin. rub. ℥xiiij. vel xv. ad consumptionem duorum digit. decantet. sensim liquor. dot Mane & Vesperi cohlear. 1. inungantur simul articuli brachii, manus &c. unguento ex 3. superioribus ingredientibus cum axungia porcina facto: bibendo simul Decoct. ex cort. quern. radice rubi sive communis, Brombeer/ sive idæi, Himbeer / & herb. agrimon. Exulceratæ forte exinde

fauces

fauces inungantur Linimento ex tribus superioribus cum melle. Operatur rustica hæc panacea modo per aliqualem salivationem, modo per secessum. Hæc dum scribo, refert fœmina nostras maritum suum laborare adhuc ex ophthalmia, *ulcera* vero *oris*, quorum venerea indoles erat indubia, omnem hactenus aliorum medicaminum vim eludentia, curata jam esse medicamento euporisto, a milite monstrato: scilicet vitriolo cœruleo contuso & cum spiritu vini ulceribus aliquoties affricto.

SCHOLIUM.

Sistit utraque hæc Observatio Medicamenta ex Venere sive cupro, satis licet rudia, in usum tamen Medicum *externum*, tot ex ærugine, flor. æris, vitriolo, ære usto, pluribusque hujus familiæ, unguentorum, emplastrorum &c. testimonio, a Recentioribus æque ac Veteribus duci frequenter solita; Rudi tamen ejusmodi atque simplici rudium & simplicium vitriolorum &c. affrictione curare ulcera cancrosa & venerea haud facile doctissimorum Chirurgorum quispiam præsumpserit: quid? quod eo plerumque fidere ejusmodi simplicibus soleat minus, quo doctior quis vel est vel esse creditur, Prudentia vel affectata vel certe nimia: miscelis enim nostris simplicium virtutes quin sæpissime vel infringamus vel impediamus, nullus dubito. Cæterum *Usus* rudium horum *Internus* rudis nimium plurimis forte non sine ratione videbitur: Quoniam autem lues ista frequentior quotidie fit, nec Nobilium saltem plerique pudori sibi ducunt, Lue venerea non laborasse, vel saltem non melius multi nosse quid sit chaudepisse, quid corde, quid poulain, quid chancre &c. &c. quam quid sit *Regeneratio*, quid *Abnegatio sui*, quippe quæ abjectæ nimis res non nisi ignobile vulgus, la canaille (stylo istorum hominum) decent, sed elegantiæ illæ ex aulis & palatiis in gregariorum quoque militum casulas pauperumque & rusticorum tuguria atque gurgustia migrarunt, quærenda certe erunt medicamenta euporista, viliora, decentesque labra talia lactucæ: Traumatica certe postulat ulcerosa venerei laticis indoles, qualia mineralibus

neralibus ſuperaddit e vegetabilium familia ſuperior ſive ruſticus ſive tonſor: ut mirer quare contempta tam diu jaceant Carrichteri non niſi domeſtica traumatica, pauco vel nullo habito ad *ſpecifica* Indica reſpectu, e. g. fraxinum (quam quadruplo fortiorem in curanda lue credit Guajaco) chelidon. filic. ſcrophular. ſcabioſ. pyrol. ſanicul. &c. commendantis conſilia; ſint licet nonnulli, qui forte vel bardanam vel ſaponariam, ſed non niſi Indicis junctam, præſcribant: & quotusquisque eſt, qui totum curationis negotium ſimplici *gentianæ cruciatæ*, Zapatæ exemplo, committere auſit? Sed & *animatæ pathologiæ* amaſii in venereis noſtris antivenereis ſuis forte *vermibus* anthelminticũ invenient. Modus operandi variare pro varia ægrotantium diſpoſitione dicitur, moverique alvus modo, modo ſaliva: blandam certe a vitriolo ſalivationem in lue ſpondet juxta cum aliis Dn. Prof. Vicarius. Sed nec opus neceſſario eſt ſenſibili evacuatione, *extingui* enim ſenſim virus venereum poſſe, teſtatur hodie non infrequens experientia, ſecurior licet & certior videatur, quæ vel ad ſenſum virus expellit, curatio. Superſedere fortean poterimus inſanis *Quintarum vitrioli, arſenici &c. Eſſentiarum* laboribus, ſi rudia iſthæc præſtare talia frequentior porro experientia teſtatum dederit, cujus autem evictionem præſtare nec volo nec teneor; experiantur quibus volupe eſt, aut occaſio & dicta modo, & illud *Ruſtici Tirolenſis euporiſton* antivenereum oleum ſcil. deſtill. ex *Calce viva* & *reſina piceæ*, τῆς πεύκης, cujus doſ. gutt. 30. *in decoct. caulium* κράμβης κεφαλώδους, quo multum ſæpe præſtitiſſe ruſticum dicunt autoptæ ſolatio non exiguo illis, quorum crumena vel Heinſiana, vel Munkiana, vel *præcipitatum Solis* ex amalgamate Sol. & Mercur. cum Spirit. Sulphuris &c. magnarum, quod experti teſtantur, virium, etiam ubi ſalivatio vel fruſtranea fuit vel etiam noxia, vel alia ejusmodi pretioſa arcana, ferre recuſat.

(*Noribergæ Auguſtam Vind. per Exc. D. D. Goth. Thomaſium d. 22. Junii Anno 1716. miſſa.*)

OBSERVATIO LI.

Dn. D. Johannis Melchioris Verdries.

Arteria Magna e corde exsurgens ossea.

ARteriam magnam circa egressum e sinistro cordis ventriculo, in animalibus majoribus & annosioribus cartilagineam, imo osseam sæpe substantiam induere, observationibus satis frequentibus edocemur. In hominibus idem, sed rarius contingit. Celeberr. *Guilielm. Harveus* e nobilissimi viri cadavere arteriæ descendentis portionem, cum duobus cruralibus ramis, spithamæ longitudine exemtam, in os fistulosum conversam; itemque in alio viro nobilissimo & fortissimo aortam partemque magnæ arteriæ juxta cor in os rotundum commutatam se novisse & conspexisse testatur. *Epistol alter. ad Riolan. Fil* Similes observationes legimus apud *Riolanum, Bartholinum, Horstium, Willisium Pharm. Rat. P. I. S. VI. c. 3. Ephemerid. Acad. N. C. D II. A I Observ. 90.* Ipse nuper curiosum hujus rei exemplum vidi atque arteriam aortam non quidem penitus osseam factam, interius tamen osseo omnino canali obductam manibus tractavi. Vir erat pariter nobilissimus 49. annorum, habitus corporis, cum firma adhuc sanitate frueretur, florentis, robusti, proceri, qui, quum ex aliquo tempore cachecticus factus, debilitatus ac consumtus fuisset, tandem palpitatione cordis immani, cum Asthmate violento fato suo fungebatur. In hujus exenteratione præter communia illa phænomena, in ejusmodi cachecticis observari solita, maciem scil. totius corporis singularem, infarctum viscerum, (unde hepatis atque lienis ingens plerumque moles, quæ hic quoque erat maxima) extravasationem seri p. n. in pericardio, pectore & abdomine, tria cumprimis notabilia conspiciebantur. 1. Cor stupendæ magnitudinis, durum, tumens, multaque pinguedine, quæ tamen in reliquo corpore deficiebat, obductum, totam pectoris cavitatem ita adimplens, ut pulmones in angustissimum spatium comprimeret, situ plane horizontali positum, pondere libras

duas

duas cum dimidia exæquans. 2. Polypus in dextro cordis ventriculo & auricula satis insignis bipartitus, albidus, durus, compactus, plurimas fibrillas undiquaque emittens. 3. Lamina ossea, dura ac rigida, ita ut manibus diffringi potuerit, interiorem arteriæ magnæ, ubi e corde exoriebatur, superficiem, ad 4. digitorum distantiam, investiens. Ex quibus & rationem morbi, & palpitationis cordis speciatim, æque ac Asthmatis violenti causam, quivis rerum medicarum peritus colligere haut difficulter poterit.

Gissa Angustam Vind. d. 18. Sept. Anno 1716. missa.

OBSERVATIO LII.
Dn. D. Danielis Nebelii.
Sceleton fœtus humani a matre jam per tres annos in utero, citra sanitatis dispendium, gestatum.

VIri literati uxor triginta & aliquot annorum, temperamenti cholerici, & plurium liberorum fœcunda mater, quæ ante triennium & quod excurrit, ultimis graviditatis suæ mensibus crebris doloribus colicis ex pertinaci alvi obstructione vexata fuit, instante partus legitimo tempore, vividum & moventem sese in utero fœtum excludendi nisus sensit, paulatim ob tardius accedentis & minus exercitatæ obstetricis negligentiam matrisque languorem diminutos, ac tandem post aquarum ex utero profluxum cum fœtus motibus prorsus cessantes, succedente totius corporis horrore atque frigore cum sensu ponderis in infimo ventre, quando se in dextrum vel sinistrum latus inclinabat. Sequentibus septimanis fœtidus & sanguinolentus ichor cum membranarum fibrarumque carnosarum frustulis per muliebria effluxit & abdomen cum mammis sensim detumuit, remanente in infimo ventre quadam inæquali duritie cum sensu doloris pungentis & crepitu ossium, quoties corpus antrorsum vel retrorsum flectitur. Interdum post vehementiorem corporis motum redeunt abdominis dolores vagi, præsertim instante & præsente mensium

fluxu, quem jam per tres fere annos periodicum habuit, sanitate alias integra gaudens.

OBSERVATIO LIII.

Dn. D. Danielis Nebelii.

Repentina suffocatio rustici undecim ovorum, ad duritiem coctorum, vitellos sine potu devorantis.

QUadriennium jam effluxit, a quo Nobilissimus & Experientissimus Reip. Genevensis Medicus, D. Joh. Amadeus de Fort, Fautor & Amicus meus honoratissimus, in suis ad me datis literis sequentem casum descripsit notatu dignissimum. Nuper quidam, scribit, rusticus coram multis aliis promisit, se octodecim vitellos ovorum, ad duritiem coctorum intra dimidiæ horæ spatium sine ullo potu innoxie devoraturum, cui unus ex adstantibus contradixit, & guloni præmium pollicitus est, si id præstiterit. Ille mox hujus rei experimentum facturus, coctorum ovorum vitellos tres, quatuor, quinque, sex septem seorsim & brevi temporis intervallo fere integros non sine labore assumsit, octavum autem, nonum atque decimum ægerrime deglutiit, & cum undecimum devorare vellet, subito deficiente spiritu, strangulatus & exanimis in terram concidit, corpore a spectatoribus frustra concusso, potuque sine levamine infuso. Inciso defuncti cadavere, totus œsophagi tractus decem ovorum vitellis, dentibus parum contritis & sibi eo, quo assumti fuerant, ordine incumbentibus valde distentus apparuit, uno saltem eorum in ventriculo reperto. Asperam arteriam ea in parte, qua membranacea saltem est & œsophago firmiter adhæret, ab hoc vitellis infarcto valde compressam in hoc rustico fuisse & aëris transitum hinc impeditum, sicque repentinam suffocationem inductam arbitror.

OBSER-

OBSERVATIO LIV.

Dn. D. Danielis Nebelii.

Exiguum oculi vulnus gravia symptomata producens.

QUemadmodum notatu dignum est exile illud oculi vulnus, quod Excell. Elias Camerarius, Med. Prof in Acad. Tubingensi Celeberrimus, in Ephem. Nat. Cur. Cent. 3. & 4. Obs. 55. descripsit, & varia graviaque symptomata induxisse retulit, ita non minus commemorari meretur aliud fere consimile vulnusculum, quod Antonio Scheffero, juveni robusto & ebrio, die 13. Maji Anno MDCCXV. heic Heidelbergæ ab alio, acuto gladio, sub externo oculi sinistri cantho per palpebram inferiorem supra osseam oculi orbitam punctim & sursum versus ita inflictum fuit, ut gladii cuspis oblique sub bulbo illius oculi per ejus orbitam ossea m versus anteriorem cerebri basin penetrarit, secuta statim paralysi lateris sinistri & convulsivo dextri brachii atque pedis motu cum oculorum distorsione. Deligatum mox fuit a Chirurgo Castrensi hoc vulnus, quod ob gravia symptomata lethale judicavit, & propterea juvenem in pavimento prostratum ea nocte reliquit, vino somnoque sopitum; postquam autem ille sequenti die domum translatus fuit, obmutuit & inter spasticas faciei distorsiones dentibus stridere cœpit, artusque dextri lateris varie movere. Oculus sinister sanguine suffusus & livescens valde intumuit, vulnus autem siccum semper fuit. Post aliquot dies cessante aphonia æger deliravit, & quæ secum acta sunt nescivit, imo omnium eorum, quæ ipse modo fecit vel audivit, ignarus plane fuit, alvum vesicamque citra voluntatem exonerans. Datis a me, tertio demum die post inflictum vulnus advocato, medicamentis cephalicis & antispasmodicis cinnabari atque nitro mixtis, adhibitisque externis resolventibus atque nervinis, paulatim hemiplexia diminuta & memoria restituta fuit, adeo ut post sex circiter hebdomadas integram sanitatem recuperaverit æger, licet ne guttula quidem puris ex vulnusculo, quod sua sponte

coaluit, prodierit & pauca saltem sanies ex aure dextra, in quam plerumque decubuit, præcedente magno illius dolore post tertiam ab excepto vulnere septimanam per aliquot dies effluxerit.

OBSERVATIO LV.

Dn. D. Danielis Nebelii.

Ingens calculus utriusque renis pelvi tenaciter adhærens & lethum inferens.

VIr 58. annorum robustus & sanguineus, qui ante aliquot menses subinde colicos dolores cum vomendi conatu & nausea passus est, assumto oleo amygdalarum dulcium cum jusculo plerumque cessantes, ineunte Anno MDCCXIV. urinam excrevit aquosam, muco tenui & albo pauco, sensim ad fundum vasis descendente, nec non quandoque arenulis albicantibus permixtam, simulque conquestus est de debilitate corporis, appetitu prostrato, æstu & sudore nocturno, quibus incommodis accessit copiosa urinæ limpidæ emissio, quæ tandem mense Julio subito cessavit, & succesit ischuria cum nausea ad diem usque undecimum, quo urina cum sabulo & arenulis satis large profluxit, sed post aliquot dies rursus suppressa fuit, sequente calore febrili, delirio, dentium stridore, alvi fluxu bilioso seroso & magna virium debilitate extremorumque frigore. Elapsis quatuor diebus, post exhibita remedia idonea prodiit denuo lotium aquosum, albidum mucum deponens & die 28. Julii sanguine tinctum, succedente parotide pone dextram aurem, tussi cum sputo pauco, albo & viscidissimo respirandique difficultate. Tandem dies 29. Julii vitæ finem imposuit. Abdomine sequenti die aperto, viscera illius satis integra reperta fuerunt, exceptis renibus, e quorum dextro calculus ingens albidus & totam pelvis, cui tenaciter adhæserat, cavitatem replens, ejusque sinus laterales plerosque suis prominentiis occupans, unciam unam & decem grana pendens, una cum quatuor minoribus & subrotundis ejusdem coloris a me pertractus fuit, uti ex sinistro rene consimi-

A



C



E

B



D



F



consimilis itidem pelvi adhærens, qui unius ferme unciæ pondus habebat. Vesica urinaria erat contracta, in qua parum lotii sanguinolenti repertum. Pectoris cavitas sero cruento ex parte referta fuit : pulmones integri. Mirum, quod hic æger nunquam de dolore lumborum toties a me interrogatus, conquestus fuerit, & urinam primum copiose excreverit, pelvi tamen utriusque renis a prægrandi calculo obstructa.

(*Heidelberga Augustam Vind. d. 24. Sept. Anno 1716 missa.*)

OBSERVATIO LVI.

Dn. D. Johannis Georgii Kisneri.

De Ischuria renali per 30. dies durante.

Foemina 50. circiter annorum, temperamenti & texturæ tenerioris, jam a pluribus annis calculo laboravit, ut etiam aliquando urinam excerneret cruentam, durantibus quoque doloribus, (tam in quam extra paroxysmum tolerabilibus) quos ultimo tempore in sinistro magis quam dextro latere percipiebat, semper nauseam, vomitus, gravitatem pedum observavit, donec Anno 1708. d. Martis 13. Nov. primo mane in Ischuriam incideret totalem: credebat quidem, urinam pauco tempore post redituram, sed spes illudebat, quare Medicum accersivit, qui frustraneo effectu omnia medicamenta, quæ vomitu ejiciebat continuo, præscripsit: ex ea in præsentia quarundam mulierc ularum quæsivit, an in regione pubis tumorem vel elevationem quandam perciperet, quod negabat: ast prædictæ mulierculæ inscio Medico tam audaces & petulantes fuere, ut ægrotam non sine maximis cruciatibus bis instrumento forsan non idoneo & adaptato explorarent, verum frustraneo successu, ut itaque judicare necessum fuerit, Ischuriam esse renalem: die Solis 25. hujus mensis in ore odorem & saporem percipiebat urinosum: 27. d. Martis guttulas urinæ perpaucas, (forsan ex glandulis vesicæ delabentes) emisit: postea autem & imprimis 3. Decembr. semper sanguinem evomuit grumosum: d. Sol. 9. Decembr. magnam præcordiorum anxietatem

perce-

percepit, quam preſſo pede vomitus ſanguinis floridi enormis inſequebatur, quem ſputatione quovis tuſſis motu copioſe ejecit: d. 11. Decembr. quolibet vomitu etiam per nares ſanguinem excrevit, quo ſuppreſſo 12. Decembr. tanta premebatur anxietate, ut Venæſectionem, Medico abſente, inſtitui juſſerit: & quanquam excretio ſanguinis per nares ceſſaret, attamen ejusdem copiam ſatis largam vomitu ejecit, eodemque & poſtero die ſtricturam quandam maxillæ inferioris ſpasmodicam obſervavit; inſequente autem veſperi placide expiravit: eadem nocte cadaver aperuit Medicus, qui in rene ſiniſtro calculum ſubflaveſcentem ſub Lit. C. & D. extantem Tab. VII. cum magna quantitate lapillorum, ſeminis papaveris, milii & piſi magnitudinem adæquantium invenit, verſus ureteres magis exeſum: in dextro rene, diſciſſis carnis renalis productionibus, inter calculi eminentias ſitis & punctulis quibusdam notatis, primo lapidem E. & F. obſervavit ſubalbidum & durioris priore ſubſtantiæ, qui latiori & inferiori proceſſui calculi A. & B. inciſura ſua verſus Lit. F. inſignita appoſitus erat, poſtea majorem ſub Lit. A. & B. conſpicuum, ſubalbidum quoque, qui latiore ſuo proceſſu verſus inferiorem renis partem inclinabat, annexis quatuor aliis, ſeminis malvæ & coriandri magnitudine.

Ut eo melius inſpici queant, ab omnibus partibus æri incidi curavi: calculus ex rene dextro primus pendet drachmas tres minus grana ſex: ſecundus ſub Lit. E. & F. ſcrupulos duos: ex rene ſiniſtro autem ſcrupulos quatuor min. grana quatuor.

(*Francofurto Noribergam d. 26. Septembr. A. 1716. miſſa.*)

OBSERVATIO LVII.

Dn. D. Gothofredi Davidis Mayeri.

Hæmoptyſeos periculum fortuita Emeſi declinatum.

VIr Juvenis triginta circiter annorum, ſpongioſi & mollioris habitus, a vigeſimo primo ætatis ſuæ anno in frequentiores, easque uberes narium hæmorrhagias valde pronus non ſolum, ſed omnino totus præceps obſervabatur, quas leviſſimæ cujuscunque

juscunque corporis & animi commotionis, aut coorientis interdum derepente ſternutandi ſtimuli indivulſas pediſequas, indubitato quaſi augurio, prædicebat, evitando gnaviter omnem ex naribus emungendi aliquid aut excutiendi conatum. In defectu largioris ſanguinis e naribus progreſſus, pectus exquiſitiore doloris ſenſu pertentari affirmabat, quem in ſiniſtro cumprimis hypochondrio circa coſtas ſpurias profundius ſedem ſibi elegiſſe, cum notabili plus minus diuturna tuſſi, ſæpius narrabat. Aliquando academicis ſtudiis invigilanti Commilito contubernalis in vehemente narium hæmorrhagia, e nucha per tergora frigidiſſimam immodice profundebat, unde hæmorrhagiæ ſolitæ ſuppreſſæ; poſt decurſum autem unius circiter anni, ex ſcreandi peculiari niſu & tuſſiendi neceſſitate ſinceri ſanguinis per os rejectio & frequentior & copioſior ſubſecuta, ut plurimi ex crebriori recurſu periculoſas conſecutiones phthiſicæ ulcerationis imminere Hæmoptyico judicarent. Utplurimum Lunæ, ad plenitudinem ſe vertentis, mutationibus obnoxius erat, adeo quidem, ut ea ipſa ſanguinis effuſionis neceſſitas ab initio, ob metum imminentis periculi, patienti gravis, ut re vera eſt, & intolerabilis viſa, tandem ex conſuetudine fortiter & tranquille ab eodem perpeſſa fuerit. Appetitus non ſemper ſalvus ſtabat & integer, ſed motus interdum ventriculi excuſſorius, imminente cruentationis tempore, & ſingultus pertinacior orthoſtadium divexabat. Tandem ante digreſſum ex Academia, prandio a conterraneo excipiebatur, ſub quo & eſculentorum & potulentorum parum conſumſerat, tacita tamen iracundia, quam ex ingenii modeſtia reticebat, diſcruciatus, ſublata hac menſa, alteri ad fumigandam nicotianam adaptatæ accumbit, in qua vitrum cereviſiæ ad exhauriendum inſcius arripit, cui per capnopoterium alicui hoſpitum fumum inſufflare volupe fuerat, ope cujus liquor quaſi de novo excoctus petum redolere, imo oleo, fiſtulæ meatui communiter adhærente ſimul inſpirato, partim commiſceri ſolet: de cereviſiæ bonitate tamen ſecurior, eandem ſitiens & rei antea factæ parum gnarus exhauriebat, inſequentibus per

breve intervallum contentionibus ſpaſtico-ſuffocativis, adeo pertinaciter ſe diffundentibus, ut inopinato vomendi conatu, cujus antea nec ſignum, nec indicium præſenſerat, purpurei laticis ingens copia, ut antea ſæpius factum, fuerit profuſa. Subſequebantur nihilominus graviſſima anguſtia & præcordiorum anxietas, quæ momentanee graviori ſcena præludentes, Lipothymiam, verius Cardialgiam Syncopticam, producebant, donec cooriente brevi poſt enormiori vomitu, primo quidem aſſumpta rejicerentur, mox tamen inſolentius inſiſtentes conatus, incredibili bilis & pituitæ viſcidæ quantitate impetuoſe ventriculum liberarent, qua profuſione largiter atque facile ſuccedente patiens levabatur & euphoria augebatur. Nihil antea intentatum novimus relictum ex remediorum farragine, qua penes alios tam in ipſo paroxysmo, quam extra eundem ſanguinis orgasmum contemperatum & æqualem ejusdem diſtributionem legitime obtentam fuiſſe, bene recordamur: quin imo præter interna remedia, revulſionis gratia, venæ ſectiones in pedibus, frictiones illorum, Ligaturas extremorum, ventoſarum applicationes cum multa flamma ad pedum ſuras, ſuctiones hirudinum &c. non intermiſſas fuiſſe certo ſcimus. Iis omnibus autem incaſſum adhibitis, tandem hic ex accidenti exortus enormior vitioſarum heterogeneitatum vomitus non ſolum patientem euphoriæ priſtinæ reſtituebat, verum etiam ad hanc usque diem familiarium harum excretionum & ſtatarum earundem reverſionum in totum liberum efficiebant, quem jam per aliquot annos graviori & penetrabili voce populum ex ſuggeſtu cum laude & incolumitate docere, Patria novit Sileſia. Jure merito ex hujus Hiſtoriæ circumſtantiis colligendum, inter cauſas varias, remotiores, occaſionales, easque quæ de occaſionibus Hæmoptyſeos in ipſo forte ſtomacho latitantibus, anſam ſpeculandi ſuppeditant, non frivole negligendas eſſe,

OBSER-

OBSERVATIO LVIII.

Dn. D. Gothofredi Davidis Mayeri

Epilepsia contumax usu Radicis Ipecoanhæ vindicata.

IPecoanhæ Virtutes & specificam in curanda Dysenteria efficaciam singularibus in cœlum extollunt laudibus tot præclarorum Medicorum Observationes & Tractatus, quorum laudabilibus conaminibus unum de illa addidisse in præsenti sufficiat, Turnefortio in Actis Lipsi. ann. 95. p. 13. & simul Excellentissimo Dn. D. Behrens, qui eundem Ephemeridum Centur. 1. Observ. 38. doctissime citat, malum omen esse visum. Scilicet noxiam ventriculi constitutionem esse existimant, si post specifici hujus assumptionem, vomitus nullus insequatur, vel quoque nulla copiosioris alvi excretio: sic enim medicamentum amplius in actum deduci non posse, & naturam ipsam quasi succumbere, haud secus ac post applicata vesicatoria, si malis ægri rebus, aut nulla vesica excitetur, aut vesica tantum instar ovi subventanei inanis, nulloque humore stillans observetur, citato loco non abs re autumant. Mihi autem in Infante masculo, paucarum septimanarum id hoc anno evenit, cui Epilepsia idiopathica per integras quinque hebdomadas pertentato, præmissa primarum viarum evacuatione, quibuscunque remediorum generibus ad indicationum circumstantias & optimorum Parentum vota & preces, non minus ac ipsi Nutrici, ad averruncandum detestabile malum, adstiti, cum alio in Consilium advocato Medico, ut, irritis omnibus, quæ communicatis consiliis adhibebamus, remediis, tandem ad Radicem Ipecoanhæ, eamque genuinam & recentem, meo suasu animos applicaremus, post cujus usum, duarum dierum intervallo, adhibitis quaque die mane & vesperi quinque granis, paroxysmus in totum remisit, citra ullum per superius & inferius guttur observatum motum auctiorem præter naturalem, quem quotidiana alvi apertione experiebatur solennem, adhuc dum Infante sano vivente ac con-

vulsionibus immuni. Effectum hunc Ipecoanhæ, tanquam Medicamento adstringenti tonico in præsenti casu nuncupo, non aliter ac per Viscum quernum Comitialem percuratum novimus, cui præter vim exsiccandi, adstrictio quædam tonica tribuenda & singularis potestas malignitatem dispellendi, transpirationem maxime juvando, qua caduco morbo non minus ac aliis feliciter mederi solet: quale Exemplum a Jeremia Martio Epilepsiæ diuturnæ per pulverem seminis Gallitrichi, visci querni & tormentillæ fugatæ, cum per consensum ventriculi exorta fuerit, Georgius Hieronymus Velschius Sylloge Curationum & Observationum Medicinalium pag. m. 38. fusius meminit.

OBSERVATIO LIX.

Dn. D. Gothofredi Davidis Mayeri.

Ex subitaneo terrore in Virgine perpetua Sincipitis Madarosis.

QUintus & quod excurrit agitur annus, ex quo inopinato quidem, acerbo tamen & luctuoso incendio Domus quædam Plateæ sic dictæ Fabrorum Vratislaviensis corripiebatur. Huic proxime adhabitantem Puellam laboribus quibusdam domesticis defatigatam, inter operas manuales somnus circumvenerat arctior, quo gravem in modum irretita, nec gravissimos propterea concitatos tumultus, nec suam rem agi, paries cum proximus ardet, dijudicare potuit. Ob præcipites itaque in propria tecta scintillarum copias ab adhabitante muliere ad restinguendum & comprimendum, tandem somno facessere impetuose jubebatur: unde sic perturbata, attonita & ob animi mollitiem exanimata fere concidit, ut sibi plane non constiterit, neque ad tempus sciverit, quid agendum, quidve dicendum: donec circumstrepente undique planctu & gemitu excitata, adstantium complorationes ac lamentationes ipsa geminaret, quæ tamen brevi post & se & domicilium suum a flammarum violentia vindicatam læta denuo observabat. Illi subitaneo terrore irrepa-

irreparabile importatum fuit damnum hoc, quod ſinciput a ſpontaneo pilorum defluvio fuerit deformatum, & ob glabritiem, non ſine immenſa animi perturbatione, ejusdem partis calvities ſeu Madaroſis, ut vocatur, ſubſecuta. Nihil æque optaverit ſibi innocens illa, atque capillos, quorum defectum, non minus ac Julius Cæſar calvitium ſuum, iniquo animo hactenus ſuſtinuit: felicior nihilominus Imperatore, qui poſt plurima fruſtra pertentata remedia, poſtremo perpetuam Laureæ geſtationem ab æquitate Senatus obtinere coactus fuit, dum huic ad vitæ dies capillitio tegumento ex alienis pilis præparato, quod hodie non paucis in uſu eſt, calvitium impune tegere datum ſit & conceſſum.

OBSERVATIO LX.

Dn. D. Gothofredi Davidis Mayeri.

Febris octana ad lunæ periodos.

VIr Juvenis Religioſus & D. Franciſci Fratrum conſortio junctus, ætatis XXVIII. annorum, plethoricus, ex Bohemia Vratislaviam ablegatus, eam mihi percurandam committebat Febrium ſpeciem, cum qua ultra annum ſe graviter conflictatum aſſerebat, cujus indoles & progreſſus ſequens a me obſervabatur: nimirum octavo quoque die, quo Lunæ, viciſſitudines ſuas obire, ſolenne eſt, certiſſima periodo ægrotantem immani cephalalgia adoriebatur, in qua dolores lancinantes & punctorii interni accurate cum pulſu conveniebant: hi nunc Sincipitis, nunc occipitis regionem occupabant, concurrente graviori aurium tinnitu & ſuſurro. Vaſa temporum infarcta quaſi & inflata, elonginquo pulſationis ſenſum determinabant: totum corpus horrore concutiebatur, alvo tum temporis ſemper clauſa remanente. Vertex ſenſu frigoris pertentabatur, ac ſi glaciem impoſitam haberet. Deteſtabatur tunc quemcunque ſtrepitum & motum, levem licet & ſanis vix obſervandum, cumprimis remotiones ſcabellorum, apertiones januæ, interlocutiones & colloquia: quin imo lumini infeſtus, tranquillitatem ſitiebat & quietem, citra ullam ad cibos aut potum, niſi tenuiſſimum, ap-

petitum. Interdum obvenit vertigo tenebricosa, procul dubio partim ex oppletione cerebri & meningum sanguine expanso, partim ex consensu partium nervosarum ventriculi, sinistri ejusdem maxime orificii a contentis flatibus. Adhæc dolor aderat obtusus hypochondrii dextri & post antea dictam horripilationem æstus corporis continuus & intensissimus, dolor artuum osteocopus, difficilis respiratio, pulsus magnus, celer & frequens quandoque inæqualis: Urina primo rubra & diaphana: tandem cum sedimento incarnati coloris & turbida. Sic octavo quoque die a febri, Lunæ phasium præcursore inseparabili, per tempus sex hebdomadum hic Vratislaviæ pium hunc & diætæ legibus apprime obedientem Religiosum misere oppressum ipsemet observavi, exacerbatione, quovis paroxysmo ad XIII. horas non interrupto ordine violentiam suam exercente, cum reliquis diebus, consuetis muniis præesse, ac sano similis officii rationibus defungi optimus patiens potuerit. Tandem continuatis congruis remediis, & largissima sanguinis per nares eruptione eveniente, felix contumacis hujus febris solutio obtenta fuit.

OBSERVATIO LXI.

Dn. D. Gothofredi Davidis Mayeri.

Febris quartana non nisi Hernia scrotali prorumpente curata.

OPerarium plebejum, curru manuario in vallium aggeribus renovandis Civitati operam impendentem, Febris quartana biennalis tum demum derelinquebat, cum post infelicem casum aliquando sibi herniam scrotalem descendisse observasset, quam nec subligaculis convenientibus, nec externis fomentationibus pertractare licebat, nisi contumacis hujus affectus recidivam denuo experiri mallet, quod ipse non solum, sed cum eo simul Chirurgus, curam sui sustinere cupiens, certissime asseverabant. Demum implacabilibus sæpissime doloribus lancinantibus & scindentibus per transversum umbilici oppugnatus, cùm alvus arctis-

arctiſſime clauderetur, ſuccederent vomitus cum gelidis ſudoribus & ſtercoreis per os eruptionibus, ex Hernia incarcerata miſere hoc anno extinctus eſt.

OBSERVATIO LXII.

Dn. D. Gothofredi Davidis Mayeri.

Eryſipelas phlegmonodes dextri femoris circa ipſius & tibiæ articulationem prope patellam exulceratum, cum copioſiſſimo ſaniei & intercurrente periodico catameniorum effluxu.

VIrgo tum temporis XVII. annorum, temperamenti ſanguineo-cholerici, precibus diariis publicis in templo invigilans, genua flectendo, ſpe citius & opinione patellæ lapillum infigebat, quorum varia genera inter mundificandum perminutim contuſos lapides ſcamnorum pavimenta, excidere interdum ſolent ad hoc opus exſequendum conſtitutis mulierculis. Hæc doloris exinde percepti ſenſum primo non accurate penſitans, circa noctem arctiores congeſtorias contentiones cum æſtu, denique latius diffuſas ſtagnationes & ardores, tandem ob moram diuturniorem, cum tumore, rubore, duritie & exquiſitiſſimo ſenſu, materiæ quaſi cujusdam detentiones atque ſtaſes experiebatur, certiſſimo inflammationis ſubjecto materiali primo & præcipuo. Connexa his febris intenſior & partium fibroſarum tenſio indies facta auctior, tandem eo adigebant optimam puellam, ut negotium hoc, quod hactenus ex verecundia per quatuordecim dies reticere cenſuit, mihi, quotidie fere paternam domum inviſenti timida cum Matre, demum percurandum committeret. Ad inquiſitionem & affectæ partis inſpectionem, Eryſipelas phlegmonodes jam exulceratum viſum & totum femur tumidum, indolens & duriſſimum, non citra merum imminentis gangrænæ, cui tamen adhibita ſimul manuali opera dexterrimi Chirurgi Güntzelii per congrua remedia feliciter præcavimus. Interea ſaniei effrenis copia ex vulnere egrediebatur quotidie, quæ circa

confines muſculos ſinum ſibi a capitibus femoris inferioris ſurſum verſus, ad ipſius hujus oſſis cervicem usque transformaverat, ex quibus decenti enchiriſi & convenientibus faſciis, applicatis ſimul omnibus, quæ ex Pharmaciæ & Chirurgiæ penu e re eſſe poterant, exterminare curæ noſtræ & conſcientiæ fuit. Inſumptæ tamen ſeptendecim hebdomadæ integræ, antequam in totum convaleſceret animo & corpore delaſſata miſerrima virgo, quæ per apertum vulnus ſolenni catameniorum fluxu, quem periodice & legitime ſtato quovis tempore ſuſtinebat, celeriori ulceris conſolidationi non vilem remoram injiciebat, licet eundem de cætero utilem non minus ac neceſſarium merito ſuo judicaverim.

OBSERVATIO LXIII.

Dn. D. Gothofredi Davidis Mayeri.

Aſthma humidum ſolo fonticulo percuratum.

FOemina LII. annorum, phlegmaticæ conſtitutionis, duarum Filiarum mater, robuſta corporis ſtatura inſignis, a juventute laboribus & ob domeſticas rationes, quotidianis corporis commotionibus litaverat, quibus, propter ſubſequens connubium feliciori redditæ, tam ſtrenue indulgere nec neceſſitatis, nec voluntatis erat. Hæc, propter alias rationes, ob vitæ generis mobilis in ſedentariam & otioſam mutationem, aſſuetam pectoris & pedum denudationem, frigidioris potus ingurgitationem, abuſum acidorum, cumprimis ætatis intuitu, Menſium emanſionem, interpolata anhelitus difficultate & notabili reſpirationis anguſtia, quocunque pedem moveret, omnium maxime in aſcendendis locis acclivibus, cum rigida thoracis contentione corripiebatur: Interdum inter reſpirandum ſonitus, quin imo notabilis aſperæ arteriæ ronchus obveniebat, quem difficilis tuſſis, cum materiæ partim tenuis, partim craſſæ, viſcidæ & ſubflavæ ejectione, comitabatur, ita quidem, ut ob ſitum corporis, quem habebat, ſuper ſtragula erectiorem, ſæpiſſime eandem Orthopnœa interituram credidiſſes. Pluvioſa tempeſtate & aëre craſſio-

crassiore in postica corporis parte, circa scapularum confinia, exquisitissimum renisus cujusdam sensum percipiebat, & interceptam interdum spiritum trahendi libertatem. Ad morbi ablationem tam materiæ, quæ ejaculabatur, quam motus, qui & discussionem & evacuationem revulsoriam requirebat, pharmacorum ope respectus habitus, & simul neglectæ ad tempus venæ sectionis & scarificationum assuetarum reiteratio commendata: Nullo tamen remedio felicius illam sublevatam recordor, quam ad manus tandem assumpta fonticulorum applicatione, quorum unum brachio, cum ægra pedem denegaret, ut adaptaretur autor fui, qui legitime constitutus fonticulus, incredibilem peccantis materiæ copiam exterminavit & adhuc apertus remanens, tam difficili asthmate divexatæ diu desideratam sanitatem tandem ex integro restituit. Quod exemplum D. Hieronymi Capivaccii Consilio, cuidam anhelitus difficultate laboranti illustri viro conscripto, non abludit, quem præter alia remedia, cumprimis ad cauterium in sinistro brachio excitandum ablegavit, unde, ut ipse in D. Laur. Scholzii a Rosenaw Consiliis pag. m. 264. lin. 28. & seqq. uberius memorat, juxta quotidianam experientiam, anhelitus difficultate vexatos, incredibilem utilitatem percepisse confirmat.

OBSERVATIO LXIV.

Dn. D. Gothofredi Davidis Mayeri.

Hemicrania cum involuntario & continuo lacrymarum proventu.

SI ex male affecta corporis Oeconomia pars aliqua ipsius citius consensui subjacet, certe caput illud est, & huic sine dubio simul connexus oculus, quorum utrique jure suo convenire putaverim, quod Hippocrates de utero affirmavit, illum fœminis sexcentarum ærumnarum autorem esse, sic hos, cumprimis caput, infinitarum calamitatum fabros existere. Rem utrorumque intuitu, si consensum maxime spectes, insequens commonstrabit haud infimi commatis Fœminæ exemplum. Hæc nobili

loco nata & illustriori educata de voluntate sententiaque Celsissimæ Comitis, cui indivulsa comes & pedisequa ajuventute fuerat, vitæ sibi socium eligebat virum optimum & Officio publico clarum: Ambo tamen eo nomine infelices, quod liberorum amantes, eorundem educationem ipsis inviderit Fortuna. Ipsaquidem utero tulit aliquoties, sed Lucina parum propitia infelici abortu ventris onus ante diem deponebat, aliquando non sine præsenti vitæ periculo. Præterea iracundia tacita pertentata, diætæ leges simul negligebat, & partim nimia corporis incalescentia, partim repentina ejusdem refrigeratione, accedente diæta vinosa, in tantum oberat sanitati lectissima alias fœmina, ut suppressis evacuationibus spontaneis, & neglectis artificialibus, tandem ipse Menstruorum fluxus retardaretur, interdum penitus impediretur. Subsecutus postremo doloroſus capitis sensus continuus, nunc exterius, nunc interius tragœdiam suam ludens, in priori casu mitior, nec tam immanis. Qua de re celeberrimus Crato lib. 4. Consil. (cui tamen propterea non omnes in omnibus subscriberent) inquit: Dolores capitis plerumque per consensum ventriculi oriuntur, & tunc dolet fere pars anterior, quando vero uteri consensu, tunc dolet posterior. Dolor hic acutus, tensivus, gravativus & punctorius dextram solum capitis partem occupabat, nunc hoc ipso latere ex temporibus ad dentes, nunc ex his denuo ad tempora progressum faciens, in quibus frequentior cum incredibili aurium tinnitu & sibilo observabatur. Quoties exterius violentiam suam acutissimum hoc malum exercebat, toties involuntarie & continuo fluxu Lacrymæ ex eodem oculo, ceu perenni fonte proveniebant, ubi dolor infixus erat, uberius, ita quidem, ut tantam seri & lymphæ copiam his organis inesse potuisse ambiguum remaneat: Quam enormem profusionem, ob nimium sanguinis & seri motum obvenisse forsitan non abs re judicandum, ope cujus plus seri ad glandulas lacrymales delatum, quam commode ab iis revehi per vasa sua potuerit, quare tum necessario extra corpus propelli sub forma lacrymarum debuit. Liberata paululum infensissimi hujus hostis injuria, vidua tandem

facta,

facta, exequias Mariti, aliorsum & peregre subitanea hæmoptysi extincti, incredibili planctu & ejulatu prosequitur, unde malum contumacius reversum, vehementiusque exaltatum est, & lacrymarum involuntarium profluvium, oborto, ex calamitatis tali infausta tempestate, uberrimo imbre multiplicatum.

OBSERVATIO LXV.

Dn. D. Gothofredi Davidis Mayeri.

Incauta Ligamenti sub Lingua Sectio Maxillarum Paralysi & Morte terminata.

QUanquam Ligamenti sub Lingua sectio, quocunque Instrumento administrata, si modo cauta manu perficiatur, omni periculo vacet, quod nec vulgo chirurgorum incognitum est, quorum vices interdum Obstetricum digitus, ungue acutiore instructus, subire non veretur: quanquam hanc operandi methodum ob facillimam partium vicinarum disruptionem & dilacerationem vix unquam aliquis facile probaverit: Nihilominus summa cautione opus est operationem talem, a quibusdam susque deque habitam, suscipienti, ne & idem tali contingat, quod incautō cuidam Balneatori evenit, cui ad solvendum Linguæ ligamentum, puerulus a Rustico & incola pagi Malckwicensis oblatus, quod morosus sit & inquietus, nec lacte materno exsatietur. Hic an operatione tali infans indigeat, nec ne, parum sollicitus, modo lucrum capiat exinde, linguam ligamento durissimo annexam esse apportanti & querulo patri persuadebat. Separatum a lingua ligamentum, inter varios ejulatus & clamores miserrimi pusionis, qui subsecutam noctem inter indesinentes clamores & omnem maternæ mammæ aversionem, quam antea tamen pro nutritione assumserat avidus, cum subsequente die & nocte sine lacte & jusculis transegit. Ego tandem tum temporis Generosissimo Fundi Domino, male se habenti, adstans propterea de consilio sollicitor, quo, non nisi prævia inspectione, adesse recusabam, & ea suscepta, vulnus nimis pro-

funde Linguæ inflictam obſervo, quin imo eandem totam tumefactam & circa vulnus undique inflammatam, præterea impeditam deglutitionem ex præſente Maxillarum paralyſi, quæ nec liquidorum influxui ingerendo locum concedebat, infelici prognoſtico mœſtiſſimis parentibus demonſtrabam, ſub quorum manibus etiam poſt horas aliquot, incauta ſectione excarnificatus puerulus, vitam cum morte placide commutabat.

OBSERVATIO LXVI.

Dn. D. Gothofredi Davidis Mayeri.

Dyſuria ineptæ Herniotomiæ Soboles.

Difficultatem mingendi in ſtudioſo ingenui Civis M. S. privigno, a quibusdam Civitatis noſtræ Poliatris partim fermentativæ urinæ acrimoniæ, partim Renum vitio, partim Inflammationi veſicæ colli, aut Carunculæ, urinæ exitum impedientis, aut vermi adſcriptam, motui ſpasmodico & conſtrictorio Colli ſeu veſicæ ſphincteris adjudicaverim, cum aliquot retro annis ab hernia ſcrotali liber eſſe cupiens, ipſum Herniotomi, Cron dicti, cultro corpus ſubmiſiſſe bene ſciam, utpote qui præſens aderam & de ſuſcepta inter ſecandum certiſſima dextræ partis caſtratione, cum artifice, contrarium ſine ratione aſſerere laborante, diu diſceptaveram. Studioſus hic quamvis per aliquot annorum intervalla non niſi levem interdum ſtranguriam & colicas paſſiones penes ſe obſervaverit, tamen erectiore nunc facto corpore, ſenſibiliores eundem ſpasmos & conſtrictiores experiri a vero non abludit, ut hac in parte Clariſſimi Hildani partes profitear, qui in laborioſa mictione poſt ineptam Herniæ ſectionem, haud inepte arbitratus eſt, teſticulum cum ſuis membranis a peritonæo prodeuntibus, una cum nervis, imo & peritonæo ipſo in operatione præter modum attractum, nimisque alte avulſum & abſciſſum, ac proinde nervos, qui ex oſſe ſacro ad teſticulum & muſculum veſicæ excurrunt, ſimul læſos fuiſſe, & propterea ſphincterem tam propter abſcillos

ſciſſos nervos, quam retractum peritonæum, non niſi vi dilatari poſſe: quemadmodum in externis affectibus, ſi nervus hujus vel illius partis abſciſſus, aut quovis alio modo retractus fuerit, actionem iſtius partis depravari videamus, ſicuti jam citatus Autor Obſervatione LXI. Centur. V. Obſervationum Medico Chirurgicarum fuſius meminit.

OBSERVATIO LXVII.

Dn. D. Gothofredi Davidis Mayeri.

Fluxus ſanguinis ex oculis, naribus & ore ob continuam tuſſim in Bimula lethalis.

PRofluxum lacrymarum, ſi a cauſis externis & primitivis, vel animi accidentibus contingat, qui admirabilem aut novitati donatam rem dixerit? verum Guttarum ſanguinearum proventum nemo quotidianæ Obſervationis opus effutierit, quem rariſſimum nuncupat tot Obſervationibus & multijuga experientia celeberrimus Foreſtus in Obſervationibus ſuis & Curationibus Medicinalibus Lib. XI. Obſerv. 13. Fluxus hic eveniebat in Piſtoris puella circiter bimula, quæ vehementiſſima tuſſi, eaque per aliquot ſeptimanas continua, defatigata, ob perpetuas & violentas partium corporis, cumprimis pulmonum, commotiones, in fluxum ſanguinis ex oculis, naribus & ore largiſſimum per intervalla incidebat, cum ſucceſſiva corporis totius tabida conſumptione. Remedia tempeſtive ſubminiſtrata omnia deteſtabatur patiens valdopere, hinc brevi poſt etiam ingenti parentum luctu & deſiderio e vita decedebat. Fluxus hic Oculorum inſtar Lacrymarum ſanguineus eadem forte de cauſa obvenit, qua Aëtius Lib. 7. c. 3. de eruptione ſanguinis ab angulis meminit, cum ſcribit: Ab oculorum angulis quandoque erumpere ſanguinem, potiſſimum Infantibus, ob continuos ejulatus, apertis genarum vaſis. De qua re antea laudatus Foreſtus loco citato conſulendus, qui tali Malo cucurbitulas & ſcarificationes opponere ſuadet, in præſenti ſubjecto ex varia ratione non imitandas.

(*Vratislavia Norimbergam d. 1. Octobr. A. 1716. miſſa.*)

OBSERVATIO LXVIII.

Dn. D. Johannis Georgii Hoyeri.

De Vanis Essentiæ dulcis seu Tincturæ auri encomiis & nefando ejusdem in febribus malignis & pestulentialibus abusu.

ABominanda profecto sunt encomia, quæ vulgo Tincturis auri, quæ tamen omnes fucatæ & fictitiæ sunt, vulgo attribuuntur, quibus pro dolor plures non sine dispendio facultatum, sanitatis & vitæ falluntur. Non dicam impræsentiarum de plurimis aliis morbis, in quibus absque ullo successu & cum damno potius in usum vocatas notavi; saltim febribus malignis afflictos, qui sub spe auxilii ab his essentiis expectati, certiora bezoardica sudorifera neglexerunt, in scenam prolaturus.

Medicus quidam a nausea, quam in anatome Cadaveris conceperat, febre maligna correptus, sepositis bezoardicis & aliis in hujusmodi casibus plus millies comprobatis, suasu & impulsu nonnullorum ad hanc Tincturam velut ad anchoram sacram deproperans & a via regia aberrans, animam brevi post efflabat. Haud ita pridem astutus quidam agyrta & impudens mendax, qui nonsolum Chymicum incomparabilem & archiatrum finitimi cujusdam principis, sed etiam Doctorem Medicinæ, Bullatum quidem, falso tamen sese jactitabat, Essentia quadam dulci, Sale Anglicano & pilulis polychrestis omnes morbos debellare conabatur. Hinc ne vocatus quidem ædes quasvis, in quibus ægroti decumbebant, intrabat & quibusvis se obtrudebat. Inter plures Vir juvenis & robustæ constitutionis febre maligna forte corripiebatur, qui quamvis ab affine Medicinæ practico hujus loci doctissimo & experientissimo, physico Ordinario & Collega meo honoratissimo, probatissimis & optimis bezoardicis juxta medendi methodum tractaretur, quibus facile servari potuisset, permotus tamen sesquipedalibus verbis impudentissimi oris & impostoris, sepositis omnibus aliis, essentiam suam dulcem

veluti panaceam in usum vocabat, & brevi post una cum Conjuge eadem febre maligna per contagium afflicta moriebatur. Vix poteram diutius perferre damna & facta pluribus concivibus illata, sed Magistratui scelera dicta cum pluribus aliis denunciabam. Quid vero agyrta? primum stomachari denunciationi meæ & processum injuriarum minitari videbatur. Mox vero, nullius recti sibi conscius, sententia ne quidem expectata, fuga se abscondebat, ad calendas græcas rediturus & injuriam vindicaturus. Brevi post in vicinis pagis & locis, in quibus eo tempore contagiosa lues grassabatur, ejusdem essentiæ dulcis usu, facinora patrabat turpissima. Inter plures totam familiam prætoris cujusdam pagani usu essentiæ hujus dulcis Libitinæ immolando. Qualia quidem hic & nunc recensere operæ pretium putavi, quoniam illi, qui essentiæ hujus dulcis virtutes & usus, veluti inventores ejusdem, tantopere deprædicant eandem in febribus malignis etiam ad cœlum usque laudibus extollere non erubescunt. Quod tamen injustum & impium; sicuti pluribus dictum, partim in der vermehrten und verbesserten Hauß- und Reis-Apotheck/ quam nuperrime in nundinis Lipsiensibus vulgavi; partim in Tractatu, ausführliche Untersuchung Pestilenzialischer Seuchen/ ante biennium ad mentem Nat. Cur. sed in gratiam conterraneorum in vernacula lingua conscripto, & Gothæ typis publicato.

OBSERVATIO LXIX.

Dn. D. Johannis Georgii Hoyeri.

De atreto feliciter curato & vivace.

UXor cujusdam civis hujus loci, in suburbio Divi Georgii, filiolum salvum & incolumem feliciter enixa, secundo demum post partum die alvum suo officio non respondere, e contrario frequentiores tandem vomitiones cum clamoribus continuis evenire animadvertit. In quorum phænomenorum causam dum paulo curiosius obstetrix inquirit, anum non perforatum esse deprehendit. In consilium vocatus, ani vestigium discernere

cernere vix poteram, coalita prorsus carne musculosa. Accersito itaque Chirurgo lancetta in loco consueto anum findi curabam, & musculosam carnem ad longitudinem articuli pollicis ano obsitam deprehendebam. Adeo ut Chirurgus de ulteriori sectione & perforatione prorsus desperaret, causam interserens, deficere forsan vel aliorsum tendere intestinum rectum, id quod nupere in vicino loco, Cæsarea Lucia dicto Germanice Käysershagen/ notatum quoque fuerit cum lethali eventu. Qualis etiam casus ab Excellentissimo Domino D. Heistero in præcedentibus Cent. III. & IV. Observ. CXCIII. in scenam productus. Enim vero postquam mediante suppositorio ex sapone confecto & vulneri immisso citeriorem cavitatem scisscitatus eram, ut in operatione pergeret, urgebam, cum porta hac naturali non reperta & aperta, nihilosecius moriendum sit infanti. Continuata igitur paulo profundius fissione & suppositorio denuo immisso, mox præter morem recens natorum excrementa copiosa cum flatibus plurimis sensim sensimque eliminabantur; vomitu sponte cessante, infante convalescente, nunc anno ætatis quarto belle valente. Panicus itaque videtur metus & erronea sententia nonnullorum, qui putant, non æque vivaces esse atretos, cum semel aperto hoc exitu, nil videam, quod sanitati & vivacitati obesse quear.

OBSERVATIO LXX.

Dn. D. Johannis Georgii Hoyeri.

De Cochleis vivis, loco seminii seu nucleorum, in pyris inventis.

Generosissimus Dominus ab H. Toparcha finitimi pagi in amplissimo horto, quem prope domicilium suum colit, arborem quandam possidet pyra proferentem, quæ in medio seminii seu nucleorum loco, cochleas vivas minutas ordinarie monstrant; pyris majoribus cæterum elegantibus, sanis & sapidis, eoque nomine Schnecken-Birn nuncupatis. Rarum ac mirum equidem spectaculum est, altiori meditis indagine dignum.

Quomo-

Quomodo scilicet seminium animale vivum in subjecto vegetabili, salva utriusque existentia, ordinarie fieri, innasci seu generari, esse & durare possit?

OBSERVATIO LXXI.

Dn. D. Johannis Georgii Hoyeri.

De Mania hæreditaria incurabili a fastu.

PLures inani fastu sufflatos mente tandem fuisse captos, experientia testis est. Neque mirum id esse debet, cum superbiæ primus stultitiæ gradus sit. Id vero admiratione dignum, quomodo dementia talis in plures generationes propagari possit? adeoque morbis hæreditariis merito annumerari debeat?

Novi Generosissimam familiam, in qua, quantum mihi quidem constat, Mania in tertiam generationem jam propagata, (cujus origo, prout fert rumor, ab inani fastu profecta,) avo, filio & nepote cum ferocia delirantibus, eoque nomine vinculis oneratis. Avus quidem in delirio leviori tandem fatis cessit. Filius autem & nepos vinculis adhucdum tenentur. Pater, qui aliquamdiu primarii præfecti belli munere functus, inter occupationes bellicas cum ferocia delirare cœpit. Et cum paucis abhinc annis, dictum Nepotem, juvenem sane formosum robustum atque doctissimum, idem malum in peregrinatione, Viennæ, in Augustissimi Imperatoris Romano-Germanici sede, idem malum corripuisse animadverterent, non desinebant experientissimos Medicos in consilium vocare, sed absque optato successu. In patriam revocatus demens, inter plures deliros sermones, quos singulari gravitate & affectata autoritate proferebat, sese e Regia stirpe Davidis prognatum esse, omnibusque principibus, Regibus, Imperatoribus superiorem fore jactitabat, quin imo & blasphemas loquelas subinde eructabat. Quibus nugis qui refragabantur, eis mortem minari & manus violentas inferre non verebatur. Cum inter plures Medicos mea tenuitas consuleretur, non desinebam probatissimis remediis pharmaceuticis Galenicis

& Chymicis internis & externis, iteratis Venæ Sectionibus & aliis curam tentare. sed frustra. Deliranti aliquamdiu coram assistens, persuasionibus moralibus, observataque ex tenui cibo & potu diæta, vix tantum impetrare poteram, ut stultas cogitationes, actiones & locutiones tantisper moderaretur. Interim dum paulo longius ab hac urbe degenti, diutius assistere curamque continuare propter alia negotia vix poteram, Cognatos ejusdem viciniorum aliorum Medicorum auxilia imploraſſe certior factus sum, quamvis sine sperato eventu. Infelicissimis hominibus, patre cum filio, inter deliria perpetua miserrimam vitam consumentibus.

(*Melhusa Augustam Vind. d. 2. Octobr. Anno 1716. missa.*)

OBSERVATIO LXXII.

Dn. D. Johannis Georgii Hoyeri.

Debetur Decas sequentium Observationum diligentiæ Dn. D. *Joh. Henr. Fuchsii*, qui illas mihi transmisit Ephemeridibus communicandas.

De Serpente ex puella depulsa.

VArios capitis affectus, & diversi generis inquietudines ex vermibus præsentibus orta, nec aliis medicamentis quam anthelminticis, enecatis nimirum prius & evacuatis vermibus, curari potuisse, memoriæ varii medici prodiderunt: uti latius apud Celeb. Forestum Libr. XXI. Observ. 28. legere licet. Quid mirum, si eo vehementiores tales affectus Serpens in teneræ puellæ intestinis latitans excitat? Puella enim rustica 6. annorum, parentum testimonio neque hortis, neque pratis ac paludibus diu degere, circumvagari aut plane dormire consueta, mense Majo anni 1715. circa ferias Pentecostes proxime ante prandium, quotidie usque in noctem serotinam de maximis capitis & præprimis oculi dextri doloribus lancinantibus pungentibus & inflammatoriis queri incipit, qui dolores singulis pomeridianis &

nis & nocturnis dictis horis adeo sævire continuarunt, ut non solum appetitus dejectio, maxima pro somno inquietudo & prona capitis humi prostratio & pressio; sed & inflammatio tunicarum oculi & circumferentiæ cum visus abolitione magis magisque accrescerent & unguis primordia capesseret sua. Quo magis medicamenta ophthalmica cum internis derivantibus & externis discutientibus a Chirurgo adhibebantur, eo majora sumebant incrementa singula symptomata. Donec tandem post varia purgantia adhibita, (quæ quidem varia tetra & ovorum coctorum incisorum fragmentis similia expulerunt, sed fomitem morbi non extinxerunt,) sponte quasi serpens ad dimidiam ulnam aut mediocres duas spithamas ex posterioribus proserperet, qui parentes puellæ quam maxime attonitos me consulere coëgit. Quare allata mihi serpente adhibui anthelmintica & talia purgantia cum externis ophthalmicis & ad affluxum ulteriorem derivandum in nucha adhibito vesicatorio singula mitigari cœperunt pathemata. Hisce quoque decoctum & sufflimigium ex herbis & specificis variis, in fascinatione multoties expertis adjunxi, qualia dum fumigando adhibent, vetula quædam hoc passu suspecta, ut alias in hujus specifici usu observatum fuit, anxie advenit, domumque patientis ingredi aut modo ab ipsius parentibus aliquid abalienare, sed incassum, sollicitat. Quibus sub divina benedictione adhibitis tandem restituta est puella, remanentibus pauciſſimis & minimis ab ungue striis, quæ vero etiam externorum abstergentium imprimis sacchari finiſſimi usu cum optima visus restitutione cedebant. An vero ab hac vetula suspecta hic affectus suam ducat originem, siquidem illis locis nulla reperitur serpens, institutaque accuratiore judiciali inquisitione vetula sese clam subduxit & evasit, cuilibet judicare relinquo. Serpentem illam interea cum segete, gramine & terra recenti sæpius renovatis, vivam per aliquot menses in Curiosis meis conservavi.

OBSERVATIO LXXIII.

Dn. D. Johannis Georgii Hoyeri,

De duobus vermibus articulatis in qualibet ani depositione articulum certum, ascaridibus vivis plenum, demittentibus.

QUamvis tam veteres, quam recentes nonnulli medici quamlibet vermium præprimis intestinalium catervam ex putredine, sive pituitosis & viscosis putrescentibus, escarum talium reliquiis, accedente calore, non absolute putrido, sed naturali & quidem valido & plurimo cum humiditate permixto, nasci & gigni, pluribus Foresto Lib. XXI. Observ. 26. & 27. in scholio referente, docuerint: attamen & illos præprimis ascarides interdum a majori & latiori lumbrico per articulos & magno talium ascaridum numero plenos diviso, tanquam matrice aut seminario instar ovi, vita præditi, ab ovario avulsi procreari & tandem cum fecibus unus aut plures tales articuli excerni, sequens viri historia non sine fundamento comprobare poterit. Quippe qui temperamenti cholerico-melancholici, nostræ scholæ cantor, singulis alvi evacuationibus cum scybalis notabilem ascaridum viventium numerum deponebat, perpaucas nonnunquam in intestinis passiones & tormina tales hospites indicantia experiundo. Interea saliva copiosius intra os affluebat, ut propterea frequentius illam exspuere soleret, appetitus de reliquo vegetus, nullo tamen alimentis respondente vigore, corporis robore atque rubore subsequente, facies enim livida atque tetra cum orbitis oculorum livescentibus & circulo fugillationis instar obsitis aspiciebatur. Præterea quotidie per totum capitis verticem sæpius de die horrorem quendam cum sensu titillationis sentiebat, quem vero unguibus cutim scalpendo iterum dissipabat. Nunc vero ex durioris alicujus piscis, lampetræ dictæ, comestione de ventriculi pressione & appetitus dejectione quiritabatur, ut propterea vomitorio sibi consulere cogeretur. Hinc ipsi præmisso ex Magnesiæ albæ ʒβ. digestivo Tartari emet-

cum

cum ſtimulo laxante Troch. Alband. aa gr. II. nitr. antimoniat. gr. XII. & ol. Carminat. gutt. II. exhibui, quo non ſolum quater ἄνω, ſed & octies κάτω cum optima euphoria purgabat, qua occaſione duos, 6 -- 8. ſpithamas excedentes, cum multiplicibus inarticulationibus, cucurbitinorum more, diviſos vermes una cum ſcybalis evacuabat. Quorum vermium quælibet inarticulatio cum multis per tres ſeries locatis vermiculis aut aſcaridibus repleta erat, quæ aſcarides, vita nunc accepta articulatim avellebantur, ſecernebantur, & tandem plane cum excrementis excernebantur. Quibus hoſpitibus nunc evacuatis de prioribus ſymptomatibus recenſitis poſthac immunis vixit, nec in alvi depoſitionibus tales aſcarides porro annotavit.

OBSERVATIO LXXIV.

Dn. D. Johannis Georgii Hoyeri.

De muliere ſeptuagenaria bis Menſes iterum experta & tandem pro gravida habita.

MUlier 73. annorum in duobus matrimoniis fœcunda, in tertio vero per 18. annos ſterilis, alias ſatis vegeta, corpore & animo in nuptiarum conſanguineæ ſolennïis paulo magis exagitatis, cum prægreſſo titillationis ſenſu de novo menſes eo, quo olim, ordine per aliquot dies experitur, qui, præterlapſo menſe, quoque recurrunt. Quorum hoc tempore inſolitum recurſum marito denunciat, qui lætus pro omine futuræ fœcunditatis fauſto accipiens uxori cohabitat, menſes iterum ceſſant, venter quidem, ſed inæqualiter, intumeſcit, in utero quendam ſentit motum, mammæ præterlapſis aliquot menſibus turgidæ lac præbent & fundunt, quæ phænomena non ſolum uxorem & maritum, ſed & quosdam medicos de fœcunditate certiores faciunt, ut propterea obſtetrices aliquoties ad viſitandum accerſerentur, quæ uno conſenſu uxorem pronunciant gravidam, omnia propterea ad partum neceſſaria & hoc peracto ad convivium conſuetum læti præparant & coëmunt, quin plane

novellis hanc extraordinariam & hactenus inaudizam impræ-gnationem, tanquam quid novi, inferi curant. Tempore in-stantis partus consueto, dolores sed absque fœtu sese sistunt, qui etiam remittunt, recurrunt quoque nonnunquam, ut hanc par-turiendi scenam ultra trimestre spatium cum tumido ventre & de reliquo, animo, corpore & appetitu vegeto, agerent. Varia tam fœtum debilem confortantia, quam partum facilitantia ac promoventia & a medicis & matronis variis, illustribus quoque mittuntur, & nullo tamen succedente fœtu, propinantur. Tan-dem mihi singula jam relata, more solito corrupto, cum urina citrina, flocculos levissimos & subtilissimos lymphaticos chy-losos fundum petentes continente, referuntur; ex quibus inter se collatis propter intumescentiam ventris inæqualem & sene-stutem molam tantum in utero gerere, cum maxima parentum tristitia prædixi, eamque propterea tanto citius medicamenta hanc eliminandi adhibere consului. Quem in finem Pil. mea-rum Becheri ʒij. in Aq. puleg. Menth. crisp. & Meliss. solutа-rum 1--3. cochlearia de die sumenda per octiduum cum Ess. carminat. & Ess. Millefol. aa. ad 36. gt. nonnunquam interpo-nenda, ordinavi, quibus per aliquot dies adhibitis, dolores ad partum redeunt, magna aquæ quantitas ex utero illos excipit, ut tanto major spes futuri fœtus matrem & obstetricem cum adstantibus erigeret, quæ vero sequenti die cito iterum evanuit, dum nonsolum aqua illa livida per nychthemerum ad urnam & ultra fluere continuabat, sed & frustum carnis cum venis & 5. ad 6. libras ponderans, quam molam dicimus, simul excrevit: qua excreta venter iterum detumuit, vires reliqui corporis ex voto redierunt, & omnis omnium de fœcunditate spes frustrata hoc modo fuit.

OBSER-

OBSERVATIO LXXV.

Dn. D. Johannis Georgii Hoyeri.

De

Menſibus generoſæ matronæ, tanquam infallibili imprægnationis ſigno, & filia novem annorum menſes experiente.

QUo melior in ſexu ſequiori menſium fluxus, eo melior ejusdem ſanitas, & contra: quotidiana attenta praxis hoc latius comprobat, ut propterea fœminarum ſanitas ex menſibus tanquam Lapide, ut ajunt, Lydio æſtimetur. Nam ordo in omnibus tam macrocoſmi, quam tanto magis microcoſmi actionibus ſalutaris, & neceſſarius, niſi ruina & damnum individui citius accelerari debeat. Hoc non obſtante tamen experientia ſolertiorum & curioſorum docet, quod natura humana absque damno in contrarium nonnunquam currat; uti pluribus ſequens noſtri jurati Chirurgi obſervatio atteſtatur. Quippe qui mihi retulit, ſe quandam matronam generoſam, in diæta lauta viventem noviſſe, quæ menſes quidem in virginitatis adhuc annis ordinarie obſervaſſet, quos vero poſt matrimonium contractum & in illo nunquam, extra imprægnationis ſtatum, cum optima tamen de reliquo euphoria & ſanitate non experta, ſed tantum gravida nunc aliquoties facta, tanquam certiſſimum imprægnationis & conceptionis inchoatæ ſignum menſes per totum geſtationis tempus, legitimo tempore ad felicem usque partum paſſa fuiſſet, quo partu præterlapſo & lactatione peracta, menſes iterum ſine ullo futuro ſanitatis incommodo, nunquam porro fluere & continuare, ſed contra potius dictum factum ſponte ſubſiſtere annotaſſet. Cujus generoſæ matronæ filia animo & corpore vegeta, anno ætatis ſuæ nono menſes rite & ordinarie inchoare & fluxum continuare experta fuit, evidenti nimirum teſtimonio, quod natura filiæ in hoc evacuationis genere eundem fere in modum matriſſare & extraordinarie agere geſtiat,

ſtiat, hacque ratione ſecundum proverbium vulgare, non procul a proprio ſtipite poma cadere ſoleant.

OBSERVATIO LXXVI.

Dn. D. Johannis Georgii Hoyeri.

De duplici puerperio ſine lochiis felici.

MUlier ſatis valida & rubicundioris aſpectus, de cetero nihil habens, de quo queri poſſet, a menſibus nullas experta paſſiones, nupta tandem, licet ſerius, quoque ſatis fœcunda & felici cum ſucceſſu non ſolum more mulierum bis fœtum geſtavit, ſed & illum ex voto peperit, & licet in duobus puerperiis more ſolito poſt ſecundinas evacuatas lochia non ſequerentur, tantum tamen abfuit, ut propterea tum in tum poſt puerperium ullum ſentiret incommodum, ut potius cum optima euphoria, vigore ac robore alias ſolito, infantem & lactaret & labores ſuos diurnos domeſticos æque ac agreſtes perficere poſſet; tertio vero puerperio, prægreſſo prius difficili partu, eundem in modum lochia non ſentit, interea ſine dubio ex nimiis partus difficilis laboribus & corporis exagitationibus, in febrem quandam acutam delapſa, ſed iterum per medicamenta alexipharmaca & diaphoretica antimonialia volatilia, cum ſubjunctis fluxum lochialem dirigentibus, nimirum pil. Becheri ad exitum provocantibus aliquatenus reſtituta, nimium cito, nocte frigidiori in induſiis per hypocauſtum ambulando ſeſe refrigerat & recidivam patitur, quam tandem hujus puerperæ paulo audacioris inobedientiam & immorigerum regimen mors mulctabat repentina & inopinata.

OBSERVATIO LXXVII.

Dn. D. Johannis Georgii Hoyeri.

De uſu pulveris bufonum in Hydrocele & Hydrope Anaſarcode incipiente ſalutari.

VIr temperamenti phlegmatici 25. annos natus, matrimonio nuperrime cum fœmina voluptuoſa contracto, in caſtris venereis

nereis paulo liberius & luxurioſius militans, hoc quoque tempore cum ſeſe ſolito magis allevando lapidum ponderoſiorum & poſt hæc itinere longo defatigaret, & vires proſterneret, incidit in tumorem ſcroti, qui adeo creſcebat, ut ambulare non potuerit, pedes & reliquum corpus intumeſcere quoque incipiebant; propterea conſilium petere cogebatur: quapropter internis digeſtivis Salinis diureticis ex Tartaro Vitriolato comm. Nitr. Criſtal, & Antimoniat. Conch. præpar. ac Antimon. Diaph. unacum Carminativis Eſſentiis ex Rad. Ari Helen. Pimp. albi Angel. Vincetox. Imperat. Lapp. acut. Herb. Tanaceti & Scord. cum Eſſ. Succin. præmiſſis, aliquot doſes pil. mearum polychreſtarum Becheri cum Mercurio dulci mixtarum ſubſtitui, & tandem dictis pulveribus ʒ. gr. pulv. bufonum per aliquot dies bis adjunxi. Interea Cataplasma ex ſtercore, quia anguſta res erat domi, vaccino, calide circa pedes & ſcrotum applicari ordinavi. Qua methodo ſerum illud extravaſatum non ſolum ex ſcroto, ſed & ex reliquis corporis partibus hactenus inflatis, ſucceſſivis vicibus, magna quantitate per vias urinarias eductum fuit, ut hoc modo omnis ſcroti tumor, & tota reliqui corporis intumeſcentia, cum optima ægri euphoria ſubſequenti per paucos dies evaneſceret.

OBSERVATIO LXXVIII.

Dn. D. Johannis Georgii Hoyeri.

De

Hydrope Aſcite per fortiora hydragoga curata.

Duro nodo durus quærendus eſt cuneus, quo per proverbium mali moris & genii aſperioris homines in vita communi depingere ſolent: non absque fundamento ad morbos male morigeros in praxi medica applicare hoc licet. Sicut & idem Celeb. Waldſchmidius in E. N. C. Decur. II. Ann. IX. & X. Obſ. 51. & 52. in pertinaciori malo hydropico fortiora hydragoga cum fructu adhibita, commendando, innuere videtur, id quod, viribus tamen patientis bene antea conſideratis & ſufficientibus, ſine

damno hydragoga fortiora in malo hydropico propinare non. nunquam neceſſe eſſe, ſequens virginis hydropicæ exemplum latius confirmare poterit. Virgo nempe 26. annorum temperamenti phlegmatici, male menſtruata, in febrem primo quartanam ex mala & inordinata diæta, qualis ordinaria famulantium eſt, incidit, per varia ἄνω καὶ κάτω purgantia fortiora & chirurgo adhibita, cum tertiana erratica & tandem duplicata in continuam acutam prona mutavit, quæ vero temperantibus abſorbentibus fixis pulveribus & diureticis cum carminativis ceſſavit, ut ſuis laboribus pauliſper ſatisfacere iterum potuerit. Quia vero menſes reſtitui poſthac non curabat, hinc preſſo, ut dicunt, pede cachexia & tandem plane hydrops aſcites adeo inſequebatur, ut pedes & totum abdomen tantam acquirerent intumeſcentiam & molem, ut præ tumoris mole neque ſe amplius in lecto flectere, neque ſitum mutare, neque inferiores corporis partes aſpicere valeret. Quapropter variis præparantibus carminativis amaris præprimis pil. meis Becherianis & Tinctura antimon. acri cum Eſſ. amaris juncta præmiſſis, phlegmagoga & hydragoga leniora cum ſucceſſu quidem, ſed non conſtanti, adhibebantur, ut neſcio, quo conſilio propria authoritate ægræ mater decoctum Fol. aridorum Ebuli ter per diem ad menſuram dimidiam propinaret, quod decoctum tanta vehementia ἄνω καὶ κάτω ſerum evacuabat, ut in agone propterea conſtituta videretur, hinc meo conſilio ſemel de die & poſtea alternis diebus hauſtum hujus decocti cum bono regimine & interpoſitis carminativis uſurpabat, qua quoque methodo ſub gratia divina ab hoc malo ægra liberata & priſtinæ ſanitati fuit reſtituta.

OBSERVATIO LXXIX.

Dn. D. Johannis Georgii Hoyeri.

De uſu Decocti Rad. Cichorei in phthiſi polychreſto.

VIr temperamenti melancholico-cholerici 44. circiter annos natus, per aliquot annos ſentit tuſſim primo ſiccam, poſtea purulen-

purulentam, post prægressam aliqualem exagitationem corporis patheticam, mense Martio dicta tussis adeo exacerbatur, ut non solum totum corpus nimium quantum concuteret, & sensum pressorium lancinantem in pulmonibus cum materiæ purulentæ sanioſæ sanguinolentæ per tussim excretione experiretur, quæ adeo valde olebat, ut conjux apud maritum diutius permanere denegaret, sed & febris acuta hectica se associaret, quæ patientis vires adeo prosternebat, ut se movere ex lecto amplius non sufficerent. Quapropter petiit consilium, cui rad. Cichorei cum lacte caprino decoquendam & de die ad ℥ij. horis matutinis bibendam ordinavi, interponendam vero, æstu febrili nonnihil remittente. Eff. Alexipharm: Dn. D. Stahlii ad gt. 20-25. cum regimine moderate calido & diæta eupepta, minime salsa aut acri & acida, præscripsi. Quibus, dicto modo, adhibitis non solum hic vir, sed multi alii miserrime phthisi cum hectica decumbentes & seniores & juniores, Emulsione ex aqua Chærefol. Fœnicul. Hyssop. Plantag. Pyrol. Sanicul. Scordii & veronicæ vinosæ cum sem. Pap. alb. & Amygd. dulc. speciebus pectoralibus antiphthisicis adjectis, pro vehiculo dictæ Essentiæ in ditioribus subjuncta, sub benedicente divina gratia restituti fuerunt.

OBSERVATIO LXXX.

Dn. D. Johannis Georgii Hoyeri.

De Variolis cum diarrhœa non noxia epidemicis.

VAriolæ publice Leucolimneæ Thuringicæ Anno 1716. vere & æstate grassantes, licet non apud omnes, tamen apud multos cum diarrhœa, non solum per initium & per statum, sed & decursum servarunt suum typum, ut tantum ex pluribus unum sensibile honoratiorum parentum subjectum sequioris sexus tanquam exempli loco proferam. Erat nimirum puella 2. annorum in educatione & diæta accurate & sollicite observata, nullum, si dentitionem difficilem excipias, incommodum sentiens, adeo satis robusta & valida, in qua d. 16. Jun. ali-

qualem horrorem, titillationem narium & sternutationem cum subsequenti æstu febrili observant parentes, tertio & quarto die sub diapnoicorum & diaphoreticorum lenium parco usu variolæ apparere incipiunt; quinto vero die ictu oculi omnes iterum evanescunt, quapropter potus vini cum regimine, quia alia medicamenta assumere denegat, porrigitur, qui omnes in magna caterva cum optima euphoria iterum expellit, expulsæ quoque sub continuato regimine diapnoico suppurant, maturant & tandem plane desiccant. Interea a primo statim ægrotationis die per alvum singulis diebus ad minimum ter ad quinquies materia spumida liquida fusca absque prostratione virium & variolarum retrocessu excernitur, quæ excretio nono die adeo multiplicatur, ut novem decies cum incipiente virium decremento repeteretur. Quapropter necesse erat, ut nimia hæc diarrhœa compescceretur, quod quoque per superiorem panis corticem tostum, & cum pauxillo Theriacæ illitum, & regioni Ventriculi calide impositum, ex voto successit, ut posthac alvus ultra quatuor vices non solveretur. Ad ulteriorem hujus diarrhœæ enormis recidivam & variolarum retrolapsum præcavendum Eff. quædam alexipharmaca bis de die cum pulvere diaphoretico antimoniali fixo & Coral. rubr. præpar. c. Corr. Chacarill. circa vesperam sumendo ordinabatur. Qua methodo sub auspice Deo hæc puella a variolis liberata, quas vero purpura alba excipiebat, quæ quoque diaphoreticis & alexipharmacis cum regimine diapnoico adhibitis, & diarrhœa moderata succedente, curata fuit, hocque modo hæc puella, annuente Numine divino, ex orci faucibus iterum erepta fuit.

OBSERVATIO LXXXI.

Dn. D. Johannis Georgii Hoyeri.

De Variolis Sanguinolentis in sphacelum lethalem degenerantibus.

PUella trium fere annorum nata, alias sana, variolis publice sævientibus d. 16. Aug. 1716. de torminibus & doloribus ventris

tris infimi conqueri incipiebat, quos dolores maxima inquietudo & corporis jectigatio cum æstu febrili, appetitus prostratione, vomitibus frequentioribus & vigiliis continuis excipiebat, tertio hujus scenæ actæ die maculæ rubicundæ puniceæ per totum corpus, maxime dorsum, paulisper elevatæ instar purpuræ rubræ apparebant, quæ quarto die adhuc magis elevatæ, & harum quædam in pustulas sanguinolentas excrescebant, quæ sponte vel arte apertæ sincerum puniceum sanguinem continebant, quædam vero, maxime in manibus & facie, in qua hactenus maculam unam aut alteram serpiginosam perpessa fuerat, lividum serosum humorem ex magna, prope dictam maculam serpiginosam, pustula aut bulla, qualis sphacelosis partibus inoritur, fundebant, cum subsequente per faciem nigredine, manus interea circa carpum variolis latis & depressis adeo scatebant, ut plures capiendi nullus relictus locus fere esset, quæ vero septimo die æque ac in facie in nigredinem degenerabant, quas cutis secessio sphacelosa presso, ut ajunt, pede insequebatur, præterea guttulas sanguinolentas exsudasse observatas, adstantes mihi retulerunt; nares erant crusta sæpius obsitæ, qua abrasa sanguinem frequentius in sinistro latere fundebant, alvus tertio & quarto lubricior, quamplurimis hisce epidemicis variolis absque noxa familiaris, quinto vero ad septimum diem remissior observabatur. Hisce symptomatibus parentes attoniti quinto die me vocarunt; historia cum symptomatibus percepta prognosin, quæ postea sequebatur, in maximam parentum mœstitiam prædixi: interea ad parentum instantiam medicamenta variolis appropriata & cum voto in aliis adhibita porrexi, quibus tamen nullo modo impedire potui, quin sævities symptomatum circa septimi diei meridiem filum vitæ puellæ plane abrumperet.

(*Mulhusio Augustam Vind. d. 2. Octobr. Anno 1716. missa.*)

OBSERVATIO LXXXII.

Dn. D. Rudolphi Jacobi Camerarii.

Sphacelus pedis sponte terminatus.

JOhannes, cui nomen eb arte bona, agricola in oppido sylvæ nostris dictæ nigræ, diu sanus & firmus vixerat, duri scilicet

vitæ generis, usque dum in principio senectutis a refrigeratione pedum in aquis nivosis, glacialibus, reportarit frequens eorum erysipelas, & dolores, per autumnos quotannis balneo deliniri solitos. Verum Septuagenarius sub finem anni 1711. (post famosum lue boum & perturbatione anglicana autumnum) post dolores pedum acriores, hinc in pollice pedis dextri observavit parvulam aperturam & crustulam, neglectim habitam, quæ per aliquot septimanas steterit quasi immota in eodem; inde nigrescebat ille pollex, siccabatur, itaque plene emoriebatur, ut cum duobus vicinis infectis facile auferretur forcipe a Chirurgo. Videbatur comparere tunc spes aliqua mundificationis, ad obtinendam consolidationem: atat ex inopino res omnis conversa fuit in pejus, cum senex viribus eo usque constans inciperet deficere, & ægrotare toto gravius, ad phantasias & deliria: scilicet incipiebat progredi sphacelus, & turbabat totum corpus, cum livescere conspiceretur pes inferior, livore jam tendente sursum, usque magis, absque tamen tumore insigni. Livorem excepit corruptio putredinosa, non multi madoris, qua pes imus a digitis ad malleolos fuit consumptus, Chirurgo nervorum sive tendinum unum post alterum extrahente, tandem & ipsa auferente ossa, sine querelis ægri, jam quoque a febre liberi. Non mansit intra hos terminos sphacelus, sed motu valde tardo tamen processit a malleolis versus genu, carnosas ad tibiæ tractum partes sensim similiter depasturus. Cœperunt autem hæ demum corrumpi ad principium autumni 1712. partim inde frustillatim delapsæ, partim sine sensu resectæ, non jam a chirurgo amplius, sed ab ægri filiis, ut dictus fuerit pes cadaveri semiexeso similis, & os per 20. septimanas restaret nudum; usque dum circa medium Aprilis 1713. æger neptim bimulam de solo ad se in lectum levaturus, os spondæ allisum frangeret transversim ad duos sub genu pollices, non sine dolore, cum tolerabili tamen. Hic vel tandem fuit mali, sphaceli pedem lento ascensu depascentis, terminus, certe admiratione non indignus, non tam ossa quam vasa media, medios musculorum

lorum tendines per ſeparationem mortui a vivo avulſa perpendenti, coërcito ita in medio curſu intra terminos mortis imperio. Truncus enim pedis inde mundus, excuſſo quod corruptum fuit, ſponte conſolidari & cicatrice obduci cœpit, & ſanatus inde fuit, quaſi chirurgica fuiſſet adjutus ope, cum tamen miſer ſibi relictus, & eleemoſynis ſuſtentatus, non habuerit, quæ imponeret, niſi pauca evporiſta, verbaſcum, ſcrophulariæ aquat. ſuccum, & ſimilia; bene tunc appetens, ſenſibus conſtans ex. & internis. Sic evaſiſſe viſus, fatum ſubire cœpit in pede altero: per partem priorem junii ejusdem anni, ab horrore forti, pedis pollex ſiniſtri cum digito vicino comparuit brevi poſt quaſi emortuus, ſalvo quaſi aſpectu externo, & ſic ſtetit aliquamdiu; donec & ipſe ſecederet: his autem pariter amiſſis, iterum ſubſtitit ultro ſphacelus, cui nemo obſiſtebat; & in neutro pede fecit progreſſus ulteriores, nec rediit. Succedat tandem fatum viri, adeo ſingularis, idque ultimum. A feſto Andreæ 1713. venit alvi fluxus, durans diu nimis, & ipſum exhauriens, ut ſenſu quidem & motu ad ultima non privatus ſenex, ſola ſub finem vacillante lingua, vel tandem placide obierit, feſto Thomæ dicti anni ſepultus.

Servavi hunc caſum, ne intercidat, dignumque, qui publico innoteſcat cenſui, utut aliunde, bona tamen fide communicatum ab amico, rerum harum nec incurio nec ignaro, quippe chirurgi filio, Paſtore loci, avtopte. Acceſſit altera ratio: legi poſtmodum in *act. acad ſci gall.* ann. 1710. caſus ſimillimos, non unum ut ibi ſingularem privatum, ſed multos publicos. Inter calamitates enim, quibus tunc affligebatur Gallia per quasdam provincias, ſub annonæ caritate, obſervabatur quoque frequentia ſphaceli artuum, adeo ut legantur ibi in uno noſocomio, plus quam 50. adulti & infantes affecti gangræna ſicca, nigra & livida, cujus principium ſemper ab articulis, & interdum aſcenſus ad ſupremum femoris, ita tamen ut non fuerit inter tot niſi unus, cui inceperit a manu. Aliquibus gangraenam fuiſſe ſeparatam ſponte naturæ, abſque ullo adjutorio, cæteris coercitam

ſcarifica-

ſcarificationibus & topicis: quatuor illorum vel quinque ſaltem mortem inde obiiſſe poſt amputationem, non deſinente aſcenſu. Immunes tunc fœminas, exceptis quibusdam puellis. Dirum ibi exemplum ruſtici, cui delapſi primum omnes digiti pedis, brevi etiam alterius, poſtea reliquum carnis & oſſis tibiæ, denique etiam femoris ſucceſſive: nihilominus, mirum, cavitates oſſium coxæ repletæ iterum fuerunt ultro carne ſana, firma, renaſcente. Malum hoc pauperum temporibus caræ annonæ imputatur ibi nutrimento vitioſo, & præcipue certo frumento nigro, ſecali, & quidem ſoli, degeneranti in clavos, bled cornu, ergot; eædem cauſæ, quæ producunt ſterilitatem annorum, producunt quoque copiam clavorum, quos pauperes non ſecernentes ſoli non niſi illis temporibus gangrænis fiunt obnoxii. Secale ita quibusdam locis degeneravit ad partem quartam. Ruſtici a pane inde confecto erant fere ebrii, (cauto hic opus eſt, ne *lolium* ſubfuerit) poſtea ſæpe corripiebantur gangræna. Plura in laud. actis, imo plura jam olim *dans le Journal des Savans* anni 1676. & 1706. unde ſequentia: Certa ſecalis ſpecies, quæ ſeritur martio, magis eſt obnoxia, quam quæ autumno: clavi autem abundant locis humidis, frigidis, per annos pluvioſos. Gallinæ non edunt, quamprimum agnoverunt, ab iis tamen comeſtis male ſe habere non obſervabantur. Non germinant clavi, (*carent germine*) quod naturale ſimul ſit & bonum. Legitur quidem ibi, clavos eſſe ipſa grana ſecalis, non qualiacunque corpora extranea, (*non gallæ*) ſed additur, diſtingui locum germinis & le ſillon. (quod conceſſero de *loco*, non de *ipſo*.) Cæterum nec grana ipſa guſtu eſſe adverſa, nec panem inde confectum ſapore pejorem; recentia magis eſſe noxia, quam ſub uſu longiore. Non ſine dubio, utrum gangrænæ a ſolo frumento corrupto, an ab ipſa conſtitutione aëris, vi cujus id corrumpitur. Hinc ordinata tunc fuerunt tentamina practica, botanica, chymica, num ſecale multa humiditate ita degener poſſit obtineri; quid diverſi præbeat ſecale ab integro. Interim ex diverſis relationibus concluditur, morbum ab ejus uſu eſſe differen-

differentem per tempora & loca. Ab usu panis huic digitum, alteri manum, tertio nasum cecidisse, sine prægressa febre, inflammatione, dolore considerabili. Porro: ulteriores degenerum granorum effectus, notari defectum lactis, febres malignas cum sopore & delirio, gangræna brachiorum & inprimis pedum, qui ordinarie corripiuntur primi, & quos uti scorbutus invadit, prævio stupore quodam, supervenire dolorem cum inflatione quadam, sine tamen inflammatione, cutem fieri frigidam & lividam: gangrænam incipere a centro partis, nec comparere extus, nisi diu post, ut sæpe opus sit incisione cutis ad detegendam gangrænam subtus. Si non resecetur pars, siccari, marcescere, quasi cutis ossi agglutinetur, nigrore stupendo, absque eo, ut cadat in putredinem. Dum tibia siccantur, gangrænam scandere ad humeros, usque eo, ut constet de modo, quo fiat &c.

Per Ill. *Brunnerus* in E. N. C. 3. 2. 224. ubi publicam quoque temporum miseriam graphice describit, grana secalis degenera, sive cornicula nigra, quæ in sylva hercynia Martinskorn fuerint vocata, observavit, & declaravit venenata, eo quod incolæ ab usu eorum non tantum convulsionibus tentati fuerint miris, sed & extrema inde sphacelo ipsis emortua; cum addito: non facilius hæc accidere, quam pane recens e clibano extracto calente adhuc comesto; noxam non tam facile percipi, siquidem refrigescat, & situ siccetur. In E. N. C. 3. x. 93. Cel. *Hogerus* a rore mellito Julii 1699. siliginis grana, quibus roralis lympha largius inhæserat, mirum in modum quoque notavit corrupta, nigricantia, ac monstrosa, qualia vulgus Mutterkorn appellet; adeo tunc frequentia per Thuringiam, ac post hominum memoriam visa non fuerint. Ab horum usu loco cibi ordinarii anno sequente vix evitabili variis morbis epidemiis juniores æque ac adultos fuisse afflictos.

Et ista quidem pleraque quadrant ad præsentem observationem meam: Convenit *gangræna sicca, progressus,* & *spontanea terminatio.* Convenit famosus *autumnus* anni 1711. Convenit species frumenti: non seritur in dicta sylva frigida, aspe-

ra, nisi *secale*; non est *Botanicus*, qui *clavorum* ipsius non meminerit. Et memini abundasse illis temporibus, & mentionem feci ejus in Disp. singulari de *ustilagine frumenti*; cum *lolii temulenti* copia. Discrimen autem præcipue observatur in hoc: *populare* fuit malum Gallis; *singulare*, sporadicum nostro agrigolæ. Non enim de pluribus ibi ita correptis constat, nec de diæta rustici, quanquam vilis præsumitur, nec vane forte clavis vitiata. Cæterum a clavis noxam nondum audivi; an quod pauciores comedantur bono frumento permixti. Ex una parte fuerunt inter nos, *miro fato* a pollice sphacelato extincti, qui clavos certe non esitarunt; & ex altera parte clavi, qui a Botanicis inter *ischæma* referuntur, ab obstetricibus rockenmutterle, ut *oxytocion* dantur pauperculis: adeo incertæ & suspectæ sunt mulierc ularum traditiones. Modum lædendi quod concernit, fuerunt qui suspicati sunt, *sphacelum* istum oriundum ab *insectis*, quibus scateant clavi: verum cum talia sæpe diuque quæsiverim, conspexerim nunquam, transeant. Utrum igitur a *crasso*, mucoso, viscido, extremitatum angustias inferiorum infarciente; an a *veneno* destruente, venit sphacelus iste? Cæterum qui plura de ipso volet, consulat *Valles.* comm. epid. Hipp. E. N. C. 2. 5. *Menzelii* obs. de sphacelo ex dysent. intemp. curata: 3. O. 127. *B. Reisselii* 6. *C. Raygeri*: *Dolæi* Encyclop. Chir. *Boneti* Sepulcr. *Dionis* cours de Chirurg. Ill. *Stablii* pathologiam &c.

In gratiam Horti-Cultorum vel *pomonæ* sub finem liceat addere, quid de *sphacelo vegetabili* ex ore cauti *Insitionum* magistri, scil. hanc prætensam observatiunculam vel regulam botanicam: si quis ignarus vel imprudens prius ederit acida, acria, e. g. *brassicam* muria conditam, quam ad inserendum surculos se accingat, metuendum fore arbusculis sphacelum; sie werden brandig.

OBSER-

OBSERVATIO LXXXIII.

Dn. D. Rudolphi Jacobi Camerarii.

Glabrio.

Diu est, quod Excell. *Dn. D. J. M. Hofmannus* in misc. nat. cur. 2. x. *canem glabram*, sex fœtuum glabrorum matrem, reliquorum simul editorum sex hirsutorum *fœticidam*, proposuit. Talem *glabrionem*, late *maculis* ex rufo fuscis insignem, ante paucos annos in urbem intulit e Belgio mercator, & occasionem dedit mihi sæpe obviorum phænomena quædam observandi & colligendi: quibus si quis adversus prætensam *formationem primævam*, pro vi Parentum plastica, velit uti, faciet id me non dissentiente.

Catella igitur glabra, nisi quod per ætatem raros in fronte acquisiverit pilos, cœterum depilis, dicitur antequam huc deferretur tenella, parvula, (adultior autem non parum crevit) primæ vice peperisse *duos* catellos glabros *masculos*, sibi adeoque similes, vel in vel a partu cito *mortuos*: A quali tunc cane fuerit imprægnata, non constat; sequentibus autem inter nos vicibus omnibus habuit nostrates *pilosos*, hirsutos.

Sequebantur hinc vice secunda *tres* iterum masculi, omnes glabri similiter & maculati: Idem numerus observabatur partu *tertio*, trium masculorum, *duorum* glabrorum, *unius* modo prima hac vice hirsuti: *Quarta* vice inverse editi fuerunt *duo* pilosi, eorumque unus crassus, albus, alter ex nigro & albo variegatus; tertius autem erat *prima* matris *catella*, ipsi simillima; hanc præ illis *amavit* mater, huic quasi soli intenta, præbendo ubera, istis fere neglectis, illæsis tamen; qualis etiam *prærogativa* prius fuit glabrorum præ pilosis.

Martio 1715. prætendebant domestici: canem hanc sternendo quasi lectum sub fornace ut olim visam fuisse *parturire*; absque tamen successu: ubera sua ipsam exsuxisse, & sic *nescio* quomodo sine partu fuisse quasi quæ peperisset: fuisse prius confluxum canum masculorum more solito. Autumno ejusdem an-

ni peperit *quinta* vice *tres* hirsutos, magnos, latos, matri plane dissimiles; *duos* insuper glabros, prioribus jam minores, quorum minorem præ *amore* compressisse dicitur, ut morereturr, unico superstite: erant autem omnes masculi. Ipsa videtur senescere, & præbere lac parcius. Hinc etiam hic observationum terminus: glabrio enim ista jam vetula allatratu suo & murmuribus etiam per somnum dominæ molesta migravit aliorsum, dono data amico.

Hanc priusquam dimittamus, accedant prioribus hæc quoque phænomena: videbantur glabriones isti & istæ quidem *calidiores* nostratibus, etiam in venerem proniores; *frigus* tamen sentire citius, pati gravius: fœtus glabri pilosis staturis *minores*: hirsuti non ut glabri *maculis* matri *similes*: denique unus talium filiorum mihi non visus dicebatur fuisse singulari *mixtura* glaber partim, partim hirsutus.

Quales se gesserint matris illius filia & filii, hinc inde distributi, non satis constat. Quidam illorum *glaber* catellam quandam pilosam frequentavit; edidit inde hæc *tres* masculos, *duos* glabros variegatos, similes patri, *unum* matri hirsutum.

Hac occasione de *scrofa rufa* peregrina; hanc primo partu *dimidium* fœtuum numerum edidisse colore *sibi* similes, reliquos *albos*: secundo, non nisi *duos* similes, rufos: tertio, non nisi *unum*, reliquos omnes *albos*, uti nostrates. Cur tam cito hic cessavit vis phantasiæ maternæ, cum coloris ideam proprii utique nunquam deposuerit? Certe *catella* suam servavit diutius: utrum, quod cutem depilem solet *lambere* frequentius?

Sufficiant modo ista: plura colligere supersedeo, facile quærentibus per vulgus obvia; remittens talium curiosos ad *Aristotelis* libros de animal. ad *Helmontium*, qui talibus solebat uti exemplis, ad probandum spiritum maris *excitatorem*, matris *formatorem*; ita tamen ut in una forte fœtus parte hujus se prodat *idea*: ad *Filium* Ipsius in paradoxis: ad *Becheri* phys. subterr. pag. edit. Stahl. 215. ad *E. N. C.* 2. 5. p. 370. 2. x. p. 18. *P. Zacchiæ* Quæst. Leg. p. 561. Si cui placeat curioso, informare

publicum

publicum talibus *adulteriis ſpecificis* in regno *piſcium*, *reptilium*, *inſectorum*, (de avibus *modo baſtardi canarienſium* ſuppetunt) locupletabit eopſe hiſtoriam naturalem, & confirmabit proverbium: *Africa ſemper aliquid novi.*

Tubinga Auguſtam Vind. d. 20. Oct.
Anno 1716. miſſa.

OBSERVATIO LXXXIV.

Dn. D. Johannis Adami Genſelii.

De Caruncula Urethræ in lue Venerea.

VIr 49. annorum temperamenti ſanguineo cholerici habitus gracilioris, a gonorrhoea virulenta aliquoties liberatus, denuo eadem incepit laborare cum cephalalgia imprimis nocturna lancinante contumaciſſima, tinnitu aurium continuo & tandem ſurditate, ſubſequente ſtranguria cum ardore & doloribus acutiſſimis ac tenſione gravativa, quibus ſucceſſit iſchuria veſica plena, adhibito Cathetere urina profluxit ſubcruenta cum ſedimento viſcoſo ac furfuraceo ſat copioſa, cum vero chirurgus aſſereret, ſe remoram quandam in fiſtula urinaria animadvertere, difficilemque inſtrumento eſſe aditum, de caruncula cogitare coepi, nec opinio me fefellit, juſſi itaque applicare cathæretica, ſed leniter tantum abſumentia (imprimis pulverem Sabinæ:) & ſanantia per tubulum plumbeum candela cerea inſtructum, datis interne Mercurialibus, cinnabarinis, tonumque partium roborantibus, & aliis malo huic appropriatis remediis, verum omnia fruſtranea fuerunt, miaſma quippe venereum totam jam inquinaverat maſſam ſanguineam, penis foedis ac ſinuoſis ſcatebat ulceribus, teſtes erant tumidi ac inflammati, gummata quoque gallica ſive exoſtoſes in oſſibus tibiæ, interſtitiisque articulorum, ob nutrimentum oſſium deturpatum, lentamque ſanguinii ichorescentiam inductam, hinc inde cum maculis lividis ac puſtulis conſpiciebantur: inter coetera notatu dignum, vermem vivum ſat longum coloris cinerei, aliquot horarum ſpatio in mucilagi-

nosam substantiam resolutum, ex ulcere pedis dextri sinuoso extractum fuisse, qualem etiam ante tres menses chirurgus hujus loci ex pede pueri cujusdam cum stupore adstantium extraxit: demum supervenit crebra ac difficilis respiratio cum ronchis maxime sonoris, ac strepitu in tertio quoque cubiculo perceptibili, paulo post orthopnoea, sedendo enim vel stando erecta cervice respirare solum potuit, prouti etiam deambulando, manibus scilicet ductus, viribus omnibus exhaustus exspiravit. Facta anatome, hepar fere illæsum, lienem vero scirrhosum ac magnæ molis inveni, glandulas mensenterii induratas, renem dextrum flaccidum ac justo minorem salvis ureteribus, intestinum rectum valde durum, in diaphragmate aliquot observavi pustulas, fauces & pulmones exulceratos, dextrum autem lobum pleuræ firmiter adhærentem, hinc ob impeditam pulmonum expansionem orthopnoea, ossa tibiarum subfusca ad cariem vergentia, vesica erat contracta ac crassa quinque circiter uncias materiæ purulentæ viscidæ tetrum spirantis odorem in se continens, circa prostatas diversa apparebant ulcuscula, in urethra, ubi cervici vesicæ continua est, reperi excrescentiam quandam carnosam induratam, foris intro spectantem ac resistentem, magnitudine pisi majoris, figuræ oblongæ in acumen desinentem, quæ frequenter aliis gonorrhoeæ accidit virulentæ, in medio autem urethræ nullam strictturam aut coarctationem observare potui extraordinariam. Vocemus jam substantiam callosam sive fungosam, vocemus excrescentiam, verrucam sive extuberantiam, & particularn carnosam, aut carnem adnatam & luxuriantem, tuberculum, hypersarcosin, colliculum aut tophum, carnem fungosam superfluam aut carnositatem cum Riolano, sive *Caruncula*m, perinde erit profecto; sufficit quod tales excrescentiæ in urethra dentur, provenientes a particulis seri ichorosi salsis, acidis, acribus, crispantibus, fibrosarum membranarum interstitiis se insinuantibus, illasque successive deterså nativa mucilagine defensiva erodentibus ac findentibus, unde ab intertrigine stamina illa fibrosa, & miculæ carneæ sensim succrescendo extuberant, atque sic ab elon-

gatis

gatis inæqualiter fibris (quæ ceu totidem radices nutritionem illis largiuntur) in tuberculum urinæ obicem ponens coalescunt, & meatum urinarium obsident, quod Divo nostro seni jam innotuit, cujus verba, ut alias, ita & hic ceu ex tripode Apollinis dicta æstimemus, qui phymatis sive tuberculi, tam circa vesicam, quam in fistula urinaria mentionem facit in Coac. prænot. 472. seq. p. 568. edit. Linden. & Sect. IV. aph. 82. It. Sect. VII. aph. 57. quibus in urinaria fistula tuberculum nascitur, his suppuratione facta & eruptione, solutio fit. Videatur Brassavolus in Comment. in h. l. Simile σκιροειδὲς σῶμα in urethra summi Viri Isaaci Casauboni repertum, de quo vid. bibliothec. Anatom. p. 388. & 392. eandem porro Caruncularam observarunt Galen. Lib. 1. de loc. affect. Fabric. Hild. in Gr. Horstii operibus Tom. 2. observ. 43. Lib. 4. Schenkius observ. Med. Lib. 3. observ 6. p. 484. Foreст. L. 25. observ. 16. Sylvaticus, Smetius Miscell. Lib. X. p. 561. Ettmüllerus p. 468. & 657. Riverius Cent. I. obs. 81. Bonet. in Sepulchret. Tom. 2. p. 627. 630. 639. Platerus Lib. 3. observ. p. 819. Henricus Regius prax. Medic. p. 137. Scultetus. Franc. de le boe Sylvius oper. Medic. p. 332. Wedelius in multis locis, Sennertus, Joh. van Horne in microtechne p. 170. vide disputat. meam de ischuria sub præsidio Wedeliano habitam An. 1699. p. 12. Theod. Mayerne p. 343. Petrus Borellus & quamplurimi alii rectæ opinionis Medici: neutiquam ergo Caruncula figmentum chirurgorum & eus rationis juxta nonnullos ex recentioribus (ut Dionem in chirurg. An. 1707. Parisiis edita) nuncupanda, cum revera existat, & ego ipse αὐτόπτης sim testis, frustra est sensuum testimonio ob præjudicia erronea & falsa idola intellectus animorum pestem, inconsiderataque partium studia & præconceptas opiniones vanas, domesticos illos hostes nobiscum natos, contradicere, & ab ignoratione rei ad negationem ejusdem protinus argumentari, nisi more scepticorum omnia sensuum testimonia pro incertis & falsis esse habenda putemus: Dn. Joh. Maria Lancisius, Archiater Pontificius, & Cubicularius intimus, in litteris suis nuper ad me datis, de caruncula hac ita sentit;

(S. T.)

(S. T.) Urethræ caruncula equidem non arbitror esse purum chirurgorum figmentum, modo, ubi revera innascitur, statuatur, nimirum in grano, quod hordeaceum a similitudine appellant, estque pusillus sphincter spermaticorum vasorum in urethram debiscentium, Ipse enim illam ibi loci in Cadaverum sectionibus inveni, atque in vivis hominibus curatam sæpius vidi. Dominus Fridericus Hoffmannus, Professor P. Halensis de carunculata ita ad me scripsit:

(S. T.) Tradidit mihi Tuas litteras amoris & humanitatis plenus Civis vester, cui & ipse satis declaravi, quam mihi gratum sit Tuis litteris recreari, & nunc etiam certiorem Te facio, nihil mihi suavius esse, quam Doctorum Virorum, etiam in dissitis regionibus degentium consuetudine & litterarum commercio uti &c. &c. Quod Carunculas in urethra concernit, ego in multis rebus dissentire homines de solis verbis invenio. Jam consueverunt medici & chirurgi illud carunculas dicere, quod solidum in urethra explorando deprehenditur, & vel instrumento explorantis, vel urinæ exitum quæreuti, officit. Dari autem talia nemo negavit, at vero cujus naturæ & consistentiæ sit illud ipsum, quod viam lotio præcludit, nemo facile de hoc vel illo individuo patiente prædixerit, quum sectiones cadaverum docuerint solos sæpe tumores, inflammationesve in causa fuisse. Quo minus autem prorsus negem dari veras excrescentias naturales, me tum ratio impedit, tum experientia. Illa enim, considerauti urethræ interiorem tunicam glandulosam, demonstrat facile fieri posse, ut, quando in gonorrhoea virulenta acris malignus humor copiose affluit, aliquis locus vel in tumorem attollatur vel exulceretur, unde lotio exituro impedimentum nascitur: hæc autem docuit aliquando post exhibita & applicata idonea medicamenta non raro aliquid solidi corporis cum urina rejici, morbumque sic solvi. Et quidni crederemus illud intra urethram fieri posse, quod videmus a profluente humore exterius excitari, nimirum verrucas copiosas prognasci. Certe notus mihi quidam est civis Erffurtensis, cui urethra, quanca fuit, verru-

verrucis obsidebatur, ut peculiariter hunc in finem factis instrumentis ferreis illas deradere & quasi raspare debuerit, tam copiose subnascentibus & succrescentibus, verrucis, ut ex sæpe repetita operatione omnem sensum urethra amiserit, & quasi cornea videretur &c. Si quicquam porro est, quo Tibi, Vir Excellentissime & Doctissime, inservire possim, habebis me semper tibi paratissimum. Quod reliquum est, ut porro amicitiam Tuam, eumque in me animum, quem Tuæ litteræ ostenderunt, integrum & sartum tectumque conserves, omni modo a Te peto. Deum autem precor, ut & incolumem, omnique felicitatis genere affluentem diutissime conservet. Iterum vale & fave &c. Et Dominus Christianus Vater, Professor P. Vitembergensis, idem confirmat in litteris suis ad me datis:

(S. T.) De Caruncul*is* urethræ idem prorsus tecum sentio, quicquid etiam recentiores aliqui in contrarium afferant. Si enim in omnibus vulneribus & ulceribus partium carnosarum, caro fungosa facile succrescit, quidni etiam in meatu isto membranoso & musculoso?

OBSERVATIO LXXXV.

Dn. D. Johannis Adami Genselii

Anatomica de Submerso.

MOlitor 44. annorum temperamenti melancholici furoris percitus oestro, in puteum molendini sui profundæ altitudinis Sopronii se præcipitavit, indeque post tres horas exanimis extractus; adstantes retulerunt: eum per triduum de Deo, angelis, vitaque æterna sermocinatum fuisse. In inspectione cadaveris situm viscerum præternaturalem & extraordinarium invenii, hepar enim & lien diaphragma comprimendo mediam ferme corporis occuparunt cavitatem, corque e meditullio ad costas plane sinistri lateris deturbarunt, vertebræ colli, dorsi, & lumborum partim luxatæ, partim fractæ, omnesque quasi corporis partes ob impetuosam allisionem, contiguitatis, continui-

tatisve dimensionum læsionem, ac sanguinis extravasationem lividæ & suggillatæ conspiciebantur: Ventriculus libram unam circiter continebat aquæ pulmonibus & intestinis ea vacuis, quod ordinarium in submersis, non quippe ob aquam haustam, sed ob respirationis interceptionem suffocati pereunt instar strangulatorum, qua cessante, degluticio ab aëre juvanda insimul feriari cogitur, ipsaque aqua gravitate sua epiglottidem deprimendo, particulis elasticis & impetuoso in os illapsu fauces, musculosque distendit, atque gulam coarctat, donec infelicem efflent animam.

Sopronio Noribergam d. Novembr. 1716. missa.

OBSERVATIO LXXXVI.

Dn. D. Godofredi Heldii.

Radix Aristolochiæ Clematitidis insigne ac expertæ Virtutis Antipodagricum.

ARistolochias apud Medicos plerumque & fere semper quoad Radicem tantum in usu, hinc etiam pro varia hujus forma variæ species exortæ, variaque ei nomina indita.

Veteribus Botanicis pauciores cognitæ, recentiores plures fatuerunt. Ex antiquis Græcis primo Theophrastus Eresius in Historia Plantarum Lib. IX. c. 13. pag. m. 1094. de unico Aristolochiæ genere, Malum Terræ vocato, scripsit, quod quidam Botanici Clematitidem Aristolochiam esse putarunt, unde Theophrastum forsan imitatus Tabernæmontanus Lib. II. cap. 41. p. m. 1141. eam solam descripsit & delineavit; ast Joannes Bodæus a Stapel in notis & Commentario ad locum Theophr. citat. pag. 1111. putat, hujus verba de longa vel rotunda esse accipienda; ego vero potius existimo, de rotunda sola eandem denominationem valere, ob radicem rotundam, Malum terræ æmulantem.

Secundo Nicander, Poëta doctissimus, duas in versibus suis Aristolochiæ species descripsit, Marem & fœminam, quas etiam aliquoties Serapion Arabs, totidemque, nempe longam vel majo-

rem

rem & rotundam adducit Otho Brunfelſius Herbarii Tom. II. Rhapſodia V. p. m. 49.

Tertio apud Dioſcoridem, Græcorum in Botanicis anteſignanum, Lib. III. c. 4. tria Ariſtolochiæ inveniuntur genera: (1.) ἀριſολοχία ſρογγύλη, θύλεια καλεμένη. Ariſtolochia rotunda, fœminæ vocata. (2.) μακρὰ ἄῤῥην ἢ δακτυλίτις, longa, maſcula ſive dactylitis. (3.) κληματίτις, clematitis vel ſarmentaria. Has ſpecies cum Meſue Avicenna agnovit; Dioſcoridem ſequuntur docti ejus Commentatores, Matthiolus & Valerius Cordus; quem ordinem etiam ſervavit Æmilius Macer in Opuſculo de Herbarum Virtutibus carminice ſcripto. Hieronymus Tragus tres quoque Ariſtolochiæ ſpecies, nimirum longam & duplicem rotundam, vulgarem & veram deſcribit.

Ex Latinis Plinius Dioſcorideis tribus Ariſtolochiis, ſcilicet rotundæ, longæ & clematitidi, adhuc quartam, nempe piſtolochiam, cognomine polyrrhizon, adjunxit Lib. XXV. cap. 8. p. m. 638. quas itidem Lonicerus in Onomaſtico Plantarum adduxit, easque Dominicus Chabræus in Stirpium Iconibus & Sciagraphia delineari curavit & accurate ſatis deſcripſit. Numerum quaternarium etiam obſervavit Joh. Commelinus in Catal. Plant. Horti Medici Amſtelod. pag. 35. & Celeb. Leydenſium Botanicus, Hermannus Boerhave in Indice Plantarum Horti Lugduno-Batavi pag. 118.

Plinianis quatuor ſpeciebus quintam, Saracenicam dictam, ſuperaddiderunt Dodonæus & Renodæus: quem numerum etiam Joh. Bod. a Stapel ad Theophr. Libr. & Cap. citat. pag 1108. ſeqq. obſervavit, loco tamen Saracenicæ, quinto Indicam ex Virginia delatam adjungens. Quinque etiam ſpecies recenſet Hermannus in Horto Acad. Lugduno-Batavo pag. 58. ſeq. Tournefort in Schola Botanica ſive Catal. Horti Regii Pariſienſis pag. 130.

Novem Ariſtolochiarum ſpecies habet Clariſſimus & accuratiſſimus Plantarum Collector, Caſpar Bauhinus in Pinace Theatri Botanici L. 8. S. 3. pag. 307. duodecim Aloyſius Anguillara &c.

Melioris distinctionis gratia Aristolochia in veram sive legitimam, proprie & κατ' ἐξοχήν sic dictam, & spuriam sive notham, improprie dictam, dividenda.

Vera nimirum ea est, quæ foliis hederaceis, Aristolochiæ propriis, constat, cui notæ genericæ & illæ, quas Rajus in Hist. Plant. Tom. I. Lib. 15. fol. 761. & in Meth. Plant. emendata & aucta pag. 89. describit, merito addendæ, scil. flos semifistularis seu corniculatus, labello in palæ aut lingulæ formam producto, pericarpium grande membranaceum, in sena plerumque loculamenta dispertitum, seminibus compressis repleta. Similem Aristolochiæ descriptionem affert Tournefortius in instit. pag. 162. quod sit plantæ genus flore monopetalo, anomalo, tubulato & lingulato seu in linguam desinente, plerumque adunco, cujus calyx deinde abeat in fructum membranaceum, utplurimum globosum, ovatum vel cylindraceum, in loculamenta sex divisum, seminibus fœtum compressis, & sibi invicem incumbentibus.

Quæcunque autem planta notis hisce diagnosticis, imprimis foliis hederaceis & floribus corniculatis semifistularibus, destituitur, illa proprie Aristolochia dici nequit.

Veris hinc sive legitimis Aristolochiis merito accensentur quatuor illæ a Plinio supra citato loco descriptæ, notis characteristicis laudatis præditæ: nimirum

Prima est Aristolochia rotunda vera, tuberibus radicum rotundis sive orbiculatis prædita, fœmina dicta, quam Plinius, Theophrastum imitatus, Malum terræ vocat; male vero eidem applicat Prædicatum Piscatorum Campaniæ, radicem illam, ut putat, venenum terræ, cum pisces exanimet, vocantium, deceptus mali Terræ titulo, quo Piscatores non tam radicem Aristolochiæ rotundam, quæ innoxia, sed potius radicem Cyclaminis sive Arthanitæ, vulgo Malum terræ, rapum & Tuber seu Umbilicum Terræ, nuncupatam intelligi voluerunt. Hunc igitur Plinii errorem jure redarguit Nicolaus Leonicenus in Plinii erratis pag. 46. quem quidem Pandulphus Collinutius in Pliniana defensione sub Cyclamino pag. 95. refutare conatur, sed frustra.

Secunda

Secunda eſt longa vera, radice craſſiori, Dioſcoridi & Plinio maſcula, ob longitudinem & craſſitiem radicis appellata. Licet enim Dioſcorides eandem, longitudinem tantum dodrantis (i. e. palmi majoris, quod intervallum inter pollicem & digitum minimum diductos deſignat,) & digiti craſſitudinem implere tradat, intelligendum tamen hoc de radice juniori, non adulta, quam Plinius longitudine quatuor digitorum, & baculi craſſitudine circumſcribit, imo quandoque craſſitie brachium ſuperare viſa.

Tertia eſt Ariſtolochia clematitis, ſive longa vulgaris, Plinio longiſſimæ tenuitatis, vitis novellæ, quæ clematis vocatur, ab aliis Cretica dicta: longiſſimam enim & tenuiſſimam, Vitis ſarmento ſimilem radicem habet, unde apud Græcos κληματίτιδος nomen invenit, ſic denominata, quoniam uti aliæ herbæ clematitides ſive clematides emittit κλήματα i. e. flagella ſarmentitia vitigineis flagellis ſimilia Arbores ſcandentia. Cum vero de Ariſtolochia hac clematitide Obſervationem hic conſcribere animus ſit, de hac ipſa in ſequentibus plura adducemus.

Quarta eſt Piſtolochia, juxta Plinium tenuior, quam proxime dicta, denſis radicis capillamentis, junci pleniotis craſſitudine. Hanc quidam *polyrrhizam* cognominant, eamque Hermolaus Barbarus Satyrion eſſe dicit, ſed magno errore.

Et hæ ſunt Ariſtolochiæ legitimæ, omnes foliis hederaceis & floribus ſemifiſtularibus ſeu corniculatis præditæ. Nec obſtat huic noſtræ aſſertioni, in omnibus Dioſcoridis exemplaribus Ariſtolochiæ clematitidi folia ſubrotunda minori ſempervivo ſimilia, & flores rutæ aſſignari, cum Valer. Cordus in annot. ad Dioſc. L. 3. c. 4. pag. 50. jamdiu bene indigitaverit, corruptum eſſe hunc Dioſcoridis locum: Conf. Jo. Bod. a Stapel in Theoph. Hiſt. Plant. pag. 1109.

Præter genuinas has Ariſtolochias a recentioribus Botanicis & aliæ ſpecies Ariſtolochiarum titulo ornantur, licet huc proprie non pertineant. Sic Ariſtolochiæ rotundæ veræ annectitur communiter rotunda vulgaris, quam duplicem faciunt, ca-

vam & non cavam sive fabaceam, quas tamen consultius fumariæ bulbosæ & siliquosæ titulo, radice cava & non cava insignire convenit, cum dissimilia ab Aristolochia, Rutæ nempe & fumariæ folia & flores nobis offerant. Flores sunt quasi papilionacei, quos sequuntur siliquæ oblongæ, eoque differentes a siliculis fumariæ officin. quæ fere globosæ sunt; folia minus dissecta, quam fumariæ officin. indeque magis ad rutacea accedunt; Radices στρογγύλαι seu rotundæ cavæ vel non cavæ seu solidæ.

Nec ex Exoticis *Aristolochia orientalis foliis lanceolatis seu Maurorum, Rhasut & Rumigi Lugd.* Aristolochiis proprie accensenda, cum Rauwolffius in suo hodœporico p. 121. flores ejus quidem Aristolochiarum, sed majores & coloris magis bruni esse dicat, hos tamen an vero Aristolochiarum Charactere prædicti sint, non describat, folia etiam filici fere similia faciat, nisi quod caulem versus rotundis auriculis, instar Salviæ minoris, prædita sint, radicem cœteroquin pyrethri similem adstruens.

Americanam denique *Aristolochiam* quod attinet, cujus radix nomine serpentariæ Virginianæ venit, ex tribus illis, quas Dale in pharmacol. p. 289. adducit, primam polyrrhizam, auriculatis foliis Virginianam, cujus sit mentio in Dn. D. Göckelii dissert. inaugur. de Serpentaria Virginiana sub præsid. Illustr. nostri Wedelii habita, pag. 20. n. 5. huc referri posse autumo, cum secundum Morisoni descriptionem flores & fructus obtineat Aristolochiis per omnia convenientes; secunda vero & tertia Dn. Dale, Aristolochia Violæ fruticosæ foliis Virginiana, seu Aristolochia pistolochia Virginiana caule nodoso D. Banister. Quæ genuina *Serpentaria Virginiana* esse judicatur, similitudine tantum quadam ad Aristolochiarum familiam accedere videtur. Convenit quidem juxta Plukenet. in Phytogr. Tab. XV. fig. 2 quodammodo præter caules & folia etiam floribus & fructibus; sed flos dicitur sectus superius in sena segmenta, cum Aristolochiarum flosculi fistulares in palæ similem laciniam eamque unicam & integram desinant: deinde pericarpium quidem in sex loculamenta dividitur, sed in quolibet tantum unicum semen fi-

ciforme

ciforme continetur, cum aliæ Aristolochiæ plura in quolibet loculamento semina contineant. Qui tamen ampliare plantarum volucrint genera, & horum numerum imminuere, ita ut sub uno genere multæ contineantur species, poterunt etiam hanc Aristolochiis accensere, ac pro roboranda ista sententia hæc argumenta afferre: flores quidem dividi in sena segmenta, hæc tamen eandem cuspidem respicere, & ita laciniam unicam, quamvis fissam, esse: item pericardium dividi in sex loculamenta, licet unicum quolibet solum contineatur semen: denique amariciem fere talem esse, qualis est aliis Aristolochiis.

Hæc de Aristolochiarum speciebus dicta sufficiant; propius vero me ad *Aristolochiam clematitidem*, quæ tertia est Dioscoridis & Plinii, quamque nobis pro hac observatione, scripto celebrandam elegi, convertam, cujus brevem contexere placet Historiam.

Aristolochia clematitis, ut & reliquæ veræ seu legitimæ nobis dictæ, omnes nascuntur in Gallia Narbonensi inculcæ, nobis vero Germanis non sunt indigenæ, sed tantum in Hortis, & quidem facillime per radices aut saltem harum particulas, terræ, imprimis pingui & nigricanti, commissas, propagantur; putat tamen Gesnerus, Aristolochiam clematitidem & sua sponte provenire in Vineis Alsatiæ, uti legere est in ejus Hortis Germaniæ pag. 248.

Aristolochia clematitis in Casp. Baubini Phytopinace c. l. duplex quidem affertur, recta & serpens, quarum posterior Clusio Batica vocatur, & a Celeb. Dn. D. Volckamero in Flora Noribergensi pag. 43. sola recensetur; hac vice tamen rectam eligere volui, tanquam genuinam Aristolochiam clematitidem: fere etiam ad credendum inducor, Baticam Clusii esse cum recta eandem, sed copia florum luxuriantem: nam frequenter fieri solet, ut Plantæ luxuriantes ob convenientiam soli copiosiores quam ordinarie proferant flores, certi tamen quid determinare nolo. Cum etiam radices Aristolochiæ clematitidis imprimis observatione præsenti celebrare intendam, nihil inscripsit, utrum ex

recta

recta an ſerpente deſumantur, modo tenues accipiantur, imo tenuiſſimæ fibroſæ illæ ex polyrrhiza ſive piſtolochia Plinii deſumtæ.

Eſt igitur hæc ipſa Ariſtolochia clematitis recta *C. B.* No. V. p. 307. Ariſtolochia Saracenica Dod. Pemptad. 3. Lib. 1. c. 3. p. m. 323. ſeq. Ariſtol. clematitis noſtras Lob. clematitis vulgaris *J. B.* Chabræo & Tournefort. Ariſtolochia tenuis Hermann. in Colleg. MSS. de mater. med. Refertur inter herbas ſcandentes fructiferas, inſtar Convolvuli ſeu Smilacis, vel Lupuli aut Vitis viniferæ fulcro egentes, quas Græci ἀναδενδράδας καὶ προσαλλοκάυχας dixere.

Radices ei ſunt perennantes, tenuiores, craſſitie circiter calami ſcriptorii, tortuoſæ, ſtriatæ, nodoſæ, hinc inde fibras tenuiſſimas emittentes, longe lateque ſub terra repentes & ſimul in profundum penetrantes: earum color externus ſpadiceus, interius candicans; ſapor primo quadantenus dulcis & aromaticus, poſtea ſubamaricans non ingratus, fere inſtar radicis glycypicri ſive dulcamaræ, ex Solano ſcandente lignoſo depromptæ; odor etiam non ingratus & gravis, ſed ſatis acceptus. Non tantum Capita radicum, ſed etiam paſſim radicum ramificationes germina emittunt, unde eſt quod hæc planta ſolum nacta commodum brevi multiplicetur, totas areas occupando, nec facile eradicari queat, cum ablatis quantumvis ſuperioribus radicibus, remanentium in profundo radicum reliquiæ iterum progerminent. *Germina*, quæ verno tempore prodeunt, fere ſimiles ſunt turionibus lupuli ſeu aſparagis noviter ex terra prorumpentibus, & excreſcunt in Viticulas, non pedales ſaltem, ut Chabræus ſcribit, ſed etiam ad tres & plures pedes, uti & Lobelius in ſtirpium adverſariis pag. 265. clematitidem multo proceriorem fruticare viticeo ſarmento, cubitali, aſſerit. Hæ viticulæ ſeu ſarmenta ſunt teretia, ſtriata, interius fungoſa medulla repleta; aſſurgunt primo recta proceriora facta, vicina quævis adminicula comprehendunt, illisque circumvolvuntur; cum autem nihil in vicino eſt, cui amplexu circumplicentur, verſus humum reclinan-

reclinantur, & tandem penitus procumbunt: distinguuntur præterea geniculis, e quibus singulis enascuntur singula *folia* in petiolis longioribus, hederacea, cordata, copiosis venis distincta, quorum vestigia in superiori facie concava, in inferiori autem convexa sunt: sapor insigniter amarus, odor gravis est. *Flores*, qui singuli, bini aut terni ex alis foliorum Mense Majo & Junio prodeunt, sunt monopetali irregulares, inferius, ubi fructum tenellum continent, turgidi, post fistulosi & tenues sunt, quæ fistulosa portio superius in palæ similem laciniam expanditur. Color Floris flavescens est, quandoque in fuscum inclinans. *Fructus* tenellus, qui in imo reconditur, sessilis est, verticilli fere figura, & intus in sex (quandoque in quinque) loculamenta distinguitur, hunc stipant sex apices bicapsulares flavescentes, pediculis seu staminibus brevioribus e fundo floris exortis nixi. Pollen quod his continetur, flavis constat globulis pusillis. Post casum floris crescit fructus, & per maturitatem, quam autumno consequitur, similis evadit Pyro moschato, quoad figuram & magnitudinem. Tum dehiscunt pericarpii valvæ numero sex, & effunduntur semina, quæ compressa sunt iis duabus superficiebus, quibus sibi incumbunt, candicantia, figuraque Cor, ut vulgo pingitur, referunt.

Absoluta Aristolochiæ clematitidis descriptione, ad *Virtutem ejus medicam* progredior, simul etiam reliquarum specierum Vires paucis percursurus. Apulejus lib. de Virtut. herbarum c. 19. pag. 208. edit. in 4to, & pag. 105. edit. in fol. Aristolochiam tanti facit, ut asserere non vereatur, Medicos sine ea nihil feliciter curare posse; quod Elogium Aristolochiæ rotundæ & longæ eum applicare voluisse, exinde concludendum, cum reliquæ virtutes ibidem adductæ, ab aliis utplurimum hisce duabus speciebus assignentur. Alias ex nominis ratione ἀριστολοχία herba dicta, quod existimetur ἄριστα τοῖς λοχείοις i. e. optima Puerperis, unde communi fere Medicorum suffragio pro Lochiis subsistentibus expurgandis radix Aristolochiæ celebratur; cumque *Aristolochia rotunda* reliquis sit efficacior, & attenuandi virtute

magis præstans, utpote tenuiorum partium, virtus illa huic imprimis adscribenda, quæ hinc etiam κατ' ἐξοχήν & absolute Aristolochia vocatur: unde Sim. Pauli in Quadrip. Bot. p. m. 24. asserit, rotundam semper esse intelligendam, ubi Aristolochia sine epitheto præscribitur: Eadem ratione hæc ipsa quoque menses & secundinas restitantes provocat & expellit, cum virtute emmenagoga uterumque a partu expurgandi insigni valeat; præterea Affectibus etiam pulmonum pro tenaci pituita expectoranda egregie opitulatur, unde Asthmaticis, ipsisque Phthisicis, ut & Vomica pulmonum laborantibus, consulto præscribitur, præter Virtutem uterinam & pulmonicam egregie quoque stomachica est & carminativa, concoctionem ventriculi efficaciter juvans, & ejus dolores depellens, hinc & in Colica & Cardialgia laudatissima. *Aristolochiæ longæ* radix Ulceribus tibiarum cacoëthicis rebellibus consolidandis imprimis infervit, teste Sim. Pauli *l.* c. qui hoc fine solum hujus radicis pulverem in aqua veronicæ decoctum petia excipere & applicare, eoque ulcera lavari curavit optimo cum successu. Hæc ipsa radix fistulis etiam dilatandis & detergendis in forma turundæ intruditur, uti alias radix gentianæ adhiberi solet.

Multas alias harum duarum radicum Virtutes Medici passim recensent & prædicant, ast *de Aristolochiæ clematitidis Virtute* altum ubique fere silentium: modo enim asseritur, eandem in officinas non venire, modo raro in usu occurrere, utpote imbecilliorem; cumque hæc vulgo ab Auctoribus floccipendatur & negligatur, honorem ei jure competentem vindicare & restituere decrevi. Hæc Virtutem antispasmodicam, quam alias Galenus jam rotundæ & longæ attribuit, in excellentiori gradu possidet, quam hæ ipsæ: fibras enim nerveas, membranosas & musculoso tendinosas, a sero pituitoso, acido & bilioso acri tartareo irritatas vi sua blande demulcente dulc-amara solatur, a violenta spasmodica contractione præmunit, ipsosque jam factos spasmos efficaciter depellit. Ex hac ratione radicem Aristolochiæ clematitidis in *Podagra*, affectu mere spasmodi-

modico, in Musculorum fibris & membranis circa articulos variarum partium tyrannidem suam exercente, inveni efficacissimam. Sunt quidem, qui radices Aristolochiæ rotundæ & longæ veræ jam pridem ad furorem podagræ profligandum laudarunt, uti passim in Libris practicis legi potest, & hinc vulgo pilulis antarthriticis prophylacticis Würzburgensium insignis virtus adscribitur; enim vero præterquam quod tædiosa maxime sit pilulas has assumendi Methodus, utpote longo nimis tempore continuanda, hæ pilulæ etiam sæpe sæpius effectum exoptatum non produxerunt; nec in Extracto, Essentia aliisque formulis has radices in Podagra profuisse compertus, utpote alvum magis constipantes quam apertam servantes, & sanguinem nimis & vitiose commoventes. E contrario in radicis Aristolochiæ clematitidis usu Virtutem blande laxantem animadverti, quæ insigne in affectu podagrico beneficium: spasmos etiam in suris pedum podagricorum, imminentem paroxysmum podagricum præsagientes, inde felicissime abactos vidi, ut tales Clinici, quibus antea ob frequentes ejusmodi spasmodicas contractiones fere non amplius ambulare possibile erat, frequenti hujus radicis usu, partim in Extracto & pulvere, partim & imprimis in Essentia, exhibitæ, sine omni impedimento & cum agilitate progredi potuerint: Corrigit enim humores vitiosos, podagram alias producentes, imprimis veró fermentum gastricum mutat, & cum hoc productum morbosum: Radicem enim hujus Morbi in stomacho hærere, indeque ex fermento ejus acri aut acido progerminare, & hinc serum sanguinis vitiosum acre reddi, quod ad plenitudinem congestum circa æquinoctia despumat in Articulos, ibique dolores inferre podagricos, firmiter mihi persuadeo. Unde etiam Essentia radicis Aristolochiæ clematitidis, quam sæpe in usum vocavi, præservative magis confert quam curative; hæc autem Essentia, qua ad præcavendam Podagram felicissime utor, est vel simplex vel composita: Simplex paratur sive cum spiritu vini ex fæcibus Vini destillato, ad gutt. 60. vel 80. mane cum infuso herbæ theæ, circa noctem vel etiam pomeridie

cum Cerevisia sumenda; sive, ubi eandem cochleatim adhibere placet, cum spiritu frumentaceo saltem paranda, qualem mihi Illustr. Dn. Brunnerus, Liber Baro de Brunn, Dominus in Hammerstein, Elector. Palatini Consil. intimus & Archiater primarius, Fautor meus honoratissimus, Anno 1714. die 28. April. Düsseldorffio per literas benevole communicavit hoc modo: ℞ Rad. Aristoloch. long. (die dünnesten und längsten / die dicken seyn nichts nütz) ʒij. Concis. infund. in spiritus ex frumento destill. (Korn-Brandtwein) ℔iij. digerantur per triduum. Dosis cochlearia duo quotidie in lecto per duos mensis, postea hebdomadatim bis per integrum annum, qua Essentia se plures, imprimis temperamento phlegmatico præditos, penitus a podagra liberatos noviſſe asseverabat illustris Vir. Alii eandem essentiam ex aristolochia longa vera cum spiritu juniperi parant, qualem Episcopo Monasterienſi in usu fuisse Celeb. Dn. D. Valentini refert in prax. Med. infallibili pag. 380. aſt priori ex aristol. clematitide paratæ longe cedentem. Compositam cum hac ipsa radice Essentiam sequentem Capitaneus quidam mirando cum effectu adhibuit, qui inde a podagra penitus liberatus, nimirum: ℞. Rad. aristoloch. clematitid. ʒj. baccar. juniper. virid. cum turionibus hujus fruticis Mj. Caryophyll. aromat. integr. Cinamomi acuti grosse diffracti. aa. ʒij. His superfund. Spiritus vini rectif. mensur. unam, stent in loco calido ad sufficientem digestionem. Ingruentibus doloribus podagricis de hac Essentia sumatur cochlear unum mane & vesperi per 3. dies successivos; præservative autem, si quis noviJunio instante de hac ipsa Essentia ʒβ. pro dosi assumat, stupendum experitur effectum, integra hinc gavisurus sanitate. Cumque ordinarie Arthriticorum Sanguis Venæsectione eductus cute alba sit obductus, post Essentiæ aristolochiæ clematitidis continuatum usum, sanguis floridus magis redditur, nullaque amplius cute obductus observatur: ex quo evincitur, sanguinem & serum hinc insigniter corrigi, & Circulationem melius promoveri.

Nullum

Nullum igitur efficacius præſervativum Antipodagricum inveniri poterit, quam hæc ipſa Eſſentia; & parem virtutem radici ariſtolochiæ polyrrhizæ ineſſe credo, quamvis eandem adhuc nondum probaverim. Curative vero magis proficuus Cortex peruvianus, præcedente hinc Tomo Ephemeridum noſtrarum Nat. Curioſ. ſive Centur. IV. Obſ. 170. pag. 383. ſeqq. ut antipodagricum ſine pari a me condecoratus, qui & adhuc ſuas laudes tuetur, & ſe ut egregium antiſpaſmodicum & humorum correctorium gerit.

Folia Ariſtolochiæ Clematitidis Veterinariis pro equorum Ulceribus ſanandis, quibus pulvis eorum inſpergitur, relinquuntur.

Corollarii loco adhuc de pſeudo-ariſtolochia, cava & fabacea, annotare placet, quod cavæ pulvis denudatis oſſibus inſperſus, ea a carie præſervet, horum nimiam humiditatem imbibendo & abſorbendo, ut & acrimoniam ſalinam, recentis carnis generationem impedientem, temperando; fabaceæ etiam pulvis Ulceribus rebellibus, pro iis conſolidandis, utiliter inſpergitur, atque pro eodem uſu pulveribus internis admiſcetur; alias fabacea hæc pro ſpecifico ad guttam roſaceam, a Lobelio autem in Adverſ. p. 339. ut inſigniter anthelmintica prædicatur.

OBSERVATIO LXXXVII.

Dn. D. Godofredi Heldii.

Flores Vitrioli philoſophici, ſive ſal album Alchemiſtarum, vulgo Sal volatile narcoticum Vitrioli Hombergio.

AB omnibus Alchemiam ardenter colentibus, & in Societatem Adeptorum adſcribi volentibus, Regulus Antimonii martialis per Argentum vivum pro amalgamate, i. e. Mercurificatione Reguli vel reductione Reguli in Mercurium currentem, varie tractatus, ut Mercurium philoſophicum, & beneficio hujus introitum in Auguſtum Regis ſive Solis Palatium adipiſcerentur. Alchemici enim ſtatuunt, Ferrum Cœlum omnium

Metallorum, & illius naturam omnibus & singulis Metallis communem esse, eamque imprimis magnam cum perfectissimo Metallorum Auro cognationem habere; Mercurium autem omnium Metallorum materiale principium, & sic inter hæc & illum magnam intercedere amicitiam: hinc Mercurius Metallis facile adhæret, imprimis Saturno, Jovi & Lunæ, ægerrime vero Veneri, Marti autem nullo modo nisi per singulare artificium, teste Gebro Sum. Perfect. Lib. 1. cap. 15. Modum igitur combinandi Regulum Antimonii martialem cum Mercurio anxie quæsiverunt Alchemici, persuasi in prælio Martis & Mercurii heroico nil posse absque Marte Mercurium, uti legitur apud Libav. Syntagm. arcan. chemic. Part III. Lib. 7. cap. 15. pag. 307. Cum vero Regulus Antimonii Martialis cum Mercurio vivo per se amalgamari renuat, varia media quæsita pro amalgamate hocce producendo, sed frustra. Imprimis vero Philalethæ, Anglus, hanc conjunctionem mediante Amalgamatione per Columbas Dianæ fieri statuit, imitatus in hoc Johannem Espagnetum in Arcano Philosophiæ Hermeticæ, ubi de Mercurio philosophico agit, imprimis Canon. 42. Quid autem per illas intellexerit, non manifestavit, hinc Alchemiæ addicti varie inter se de iis disceptarunt, modo per eas intelligendo Argentum cum Alexandro a Suchten, modo Marcasitam; Becherus vero in supplem. II. phys. subterran. thes. chem. VI. p. m. 816. per binas Dianæ Columbas duo Salia, nimirum Sal alkali & urinosum, nonnulli Sal ammoniacum cum nitro, alii Sal tartari, in quo Spiritus tartari & Spiritus Vini rectificatissimus concentrati, quidam Sal Urinæ aut Sal ammoniacum intelligi putant, de quibus prolixe egit B. D. Hertodt in Epistola contra Philalethem ad Ephemerid. Nat. Curios. Collectores perscripta, & in Mangeti Bibliothecæ chemicæ Tom. II. Lib. III. S. III. Subsect. V. pag. 697. seqq. legenda. Quidam præterea cum Argento juxta mentem Suchtenii, dicta Salia simul pro Dianæ Columbis captandis in consortium asciscunt; nonnemo denique per has ipsissimum Philalethæ Mercurium intelligi autumat. Enim vero, quod ultimam opinionem attinet, Philaletha in introitu

apert.

apert. ad occluſ. Regis Palatium, hinc inde, imprimis Cap. VII. p. m. 20. Columbas Dianæ ad Amalgama Reguli Antimonii martialis cum Mercurio requiſitas, a Mercurio ſuo Sophico, quem Aquilam vocat, manifeſte diſtinguit: unde alii ad hunc Mercurificationis laborem non immerito captandis Columbis Dianæ philalethicis ſtudioſe inhiarunt, & Salia reſuſcitativa in uſum vocarunt. Cum vero per ſuperius adducta Salia Chemici ſcopum ſuum non attigerint, tandem inventus eſt Sal Vitrioli Volatilis, ope admixti borracis eliciendus, Alchemicis adeo ſub forma Salis albi quæſitus: quem cum Operi Philalethico maxime adæquatum invenerim, cum & exercitati Alchemici ex Vitriolo ipſo Mercurium elicere norint, ſub titulo Florum Vitrioli Philoſophicorum proponere volui, tanquam Alchemicis, qui ſe Philoſophos κατ' ἐξοχὴν dicunt, pergratum futurum. Primus, quod ſciam, paucis tamen verbis hunc Proceſſum attigit ſupra laudatus Becherus Supplem. II. Phyſ. ſubterran. theſ. Chemic. VI. §. 190. p. m. 791. ex oleo Vitrioli & borrace elaborandum.

Eundem Proceſſum prolixe deſcripſit Dn. Hombergius, Societatis Regiæ Scientiarum Pariſienſis Collega, qui Celſiſſimi Ducis Aurelianenſis, Philippi, nunc in Gallia, minorenni Rege Ludovico XV., Regentis, Chemicus ordinarius, pleraque Curioſa chemica ad Hiſtoriam Academiæ Regiæ Scientiarum laudatam communicavit. Mortuus hic Dn. Hombergius Pariſiis hoc ipſo, ad exitum vergente Anno MDCCXVI. (cui fato etiam hoc ipſo Anno conceſſit inter Chemicos celebris Lemery;) natus erat ex Parentibus Germanis Bataviæ, quæ Civitas antehac Jacatra nominata, ſub Belgis florentiſſima, quorum Catabolum navale ſive Emporium & Clavis eſt in Indiam Orientalem, ſitaque eſt Batavia in Inſularum Aſiaticarum una, Java dicta, unde Dn. Hombergius ſe nominabat Batavia-Javanum; edidit hic præter Elementa chemica, curioſa etiam de Phoſphoro & Lapide Bononienſi Specimina, a quo itidem Phoſphorus inventus, nullum quidem de ſe lumen ſpargens, Aëri tamen libero expoſitus mox inflammabilis, uti refertur in laudata Hiſtoria Academiæ Regiæ

Scien-

Scientiarum Anno 1712. In hac ipsa Historia invenitur etiam Processus de Sale volatili narcotico Vitrioli, & quidem An. MDCCII. pag. 65. seqq. quem ex gallica in latinam Linguam transtulit Dn. D. Rothius, Physicus Blaubyrensis Wirtembergicus, in Medicina portatili pag. 85. seqq. Juxta laudati Domini Hombergii ductum descriptio est sequens:

℞. Colcotharis sive capitis mortui vitrioli post destillationem spiritus ac olei in Retorta residui, atro rubente colore præditi ℔iij. Huic in morrarium lapideum indito affunde Aquæ ferventis mensuras vj. stent in infusione per duas horas, interea sæpius commovendo cum bacillo ligneo, solutionem dein leniter decanta & per chartam emporeticam filtra, sic accipies aquam claram subviridem, quam serva. Seorsim accipe borracis Venetæ subtilissime pulverisatæ ℥ij. inde in Vitrum conservale latioris colli, & affunde aquæ calidæ mensuram unam, cum bacillo ligneo itidem sæpe motitando, ad sufficientem borracis solutionem. Hanc adhuc calidam priori ex Colcothare vitrioli factæ solutioni simul ac semel affundendo commisce, & duas has solutiones mixtas relinque quieti per noctem, quo tempore materia gryseo-flavescens præcipitabitur; postea liquorem hunc per chartam bibulam filtra, & in vasis vitreis evapora ad Cuticulam usque. Remanentem liquorem ex Cucurbita vitrea octo pollicum alta, applicato Alembico cum parvo Recipiente, destilla per lenem ignem arenæ ad siccitatem usque. Omnis liquor abstractus insipidus seponatur, exceptis ultimis ℥iv. prolectis saporis acidi; humiditate deficiente, aucto igne arenæ, ascendent Flores Vitrioli nivei seu coloris argentei, qui tam Cucurbitæ quam Alembico adhærentes colligi debent vasis refrigeratis. Prima vice parum eorum colliges, unde Colcothari Vitrioli remanenti iterum postremam aquam elicitam unciarum quatuor acidulam affunde, destilla ut prius, eliciendo eandem aquam, & sublimando novos flores; Colcothar hoc cum aqua Unciarum quatuor acidula nutritum, adhuc per 6. vel plura Cohobia destillatione & sublimatione tractare studeas, & flores copiosiores acqui-

acquires, quos inter duas chartas comprimendo, egregio argenteo nitore fulgere conspicies; indantur dein in vitrum vel scatulam ligneam, & serventur in loco sicco. Per hunc methodo Hombergii elaboratum Processum prima vice vix ultra ʒj. acquires, & in reliquis Cohobiis parum proficies; sin autem loco Colcotharis vitrioli communis, illud ex vitriolo martis a spiritu destillato remanens impendas, & per omnia uti in præcedentibus procedas, duplum florum, & quidem prima vice ultra drachmas duas, & sequentibus cohobiis duplo plus quam Hombergiana destillatione acquires. His floribus si certa & circumspecta encheiresi Regulum Antimonii martialem fluidifices, nec non Mercurium his ipsis subjuges, longe potentius opus tuum perficies, & Mercurium martis legitimum obtinebis. Borrax enim quibuscunque corporibus metallicis arte quadam mista, illa volatilia reddit: unde ea ad Fusiones & explorandas Mineras metallicas utuntur Metallurgi. Flores vitrioli philosophici, præterquam quod Processui Philalethico ad Mercurium Sophicum producendum utiliter impendantur, in Medicina etiam insignem virtutem anodynam exhibent, in sedandis doloribus & Agrypnia arcenda, unde a Dn. Hombergio Sal volatile narcoticum appellati; ab eo autem nonnisi ad deliria in febribus malignis & tumultus in iis sedandos commendantur; majores tamen & plures virtutes in his ipsis floribus observavi, nimirum eos antispasmodicum & anodynum exhibere fere divinum, & insigniter prodesse in doloribus capitis, dentium, aurium, affectibus arthriticis, Calculo renum, pleuritide, ophthalmia, phrenitide, Convulsionibus, Singultu, Epilepsia ipsa; ubicunque nimirum dolores, inflammationes, imprimis vero irritationes nervorum, Clinicos affligunt, ut hinc non semper opus habeamus stupefactivo Turcorum Opio: hoc ipsum enim Sal nunquam noxiam narcosin, sed saltem blandum somnum cum εὐφορίᾳ induxisse observatum est. Dosis gr. iij. vj. viij. ad ℈ß. in vehiculo calido.

OBSERVATIO LXXXVIII.

Dn. D. Godofredi Heldii.

Mars, Viginum chloroticarum Solatium.

MArtem in proxime præcedenti observatione ad opus aurificum necessarium adduxi, in præsenti adhuc virtutem ejus medicam prædicaturus; imitari sic volens Martem hoc ipso Anno, ad finem nunc properante, super infideles, fœdifragos & infensissimos Christianorum hostes Turcas triumphantem per Arma Augustissimi & Invictissimi Imperatoris nostri, Caroli VIti, Pii, Magni, Felicis glorioſissima; Duce fortissimo, Serenissimo Eugenio, Sabaudiæ Principe, Triumphatore perpetuo; queis duplici victoria memorabili truculenti Saracenorum bellatores prostrati, primo Exercitu eorum ad Carlovizium & Petrovaradinum die 5. Augusti funditus deleto, dein fortalitio Temeswaro, alias pro invincibili a Turcis habito, die 12. Octobris fortiter expugnato.

Sic DEUS infidos cœlesti fulmine Turcos,
Cæsaris Eugenio sub Duce, stravit humi.
Arma triumphantis CAROLI faustissima semper
Vincant, sit felix CAESARIS EUGENIUS.

Marti Heroico & bellicoso nunc succedat medicus, sive Ferrum, Metallum ad imperfecta quidem respectu auri & argenti relatum, in suo tamen genere satis perfectum, utpote principiis suis constitutivis sufficienter dotatum. Est autem Ferrum, Martis Cognomine, vel sibi relictum, in officinis fusoriis ex lapidibus minerisve martialibus excoctum, quale olim in Maris Thusci Insula Elba copiose reperiebatur, hodie vero passim in Sylva Hercynia, Thuringiaca, imprimis etiam in Monte nostro pinifero, & quidem tenacissimum & præstantissimum, item in Regione Saxoniæ superioris, ut & prope Sulam &c. eruitur: vel solidius & purius redditum, *Chalybis* nomine veniens, isque iterum duplex, *vel naturalis*, ex mineris chalybeatis intra ferri fodinas, in confinio

finio quandoque magnetis reperiundis, depromptus, qualis olim penes Chalybonem, celebre Assyriæ emporium effodiebatur; *vel artificialis*, ex ferro purissimo, Metallurgis theil dicto, cum Cornibus aut ungulis boum, & Carbonibus faginis, addito etiam alumine plumoso parum, facto S.S.S. cæmentando & calcinando: talis hodie imprimis Smalcaldiæ, in Styria & Carinthia in copia parari solet, qualem etiam Processum egregium possideo.

Martis sive ferri partes constitutivas quod attinet, deprehenduntur in eo Mercurius paucus, Sulphur plurimum fixum, & Sal vitriolaceum cum materia terrestri copiosa permixtum.

Quoad usum, Ferrum frequentissime tam ad usus mechanicos & bellicos, quam etiam medicos adhiberi consuevit, & sic modo ad perdendos, modo ad conservandos homines inservit, unde Bechero Physic. subterran. Lib. I. Sect. VI. pag. m. 511. optimum pessimumque vitæ Instrumentum vocatur.

De usu Martis mechanico prolixe agere non est hujus loci, nec nostri instituti; maxime cum eum satis superque exposuerit D. Nicolaus Monardus, Medicus Hispanus, in suo Dialogo de ferro & ejus facultatibus, quem Carolus Clusius latine, & D. Jeremias Gesnerus, Boleslaus Silesius Germanice reddidit, multumque auxit.

Hoc loco saltem usum ferri medicum persequi libet, qui primario & per se ad reserandas Viscerum, Vasorum & tubulorum glanduloforum obstructiones inservit, unde non immerito a quibusdam aperientium apex salutatur; adstringentem vero vim non, nisi per accidens, vel ex præparatione in Crocis, vel humoribus stypticis, in primis viis existentibus, nanciscitur: Contraria enim, juxta Aristotelem aliosque Philosophos, simul in uno eodemque subjecto & individuo esse nequeunt. Unde licet Mars duplicem in Mensibus effectum edat, partim eos subsistentes promovendo, partim nimium fluentes retardando & inhibendo, duplex tamen hic effectus ex unico aperiendi principio derivari potest, vel humores lentos incidendo & resolvendo, & sic vascula obstru-

ta referando, vel illorum acrimoniam stimulantem acido-bilioſam corrigendo, ſaturando & præcipitando, ſimulque fibras motrices roborando. Accedit, quod in hæmorrhagiis uterinis & aliis adſtringentia nunquam profuiſſe viderim: vaſcula enim venarum uno in loco contrahendo, alibi ſanguinem magis promovent, & ſic hæmorrhagias non ſiſtunt, ſed potius augent; magis vero tunc profeci, Sanguinis Orgaſmum mitigando per nitroſa, camphorata, C. C. uſtum, corallia, additis opiatis: vel etiam aciduli, tincturis papav. rhæados, bellidis, roſarum, cum phlegmate vitrioli, adhibitis: quo caſu etiam Sperniola Crollii egregia, non adſtringendo, ſed potius aperiendo agens; ſic experientia celebris cujusdam Medici in Menſium nimio fluxu Tinctura Tartari, licet aperiens, proficua deprehenſa: unde in hoc affectu non tam adſtringentibus uti convenit, quam aperientibus balſamicis, quæ ſanguinem in ordinem redigunt, & ſimul roborant fibras. Taceo pertinacem hæmorrhagiam narium purgante prohibitam a Boneto, uti teſtatur in Medicina Septentrionali Lib. 24. cap. 32.

Aperiendi autem ſcopo Mars ad obſtructiones Lienis, Hepatis, Pancreatis, Meſenterii aliarumque glandularum, in uſum vocatur, & conducit in Affectibus hypochondriacis, melancholicis, ictericis &c. frequentiſſimi tamen uſus eſt in Cachexia tam ſimplici in genere, quam in ſpecie *in Cachexia Virginum ſive Chloroſi*, vulgo febris alba Virginum, febris amatoria, & morbus virgineus vocata, Gallis pales couleurs, Germ. Die Bleichſucht / die blaſſe Kranckheit / das weiſſe Jungfern-Fieber / das Liebes-Fieber. Cum huic morbo Martem ſummie proficuum deprehenderimus, paucis de hoc agemus.

Chloroſis eſt virginum viriporentium Cachexia, cum pallido totius corporis, imprimis vero faciei colore, laſſitudine, virium languore & gravitate omnium membrorum, Cephalalgia, palpitatione Cordis, dyſpnæa imprimis in aſcenſu ſcalarum aliorumque acclivium, Appetitu proſtrato vel aucto, dolore ſtomachi, menſium imminutione vel defectu, aliisque ſymptomatibus ſtipata; in progreſſu morbi non raro inflatio faciei & totius corporis

poris habitus, frequenter vero tumor pedum œdematoſus jungitur, ſicque degenerat in Cachexiam veram.

Chloroſis quoad cauſam provenit ex pravis humoribus, in Ventriculo & inteſtinis tenuibus collectis Chylum corrumpentibus, ut hic vel pituitoſus, vel bile vitioſa, vel acido morboſo inquinatus per vaſa lactea tranſeat, ſanguini admiſceatur, qui inde ſeroſus, crudus, viſcidus, acris, naturæ inimicus evadit, & ſuppreſſa parte balſamica lenteſcit, unde, obſtructis in ſpecie vaſis uterinis, præſto adeſt Menſium ſuppreſſio, ex qua utplurimum Chloroſis enaſcitur.

In Curatione hujus Mali Cõnjugium quidem eſſet optimum, unde pallidæ ejusmodi virgines, & fœdis coloribus deformes, utplurimum pulchriores redduntur, roſeo nativo colore in facie emicante, ut hinc apud Germanos verum habeatur dicterium:

Garſtige Jungfern/ ſchöne Weiber.

Aſt cum omnibus Virginibus non liceat eſſe tam felicibus, ut Conjugium inire poſſint, eo denegato, obſtructiones Vaſorum reſerandæ, humores pituitoſo-acidi cum bile vitioſa in primis viis & Maſſa ſanguinea corrigendi & evacuandi, menſesque ſubſiſtentes vel plane ſuppreſſi revocandi.

Hæc omnia feliciſſime expedit Cura Martis rite inſtituta.

Mars autem ſub variis formis hic adhibetur.

℞ plurimis Limatura martis cruda, in mortario ferreo vel lapideo ſive porphyrite bene trita, & in ſubtiliſſimum pollinem ſeu alcohol redacta eligitur. Enim vero, mihi limatura chalybis, dicto modo tractata, magis probatur quam ferri, cum chalybs per alkalia paratus, eo majori aperiendi Virture gaudeat; poterit tamen & limatura martis adhiberi, modo fina & pura ſit, ab omni veneris commercio libera, unde magneſiata omnium optime in uſum trahitur.

Limatura chalybis adhibetur vel ſola, bene lævigata, vel cum ſiliquæ dulcis æqual. part. (ad diſcontinuandas chalybis particulas) permixta, more Illuſtris Baronis de Brunn ſupra

jam laudati, uti legi potest in curiosa & vere practica dissertatione inaugurali Dn. Bernhardi Wepferi, Helvet. de Medicamentis chalybeatis, sub præsidio Celeb. Dn. D. Nebelii, P. P. Heidelb. & Serenissi. Elect. Palatini Medici Aulici, Fautoris & Amici mei integerrimi, Anno 1711. Heidelbergæ habita. Alii pro Cura martis pulverem ex duabus partibus limaturæ martis alcoholisatæ, parte una pulv. siliquæ dulcis cum pauco Cinamomo componunt; a nonnullis limatura ferri vel chalybis subtilissime lævigata & per linteum trajecta, cum ol. destillato, e.g. Caryophyll. cinamom. meliss. cort. aurant. anthos &c. irrorata adhiberi solet.

Semper tamen observandum, ut Curæ ejusmodi martiali præmittatur lene purgans, vel etiam pro re nata, si cruditates in primis viis adsint, Emeticum. Uno ex his duobus præmisso, exhibeatur limatura martis vel chalybis sequentem in modum:

prima die	℈ß. gr. XV.	ad	℈j.	Cum pulv. rad. gialapp. gr. vj. viij. vel ℈ß. pro modulo operationis & tolerantia naturæ cum vel sine oleo destillato.
secunda --	gr. xij --	17. --	gr. xxij.	
tertia ---	gr. xiv. -	19. --	24.	
quarta ---	16. --	21. ---	26.	
quinta ---	18. --	23. ---	28.	

Hoc modo, si mars primis diebus cum laxante jungatur, anxietas præcordialis, nausea, ructus nidorosi, Colica & Cardialgia, quæ alias a limatura martis solitarie exhibita primis diebus exoriri, & ægrotas mirum in modum angere solent, optime præcaventur, & excrementa nigra, indicio bonæ operationis, sine mora excernuntur, modo lenis semper motus post assumptionem instituatur.

Sequentibus diebus limaturæ ultima dosis diei quintæ exhibeatur, sine radice gialappæ, continuando eandem ad dies X. XV. XX. vel XXX. pro tolerantia ægrotæ; si etiam Clinica non nimis teneræ texturæ, sed sat robusta sit, eandem dosin circa vesperam, hora quinta reperere possumus. Absoluta summa dosi, adhuc per quinque dies uti prius ascendendo, ita

nunc

nunc descendendo ad finem Curæ progredimur, eique demum purgante colophonem imponimus. Pro vehiculo pulveris aqua quædam emmenagoga, e.g. meliss. puleg. artemis. &c. adhiberi potest. In ipsa Cura etiam pro re nata, stomachicum exhibeatur.

Nec *Croci martis aperitivi* laude sua privandi, quo tamen titulo indigni cum acidis parati, ut & Crocus martis sulphuratus: tales enim vitriolum in marte magis stypticum reddunt; melius vero hoc nomine insigniendi ex limatura martis subtilissime trita, & in vase terreo vitreato sæpius Rore majali, aqua pluviali vel tonitruali humectata, iterumque exsiccata, donec in Crocum abeat, vel tantum Aeri exposita, parati. Ad aperientium Classem merito etiam refertur Crocus Martis aperitivus cum salibus B. D. Michaelis, & Zwelfferi cum nitro paratus, quem Crocum martis cachecticum appellat. Sic egregius etiam est Crocus martis aperitivus cum Urina factus, cujus meminit Joannes Conr. Barchusen in pyrosophia pag. 170. cujusmodi etiam in praxi sua, summo cum successu adhiberi solitus est Dn. D. Huthius, celebris Medicus Friedbergæ in Wetteravia, qui Crocus martis in Cachexia quavis, imprimis Chlorosi, nec non malo hypochondriaco & Melancholia, imo ad ipsum Hydropem est præstantissimus, alvum semper apertam servans. Et tales Croci martis aperitivi cum pulveribus etiam cachecticis feliciter in Affectu præsenti adhibentur.

Egregie hic etiam se gerunt Tincturæ martiales, quas inter imprimis laudari meretur Tinctura martis helleborata Illustr. Wedelii, Sacræ Cæsar. & Cathol. Majest. ac Serenissimorum Saxoniæ Ducum Consiliarii & Archiatri, Professoris Jenensis Celeberrimi, quam tincturam filii ejus dissertatione peculiari ventilarunt Jenæ Anno 1695. eandem tamen carissimus horum Parens, ante laudatus, multis mihi nominibus venerandus, compendiosiorem obtineri posse communi cum Tinctura martis Cydoniata processu, & confermentatione cum fibris hellebori nigri veri Styriaci, asseruit in Compendio Chemiæ pag. 169. Egregiam quo-

que

que laudem hic acquisivit *Tinctura martis cærulea sive Ess. salis ammoniaci martialis Dn. D. Etneri*, qui ejus descriptionem satis prolixam communicavit in Manibus Poterianis, quæ tamen compendiosius hoc modo parari potest:

℞. Limatur. martis ʒij. Sal. ammoniaci ʒj. M. & irror. cum aqua pluviali, exsicc. & iterum irror. & sicca, idque ter vel quater repetatur, deinde reverb. per horam unam & fiat Crocus. ℞. Hujus Croci ʒj. Sal. ammoniaci, Sal. tartari s. ciner. clavell. aa. ʒij. M. superfund. Spir. vini ʒiiij. Spir. sal. ammoniaci cum Sale tartari facti ʒj. & sic Tinctura hæc erit parata: de qua notandum: 1. quod inter miscendum jam tingatur, & intra hor. 2. vel. 3. perfectum Colorem acquirat. 2. cum Spir. salis ammoniaci cum Calce viva parato non procedit, & cæruleus color non acquiritur. His duabus Tincturis jungi possunt Tinctura martis cydoniata & pomata, addito impr. Spir. salis ammoniaci vinoso, & ol. quodam stillatitio ex superioribus; item Tinctura Metallorum cum Regulo antimonii martiali parata, ut & Tinctura martis cum vino malvatico, &c.

Non minorem efficaciam deprehendi *in infusis seu Vinis chalybeatis* & martialibus, imprimis si pro clave martis addatur Tartarus & saccharum: quale infusum ad imitationem infusi emmenagogi, prius ab Excell. Wepfero longo usu probatum, & a Celeb. D. Screta in Tract. de febre castrensi maligna pag. 218. descriptum, additis aromaticis, hoc Anno in Virgine Gallica, Chlorosi ex defectu Mensium laborante, & in toto corporis habitu tumente cum respiratione difficili, valde proficuum expertus sum hoc modo ordinatum;

℞. Herb. meliss. puleg. rorismar. aa. Mj. menth. Mß. Sacch. albiss. limatur. chalyb. finiss. aa. ʒij. flaved. cort. aurant. & citri, rhabarbar. elect. a ʒß. Costi Arab. ver. Cinamom. acut. aa. ʒiij. macis, Caryophyll. aromat. aa. ʒiß. Croci Austriac. ʒj. salis absinth. & card. bened. aa. ʒij. incis. & contus. affund. Aqu. meliss. s. v. Vini alb. opt. aa. mensur. j. vel. Wij. stent in digest. per 2. dies & noctes, filtratione hinc per chart. empor. fact. D. S.

Eröffnen

Eröffnender Stahlwein Morgens und Nachmittage ein Weinglaß voll zu nehmen. Simul etiam poſt prandium & cœnam aſſumebat mixturam ex Elix. aperitiv. Clauder. cum ſale volat. oleoſ. & Spir. Caſtor. Londinenſ. compoſ. pro doſi gutt. 60. cum vino. Unde Menſium fluxus rediit, detumuit ægra, color pallidus in rubellum mutabatur, & reſpiratio liberior evadebat, imo ſanitas exoptata revertebatur. Omnium vero efficaciſſimum in Virginibus chloroticis, præmiſſo purgante, deprehendi Vinum martiatum ſequens: nimirum ſolea ferrea, (Hufeiſen) Equi Maris ſive admiſſarii (eines Hengſts) poſteriori dextro pedi jam ab aliquo tempore inducta, abhinc avellatur, cum omnibus ſordibus equinis igniatur, & ignita in Vini boni menſura una extinguatur: ſtent ita per 24. horas in vaſe bene clauſo, tempore hoc elapſo ſolea ferrea ex vino eximatur, & hoc per ſindonem teneram vel linteum coletur; de vino ita parato mane & circa veſperam Vitrum vinarium ebibat virgo chlorotica, & lenem motum inſtituat, unde mirandum effectum experietur, & Chloroſis cum omnibus Symptomatibus concurrentibus certiſſime abigetur. Vini menſura una exhauſta, nec malo omni ſuperato, ſolea Caballi adhuc ſemel igniri, in menſura vini extingui, & percolatum Vinum ut antea in uſum vocari poteſt, non fruſtraneo certe effectu; idque cum eadem ſolea adhuc tertia vice fieri poteſt. Poſt ſufficientem uſum, ſolea Equi Ungulæ, cui erat avulſa, induci iterum poteſt. Et hæc eſt Cura chloroſeos expertiſſima, a me multoties, exoptato ſemper cum effectu ordinata. Diæta tamen conveniens probe ſimul obſervetur, ne ejusmodi Virgines frigori ſe exponant, vel lotiones cum aquis frigidis inſtituant; cibi ſint coctu faciles, Vinum non intermittant, Cereviſia moderate bibatur, vitandus vero omnis potus frigidus; Lacticinia, acida, placentæ, ova dura, & omnia flatulenta ſedulo vitentur; motus ſit moderatus; ſomno, triſtitiæ & curis non indulgeant nimis, ſed potius ſe ad hilaritatem componant.

Coronidis loco adhuc curam ab Amico mihi pro Virginibus chloroticis & fluore albo tanquam expertissimam communicatam annectere placet:

1. ℞. Mass. pil. fœtid. major. ℈j. Extract. trifol. fibrin. artemis. aa. gr. v. hellebor. nigr. trochisc. alhand. aa. ℈ß. gumm. ammoniac. solut. ℈j. resin. jalapp. gr. xv. ol. anthos gutt. iij. M. f. pilul. gr. j. ad pond. D. ad scat. consperf. c. antim. nativ. præpar. S. Laxir-Pillen / alle 8. Tage davon 15. des Morgens frühe einzunehmen / und warme Fleisch-Brühe darauf zu trincken.

2. ℞. Chalyb. crud. subtil. pulverisat. vel limat. ʒiij. rad. ari pulverisat. ʒj. lap. cancr. præpar. ℈ij. salis artemis. card. bened. aa. ℈j. Cass. lign. ʒß. Cinamom. ℈j. sacchar. pulverisat. ʒiij. ad ʒß M. f. pulv. subtil. D. ad scat. S. Pulver / alle Morgen und Abends um 5. Uhr 2. gute Messer-Spitzen voll in warmer Brüh zu nehmen.

3. ℞. Ess. myrrh. ʒiß. Tinctura martis pomat. ʒvj. M. S. Essenz, 40. Tropffen täglich zweymal vor der Mahlzeit in einem Löffel mit Suppen einzunehmen. Hæc Medicamenta per 3. vel 4. hebdomadas continuentur, observata simul bona Diæta.

Barutho Noribergam d. 29. Decembr. 1716. missa.

OBSERVATIO LXXXIX.

Dn. D. Joh. Guilelmi Widmanni.

De Colica gravissima spasmodica cum intestini jejuni incarceratione.

AD obeundas in usum totius humani corporis machinæ, utpote in qua omnia egregie admodum conspirant, sensus motusque multiplices functiones, omnibus ac singulis ejusdem partibus, præter alia ad vitam atque nutritionem necessaria vasa, & nervis divinus conditor prospexit. Quo magis autem constat, quot quantisque morbis quævis humani corporis particula exposita sit, eo minus mirum videtur, quod & illi præter ma-

ter naturam diversimode afficiantur, quando nimirum cum ipsis, ad quas proficiscuntur partibus & membris, animo licet præsente, præter tamen voluntatem distenduntur, obrigescunt, aut cum vehementissimo sæpius dolore mire contrahuntur ac distorquentur, unde tam multiplicia convulsionum, incantationis etiam speciem quandoque præ se ferentium, atque omnes spectatores in summam admirationem rapientium contingunt genera, aliique gravissimi, quos vix humanum consilium assequi, nec Chironia etiam manus tollere valet, affectus, quorum ordini jure meritoque accenseri poterit gravissima illa Colica spasmodica seu convulsiva, atrocissimis stipata symptomatibus, atque tandem notabilem intestini in partem proximam ingressum producens, quam in virgine quadam honesta observavimus. Hæc namque, postquam a prima fere juventute dolovibus vagis artuum, atque imprimis ventriculi spasmis sæpius tentata fuisset, gravissimis tandem Colicæ spasmodicæ paroxysmis correpta fuit, sæpius revertentibus, atque per aliquot menses sæpius continuo fere cruciatu ægram angentibus. Ejusmodi prioris mali, quod altas jam egerat radices, nova exacerbatio mense Augusti. Anno 1715. ipsam rursus invasit, cum doloribus lancinantibus, lacerantibus omnisque generis aliis maxime acerbis enatis a fibrarum intestinalium atque plexuum mesenterii nerveorum spasmodica contractione atque tensione vehementissima, tanta quidem, ut ipse umbilicus introrsum traheretur, inque ejus regione fovea conspicua relinqueretur, quamvis ab oberrantibus in intestinorum canali flatibus, cum spasmis omnem hanc tragœdiam ludentibus, abdomen mox rursus instar tympani valde expansi tenderetur, atque juxta intestini coli tractum in plures tumores locum subinde mutantes, & ipsas modo dicti intestini cellulas ab extra detegentes elevaretur. Silentio autem neutiquam prætereunda est illa protuberantia fixum in ileo sinistro cum dolore fixo servans locum, quam ab incarceratis flatibus induratisque alvi scybalis deducebam; alvus enim ab octiduo pertinacissime erat constipata, nec ulla flatuum

tuum eveniebat eruptio, quin potius vehementia mali atque diuturnitate, inteſtinorum ſpaſmis magis magisque auctis, atque eorundem motu periſtaltico inverſo, eructationes crebriores, conatus vomendi, ipſique vomitus ſupervenirent fere continui, ſub quibus cum bile multa quicquid tum alimentoſi tum medicamentoſi modo propinatum fuit, ſtatim rejiceretur. Accedebant dolores vagi artuum extremorum cum digitorum manuum contraxionibus pertinaciſſimis. In conſilium tunc, & prima quidem vice vocatus, ægram propter vehementiam dolorum, præ quibus nec per minimum temporis momentum levamen aliquod habere potuit, in ſumma virium proſtratione decumbentem & morti proximam offendi. Spiritum tamen adhuc ducenti medicamenta tum interna tum externa præſcripſi, quibus divina favente gratia, tantum profecimus, ut ſequente die dolores illi & ſpaſmi maxime hactenus urgentes multum jam mitigati, vomitusque plane ſopiti eſſent, quinimo vix elapſo quatridui ſpatio Patiens noſtra, ab omnibus doloribus, ſi illum excipias in ſiniſtro ileo quaſi infixum, ulceratæ partis ſenſum jam exhibentem, immunis noctes duceret quietas & per hauſta cum appetitu juſcula multum jam refecta eſſet, indies in reconvaleſcentiæ ſtadio egregie perrexit, ita ut lecto valedicens ultra quatuordecim dies optime haberet, viresque in tantum recuperaſſet, ut propediem in publicum prodeundi animus ipſi fuerit. Verum enim vero metus, quem dolor ille in ileo ſiniſtro fixus ad inguina usque protenſus mitigatus quidem, ſæpius tamen recrudeſcens, mihi injiciebat, anguem ibi in herba latere, haud erat inanis: commiſſo enim in diæta errore & frigore admiſſo externo novus prioris mali paroxysmus uno quaſi impetu & ſubito noſtram prehendit, cum ſymptomatibus ſupra allegatis omnibus ad extremum usque gradum urgentibus. Tantum itaque abfuit, ut feliciſſimo cum ſucceſſu nuper propinata medicamenta in uſum revocata parem hac vice ediderint effectum, ut potius nec ſuperadditis aliis pluribus ullas atrociſſimorum dolorum procurare potueri-

mus

mus inducias; spasmi e contra magis magisque intendebantur, atque extremorum artuum, imprimis superiorum contractiones tantæ erant, ut extensa modo, modo flexa atque distorta plane membra facilius fregeris, quam ad naturalem figuram reduxeris, quinimo ipsi nervi & musculorum tendines ad tactus & visus sensum plus ipsis arteriis pulsaverint atque subsilierint, cum secuturarum universalium convulsionum metu, quemadmodum continuus ardoris sensus, & præcordiales anxietates interna uri, adeoque de gangræna tandem superventura satis superque testabatur, utpote qua ægra, accedente singultu, sudore frigido aliisque instantis mortis, quæ sola acerbitatem morbi adimere potuit, prodromis, postquam per integrum octiduum cruciatus atrociissimos, ne per minimum temporis momentum remittentes, immota animi constantia, & nunquam vacillante patientia pertulerit, placide expirans interiit.

Cum autem morbum istum gravissimum aliquid monstri alere, penitus semper fuerim persuasus, impetrata ab adstantibus consanguineis venia exanimatum corpus dissecui. Aperta igitur abdominis cavitate, lividus non tantum intestinorum ipsiusque mesenterii color, & venæ ad partes istas excurrentes sanguine turgidæ, atrovirescentes, jamque incrementum capiens putredo de gangræna, quæ tragœdiæ finem imposuerat, nos certiores reddebant, sed & aliud peculiaris seu præternaturalis quidpiam statim nostro sese offerebat conspectui: Excurrens namque per ileum sinistrum intestini coli portio ex situ suo naturali nonnihil deturbata atque versus lumbos repressa deprehendebatur, a superincumbente, ejusdemque locum occupante portione intestini cujusdam tenuioris & quidem jejuni, eum tamen in modum extensi, ut consuetam capacitatem plus duplo superaret. Distenta præter naturam hæc intestini portio infra ventriculum statim situm suum obtinens, non tantum in cavitatem pelvis usque protendebatur, sed & ibidem in arcum infra vesicam & uterum intestino recto incumbentem inflexa in altero, dextro scilicet latere juxta intestinum colon rursus ascendebat, do-

nec tandem anguſtior & naturali ſimilis redditus illius inteſtini canalis juxta conſuetam naturæ legem in ſuos gyros inflecteretur, Partem autem iſtius dimidiam (Tab... Fig.I.E.F.)ad pelvim usque extenſam aliud quoddam corpus in ſinu fovere, qua viſus, qua tactus ſtatim comprobabant, reliqua vero in arcum inflexa & per dextrum latus aſcendens portio (F.G.) vacua deprehendebatur. Omnibus tandem, quæ inteſtinum p. n. conſtitutum accuratius examinanti impedimento eſſe poſſent, ea tamen cum cautela, ut ejusdem ſitus ne minimum quidem turbaretur aut mutaretur, remotis, ipſe volvulus ſive inteſtini incarceratio mox detegebatur, ſub ventriculo, (A) cum annexo inteſtino duodeno (B) juxta naturam ſe habente, circa jejuni initium ſuum obtinens principium, (C) hic namque coarctatæ modo dicti inteſtini partis in aliam ſolito magis expanſam ipſam involventem, & poſthæc inferiora verſus rurſus reflexam atque deſcendentem (E.F) cum meſenterio (D) introrſum tracto, ingreſſum manifeſte ſatis diſtinguere licuit. Diſſecto autem ex parte inteſtino illo præter naturam dilatato, (E.F.) indeque enatis parietibus (H.H.) reclinatis, abſcondita antea, non ſine noſtro ſtupore in conſpectum veniebat, longitudine pedem geometricum excedens ejusdem inteſtini jejuni portio (I.K.) inverſa, ita ut in ſtatu naturali interna exiſtens iſtius canalis ſuperficies hic externam fingeret, & contra, id quod eminentes valvuloſæ productiones (L.L.L.) ſtatim indicabant. In extremitate hujus præternaturaliter quoque diſtenti, livido colore tetri, figuraque ſua ob elevatas & tumentes valvulas erucam rugoſam quaſi referentis, horridi ſane aſpectus, inteſtini oſtium (M.) notabam in illum canalem, (E.F.) qui extimum formabat involucrum, ex parte jam diſſectum, hians, per inverſionem atque ſurſum tendentem reflexionem hujus ipſius inteſtini portionis (K.I.) medium locum occupantis effectum. Occultatum namque erat in hujus ſinu aliud adhuc, & tertium quidem ejusdem inteſtini fragmentum, quod diſſecto illo canali medio I.K. (Tab... Fig.11 i.K.) cum annexa meſenterii parte convoluta & corrugata haud exigua (O.)

in

Tab XV. pag. 382.

Obsery. LXXXIX. Cent. VI.

Fig. I.

Fig II



in conspectum demum venit. (N.) Hæc ipsa intima & suprema jejuni portio (N.) per incarcerationem illam multum licet coarctata & compressa, pervia tamen erat, immissum namque in modo dictum ostium, (M.) stylum exploratorium in intestini duodeni cavum usque adigere licuit, sopitis itaque nuper contractionibus spasmodicis atque flatibus eductis, sicque cessante extra Paroxysmum intestini istius strangulatione transitus quoque aliqualis assumtis liquidioribus, jusculis scilicet consummatis, quibus solis ægram nutriri curaveram, patebat, per peculiare illud orificium (M.) ab inversione præter naturali intestini formatum, in extimum canalem immediate delabentibus, intestinorum motus peristaltici virtute ulterius postea propulsis. Cum autem longus admodum infra descriptam modo invaginationem pergens intestini tractus (F. G.) vacuus plane, multum tamen præter naturam ampliatus fuerit, quæstio oriri posset: An forte ipse volvulus longius jam antea productus, inducias servantibus intestinorum spasmis, atque eorundem motu peristaltico restituto tum temporis, quo ægra instar sani hominis degebat, non nihil diminutus fuerit, adeoque nisi ex commissis circa res nonnaturales erroribus novus paroxysmus supervenisset, dissolvi tandem atque penitus enodari potuerit, id quod tamen vix ausim statuere.

OBSERVATIO XC.

Dn. D. Joh. Guilielmi Widmanni.

Pulmones fœtus in utero materno extincti, ex parte aquæ innatantes, ex parte subsidentes.

EXecrandum illud maleficorum principium: Si feciſti nega, eos, quibus justitia curæ erat cordique, impulit, ut varia excogitarent inquisitionis remedia, quæ vel culpam vel innocentiam ex variis indiciis atque circumstantiis delicti suspectorum detegerent. Referre huc licebit judicium, quod de fœtus clandestino partu excluſi dignoscenda vitalitate ex pulmonum aquæ injecto-

injectorum vel subsidentia, vel innatatione desumsit veneranda antiquitas, quando nimirum pulmonibus aquæ superficiei innatantibus infanticidii suspectam matrem ream, iis vero ad fundum vasis, subsidentibus, insontem ipsam judicarent Doctores. Serum enim vero, quam infirmo hæc nitantur fundamento, prolixius demonstrare, supervacuum omnino foret, cum contrarium fulgens illud universitatis Tubingensis sidus Excell. D.D. Zellerus rationibus & experimentis clare nos edocuerit, nec non venerandus ille Lipsiensium Æsculapius, celeberrimus Bohnius in medicina sua forensi illationem illam incertam atque fallacem solidis suffultus argumentis, pronunciaverit. Subjungere saltem animus est, observationem quandam eandem corroborantem sententiam: Fœtus nimirum cujusdam in matris in partu tum ex angustia viarum, tum ex mole fœtus prægrandi reddito laboriosissimo, sub obstetricum, extrema etiam necessitate urgente sæpius sibi solis nimium fidentium cura demortuæ utero sepulti pulmones cum examinarem, atque aquæ immergerem, eorum portio quædam ad fundum mox tendebat, quam tamen mediis in aquis jucundo admodum spectaculo suspensam tenebat, pars residua in aquæ superficie fluctuans, quid quod resectorum unius ejusdemque lobi fragmentorum alia aquæ horizontaliter innatarent, alia plumbi instar fundum statim peterent, prout nimirum spongiosæ jam magis, vel compactioris adhuc viderentur esse substantiæ. Hujus autem curiosi phænomeni ratio aëri debebatur, quæ sub parturiendi extremis conatibus, quamvis fœtus cranium, ossa pubis & ischii inter instar cunei adeo firmiter infixum hærens, ut nonnisi maxima vi peracta sectione extrahi potuerit, totum vaginæ ambitum arctissime obstruxerit, in uteri cavitatem irruebat, utque adeo fœtus ille in uteri ergastulo adhuc deliteſcens respirare cœperit.

OBSER-

OBSERVATIO XCI.

Dn. D. Joh. Guilelmi Widmanni.

Foramen cordis ovale in Juvene 20. annorum adhuc patens.

Fœtus in utero materno, utpote primo ſuo hoſpitio adhuc detenti pulmones cum otioſi ſint, nullumque uti in adultis ad ſanguinis circulationem continuandam uſum, ob aëris defectum præſtare queant, ſumma divini Numinis ſapientia peculiares quosdam ductus efformavit, affluentem ſanguinem, exigua forte portione excepta, a viſcere illo arcentes, foramen ſcilicet cordis ovale, intermedio Venæ Cavæ & pulmonalis parieti inſculptum, atque canalem arterioſum, arteriam pulmonalem inter & Aortam medium. Poſtquam vero felici partu in lucem editus homunculus aere frui, & reſpirare cœpit, vitali liquore tunc longe alia via incendente, brevi temporis ſpatio ductus illi, uſu eorum ceſſante obſtruuntur, coaleſcunt, atque penitus fere obliterantur, aut ad minimum longe aliam ſpeciem induunt. Eorundem nihilominus veſtigia ſatis manifeſta, quanquam rarius in adultis etiam deprehenſa fuiſſe, obſervationum notarunt ſcriptores. Nobis in corde juvenis 20. & quod excedebat annos nati obſervare licuit foramen ovale haud exile, ſed patentiſſimum, per quod in vena cava immiſſus tubulus notabilis capacitatis in venam pulmonalem & dehinc in ipſam cordis auriculam ſiniſtram ſine omni difficultate adigi potuit. Quæ inde juveni huic emerſerint commoda, non liquet, niſi naturam ipſum Urinatorem finxiſſe dixeris, qui terræ marisque commercio pro lubitu frui potuiſſet, cui tamen elementum aëris omnium erat infenſiſſimum, quippe ob mala patrata laqueo puniebatur.

OBSERVATIO XCII.

Dn. D. Onuphrii Bonfigli.

De Communi Errore in Febrium Putridarum, & Malignarum Medela.

NOBILISSIMO AC EXCELLENTISSIMO
Domino
CHRISTIANO DE HELWICH
Medicinæ Doctori,
Academiæ Leopoldinæ Naturæ Curiosorum
Meritissimo Socio.

VAstus ille tuus in Medico-Physicis, Christiane semper mihi faventissime, Genius, Historiis Morborum late per typos extensus, torpentes adhuc amicos ad Literariæ Reipublicæ propagationem provocare non cessat. Hoc ipse experiebar laudabilis consuetudinis officium, dum in Leopoldina Academia inter Naturæ Curiosos me candidatum promovere obtulisti; non obstante rudis ingenii mei notitia, qua doctæ Societati impar excusari contendebam.

Et quidem per annos 30. Medicam Praxim exercens, sedula methodo Naturæ administrando, quamvis in chronicis morbis oppressam ad salutarem statum eandem feliciter sæpius reduxerim, attamen in Putridis, & Malignis Febribus nullam exacte medelam probabilem constituere potui: hinc cum sincero Oraculo, Naturam esse medicatricem, & unicam, præcipue in his morbosum speciebus, acquiescere debui. Id autem demonstrabo, ut videar in sanandis corporis humani affectionibus, quæ frequentius, ac periculosius contingunt, nil unquam profeciisse, unde pro Naturæ subsidio Curiosus insigniri merear. Naturæ nomine in Physicis exprimitur Regula a Deo unicuique materiæ corporeæ speciatim insita, vel respective ad invicem disposita mediante motu ordinem dirigente. Quotiescunque motus in corpore humano

mano vel imminutus, vel excedens regularem pervertit œconomiam, præternaturalis resultat indispositio, quæ dicitur morbus.

In Putridis, & Malignis Febribus inordinata liquidorum, & fluidorum exagitatio ab aliis distinguitur; quia non ita succedit, sicuti dum ab organis circulationis simpliciter irritatis sanguinis cursus concitatur, ut in Cordis Palpitatione; nec sicuti dum a spiritibus vitalibus per balneum, ebrietatem, insolentiorem iram, &c. nimium rarefactis, sanguinea massa ad instar liquoris igne ebullientis effervescit, ut in Ephemera, & causone; nec sicuti dum in una, vel pluribus mesenterii glandulis coagulatus chylus acescit, cujus aliqua portio cum lympha ibidem concurrente si dissolvatur, ipsam ad horas aliquot digestam in talem acorem invertit, ut corrugatis ideo mesenterii fibris expressio violenta sequatur: hinc talis lympha partim intestina versus, partim ductum thoracicum subit, & frigoris paroxysmum variis symptomatibus stipatum inducit perseverantem, quousque sanguinis particulæ alkalicæ volatiles inimicum saporem temperent, & in salsum commutent: id sine lucta calorificam ebullitionem inducente fieri nequit, quæ cessat vel recrementis per poros cutis expulsis, vel cum urina præcipitatis; inde, juxta depravatæ materiæ concurrentis constitutionem, & copiam, citius, vel serius aciditas fluida exaltatur pro renovando paroxysmo seu quotidianæ, seu tertianæ, seu quartanæ Febris: Nec ita succedit, sicuti dum lympha externo utplurimum figore retardata in glandulis conglomeratis circa caput, nares, collum, fauces, laryngem, &c. ibidemque aliquantulum acescens, ac inde sanguini commista Catarrhalem Febrim inducit; nec sicuti, dum humor in aliquo tumore putrescens corruptum acidum sanguini circulanti communicat, & musculares illas fibras cum venis, & arteriis ibidem sparsis dissolvendo, fluidorum corpus febriliter exagitat.

Sed aliter in prædictis Febribus Putridis, & Malignis res agitur, ubi sanguineæ massæ effervescentia præternaturalis ab intestino tumultu componentium inter se repugnantium immediate exoritur, nec turbata agitatio semel incepta cessat, donec con-

tinuato quatuordecim, ut plurimum, dierum concursu, amicæ particulæ successive ad invicem sese amplectantur (hæc est concoctio) & illas, quæ placidæ commistioni repugnant correctas tandem subjugent, & faciles reddant segregationi per corporis cribra magis dispositа.

Feliciter hoc sequitur, quando ætherea mobilior materia, seu spirituosa, uti primum Naturæ instrumentum, officio suo totaliter non destituitur; sed si colluctatio in dies magis confera irreparabiliter pervertatur, tunc Natura lethaliter succumbit.

In hujusmodi Febribus ordinata sanguinis fermentatio depravatur vel ob spiritus immediate alteratos, ex occasione graviorum animi pathematum, vel ob aêrem impurum inspiratum, & sanguineæ temperaturæ non conferentem, vel ob suppressas consuetas recrementorum secretiones, & excretiones, vel ob aliquid corruptum, & ordinatæ humorum mistioni inimicum in venas, & arterias subintrans, quod taliter cum integra massa confundatur, ut ab ista corrigi, nec segregari de facili possit: hinc fit, exoticum hostem non solum constitutiva sanguinis principia ab amica ipsorum compositione dissolvendo violentum fœdus cum particulis ad tumultuandum magis dispositis conjungere, sed etiam pro turba fovenda, repetitis suppetiis (quod persæpe intervenit) per colluviem in ventre inferiori stabulantem subministratis, periodicum paroxysmum cum continua seditione confundere.

Non meum est hic, Christiane, te multis curis, & studiis occupatum in theoricis explicationibus symptomatum diu detinere, cum tu potius me docere possis: sed ut propositum scopum de inutili harum Febrium medela attingam, morbum in quatuor tempora, juxta Methodicos, dividam; id est in principium, augmentum, statum, & declinationem.

Si cathartica, sive emetica medicamenta in Acutorum principiis indicari accidat, cum præcautione administrandum esse docet Hipp. Aphor. 22. & 24. Sect. 1. atque 10. Sect. 4. id est tantummodo, dum urgeat materiæ excrementitiæ turgentia,

quæ

quæ inani excretionis ſtimulo, ac intolerabili anxietate hinc inde vehementer agitatur: hoc tamen cum raro accidat, ideo morbifica materia, quæ cruda tunc exiſtit, ne moveatur, admonet.

Et quidem dum peccans aliquid humoris cum tota ſanguinis maſſa minutum permiſtum effervescit, ſi per medicamenta, quamvis lenientia proritetur, vehementius exagitabitur; id vero indifferenter ſubtrahetur, quod circa primas vias proclivius, & forſan minus nocuum deprehenditur.

Negare tamen nequeo, excretiones ab alio medicamento craſſiores, ab alio ſeroſiores, mitius, vel fortius promoveri; ſed non concedam inſitam ipſis eſſe, ut ita dicam, mentem, quæ miſti particulas has ſeligere, has reſpuere ſciat. Cruda itaque excreta talia, qualia ex particulis tam puris, quam impuris ſimul intro confuſis ſubſiſtebant, integra aſportantur, quamvis a medicamento alterata, non autem talia, qualia purgari oportet, juxta Hipp. Aphor. 25. ſect. 1. dum poſt debitam concoctionem impuritates naturaliter ſubſidentes, & circa abdominis cola depoſitæ ad erumpendum faciles ultro ſe præbent.

In hujus veritatis confirmationem diſſimulari non poteſt, vomitum, & diarrhæam Acutas Febres ſæpe a principio ſymptomatice concomitari: Tunc conatus hujusmodi irriti, immo damnoſi reperiuntur. Cur ergo purgationes, quæ ſimili tempore morbi coguntur ab arte, minoris detrimenti reputari debent? Iſtæ adhuc pejores ideo repudiantur, quia remedium evacuans aliquali malignitate non caret; perturbat ſtomachi fermenta, inteſtinorum actiones ſubvertit, ſitim inducit, vires imminuit: quæ damna cum ſatis febricitantes vexent, eo magis hoc medendi abuſu exaſperantur. Hinc merito Valeriola ſcripſit, quod *omnia medicamenta male adminiſtrata ſint venena.*

Ab his itaque Febribus Acutis, præter materiæ turgentis neceſſitatem, quomodocunque purgantia relegentur. Pro aliqua cruditate, quæ in primis viis perſiſtat, abſumenda ſatisfacit abſtinentia a craſſo cibo, quem ægroti abominari ſolent. Interim ſordes ad inteſtina præterlapſæ ſufficienter abluantur e-

nematibus per totum morbi cursum repetendis. In casu autem, quod copiosa phlegmatis saburra stomachus gravetur, ne præcordiorum anxietates ex hac augeantur, emeticum lene, sicuti est Radicis Hippoa cannæ infusio, tunc a principio, fiducia levaminis, tuto exhibeatur.

Tuam, Prudentissime Helwich, cautelam in raro, & placide exhibendis purgantibus ita sum admiratus, ut quin mecum convenias non dubitem. In hoc igitur diutius non te detinebo, nam ad refrenandum morbum, qui majori ferocia in dies augetur, accurrere debeo.

Et quoniam ad sanguinis effervescentiam nimiam compescendam in morbi augmento potior intentio dirigitur, an venam tunc secare conveniat, nec ne, quam maxime disputatur. Longum nimis esset utrinque rationes repetere; satius est experientiæ decisionem committere.

Diuturna praxi observavi, infirmos indifferenter alios sanari, alios perire tam admissa, quam omissa Venæ sectione; ita ut quamvis ob morbi violentiam mori contingat, phlebotomiæ occasio in Medicorum calumniam sæpe sæpius assurgit, qui ex utraque parte infelicis eventus querelam evitare non possunt; dum vero salutaris superveniat crisis, tunc ab illis, qui contrariam sententiam tuentur, temperamento robusto, ac solius Naturæ directioni tribuatur.

Quod melius sit anceps, quam nullum experiri remedium, assentior in desperatis casibus, ubi hoc axioma prævalet, non quando cum dubio morbo luctatur Natura, quæ sine ullo adminiculo viribus propriis suffulta facilior est ad munus suum explendum, quam si per venæ incisionem viribus diminutis irreparabile damnum ipsi inferatur. Certi enim sumus, sanguinem exhaustum non esse pejoris notæ residuo in venis relicto. Agnoscimus pariter, fermentationem febrilem ad secernendum id, quod corpori officit, suscitatam necessario fuisse, cujus nimium æstum si moderari intendamus (ut expurgatio placidiori digestione securior obtineatur) cur potius absque spirituum

jactura

jactura rationabilius id consequi non curamus per extrinseca remedia, applicando fronti, temporibus, carpis & plantis pedum pulpam cucurbitæ, vel citrulli, folia sempervivi majoris, plantaginis, bursæ pastoris, anagallidis fœminæ cum aceto contusa, aut amylum cum ovorum albumine, & similia?

Objiciet aliquis quantitatem his non diminui. Sed quis post fœdera aliquot dierum inter nauseam & jejunium sancita, ac observata plenitudinem luxuriare judicabit? Urgeant adhuc alii, hæmorragias in Febribus Putridis, & Malignis ab ipsa Natura promoveri. Concedo, salutis commodo, in morbi declinatione hoc fieri, quotiescunque vitiosa materia excluditur procul a morbi foco, & in venis ad extra magis patulis collecta, & retardata, ob copiam, & acredinem, anastomosin aperit. E contra valde timendum est in morbi vigore profluvium sanguinis e naribus, quod in Epidemicis sæpe observatur.

Jam ad morbi statum perveni, in quo quiescere suadet Hipp. Sect. 2. Aphor. 24. Attamen Medici ægros vexare non desinunt frictionibus, cucurbitulis, vesicatoriis, suppositoriis, epithematibus, cordialibus misturis, confectionibus, pulveribus, julepis, & mille aliis injucundis pharmacis, quibus sedulos assistentes per omnia momenta præoccupant, ne ipsorum supervacanea importunitate intempestive turbentur.

Et quidem quid boni sperandum ex frictionibus, quæ musculares fibras distrahunt, & lassitudinem, ac lumborum dolores augent? Quid boni sperandum a sanguine per cucurbitulas, vibicum instar, concrescente, cujus pars crassior sub cute livescens jam cadaverosa, dum a sanguine recenti resolvitur, & in venas simul propellitur? Nec desunt, qui validis rationibus vesicatoria damnent, quorum dolor ulcerosus sufficit solus febri accendendæ, præter veneficam cantharidum penetrationem usque ad vesicæ erosionem, quod malum saltem ut eviteur, flammulæ Jovis folia substituantur. Suppositoria vero in memoriam mihi reducunt astum Mancipiorum detectum, dum prima praxis rudimenta in ipsorum nosocomio Liburni addiscebam,

scebam, quorum aliqui, ut navigationem evitarent, allii spicam cortice mundatam in ani sphincterem introducebant & ex hac causa consulto febricitabant: Eo magis ideo in Acutis Febribus suppositoria nocebunt.

O bone DEus! si athleticum virum saniissimum tenuissimo cibo sorbili, & aquosis potionibus per aliquot dies extenuemus, & interim Medicamento purgante, & sanguinis repetita missione depleamus, interpositis clysteribus, vesicatoriis, & cæteris supradictis sine intermissione tormentis, quis eum certo ægrotaturum fore, & ultimo forsan fato cessurum non suspicabitur? Si hoc timendum sit in sanis hominibus, infallibilis sequitur deductio, quod in infirmis simili methodo tractatis meliora sperari non debeant.

Quoad cardiaca remedia numquam illis contemperatis me opposui, quæ blando odore, gratoque sapore libenter accepta spiritus recreant, uti est florum tunicæ, & jasmini julepus, ac conserva, aquæ totius citri, & similia. Propinare aromata acuta, & omnia, quæ sale volatili oleoso sunt nimis prædita non auderem, ne humoribus æstuantibus fomitem adderem. Crustacea, testacea, Margaritæ, oculi cancrorum, cornucervi, unicornu, pretiosi lapides, & cætera fixa absorbentia, quæ, utpote terra damnata, digestioni non parent, nec quidquam a se dimittunt, inutiliter pro alexipharmaco cordiali assumuntur; nam gravi tantum calce stomachum, & intestina obducere, atque ipsorum meatus obstruere valent.

Sed quo digredior, & potum inexplebili febricitantium siti necessariissimum tandiu detineo! Incuriam ubertim compensabo.

In membrana subcingente palatum, linguam, & fauces continuata cum interiore stomachi tunica, sensus humida appetendi suscitatur molestus, vel propter salis sive salsi, sive urinosi mordicationem, vel propter asperam dictarum partium siccitatem, dum istæ sufficienter non irrigantur a lympha, quæ sive aliorsum exhausta, sive vitio crassi lentoris, aut glandularum salivalium qualicunque obstructione difficulter excu-

excurrit. In Febricitantibus muria nidorosa, seu oleosum bilis lixivium exaltatum, in ore percipitur, & in urina apparet: crusta linguæ albida, & siccitas adusta salsas fuligines conerctas, & obstruentes denotant.

Hæc sunt interni status præconia, quibus denunciatis convincor, quod subtrahendo potum ab ægris, hos iniqua sententia cruciatui clamoso condemnamus: nil enim melius, quam aquosa vim densi salis causticam adimunt diluendo; sic fermentescentes particulæ disgregatæ mollius moventur, & lubricam segregationis facilitatem adipiscuntur. Id clare ab Hippocratis auctoritate confirmatur, dum jubet, evacuanda oportere prius humida facere, in Aphor. 9. Sect. 2.

Quo simplicior potus, eo naturalior, & salubrior est reputandus, ut aqua e fonte puriori, ac destillata e lactuca, endivia, boragine, acetosa, & sero lactis; liquor enim crassiori aliqua substantia semel saturatus nova corpora nec tam prompte imbibit, nec tam fluide permeat, sicuti citius corrumpitur, cujusmodi est pthisana, & similes decoctiones. Aliquando tamen pro deliciis acidulos julepos non rejicio multa aqua dilutos, inextinguibibilis sitis solamina, (quamvis saccharum aliquomodo fermentationi obnoxium noceat) inter quos syrupus acetosæ, ribium, aciditatis citri, & aurantiorum, granatorum, & cerasorum acidorum excellunt. Emulsiones item e quatuor seminibus refrigerantibus, ac papaveris cum aqua florum rhæados extractas, & cum syrupo lactucæ edulcoratas, ubi somnus conciliari debet, propinare liceat.

Potus in tanta copia concedatur, quantum stomachus absque notabili gravamine acceptet. Unica jactura, quæ ab excessu consequi accidat, est viscerum infarctus in convalescentia reparabilis. Corrigendus tamen mihi videtur illorum abusus, qui gelidos liquores febricitantibus largiuntur, & non considerant, quod si quis postquam incaluerit balneo, insolatione, motu, &c. aquam actu frigidam bibat, pectoris inflammationem subinde contrahit: similiter hic, ubi major est dispositio, visceris alicu-

jus inflammatio timeatur, vel saltem, ut sanguis effervescentia rarefactus subita congelatione comprimatur, & pro defecatione impuri impos Natura reddatur, & succumbat.

Tutius est tepide bibere, & eo tepidius consulo, quo propius ad morbi declinationem accedimus: in hoc etenim morbi gradu Natura crisim disponit, quæ utplurimum cum sudore perficitur. Tunc ideo Medentes sudorificis prævenire solent, sed perperam, quia nemo securus esse potest, per quæ loca conferentia vergere Natura intendat, quod ante decimumquartum diem in acutis rarissime cum securitate contingit. Sic præmaturi conatus, præcipue salino volatili diaphoretico impulsi vel spem eludunt irriti, vel perficiendæ concoctionis proximas dispositiones perturbant, vel forsan aliorsum, præter Naturæ directiones morbidam materiam pessime divertunt.

Primus, qui pro diaphoretico in Malignis lapidem bezoar ab India translatum divendidit, si non tam lucri cupidine, quam artis dexteritate inductus fuisset, aliquam mereretur laudem: cum enim vulgus remediorum vanitate decipi omnimode velit, saltem hujusmodi innocuis ipsi blandiri liceat. Dicant quæso Practici sinceritatis amantes, an ante criticum tempus ab assumpto Bezoar sudores statim profluxerint? Fateri quidem debent, quod, tantum movente Natura, opinabilis illius alexipharmaci vires admirati fuerint. Nullum est dubium efficaciori activitate eundem effectum tunc temporis produci a calidis jusculis, immo & a simplici aqua calida epota, saccharo ad gratiam edulcorata; sed quia hæc ab incoctis Indicis ingredientibus non adipiscitur famam, ideo pro vili reputatur.

Pro crisi potius perficienda, lapis hystricis vim bilis dissolventem, & absterssivam retinens, ubi materiæ lentor expostulat, non totaliter inutilis rejiciatur; hac tamen æquitate, ut cæteri lapides in cisti fellea aliorum animalium inventi, parem commendationem merentes, non postponantur.

Quod Febres Acutæ nostris opibus non indigeant, convincunt

cunt ruſtici, diſpoſitionibus Naturæ tantum permiſſi, qui parem exitum ſortiuntur, ac cives Medicis adminiculis ſuffulti, quorum aliquos obſervavi optimis ſignis ſecuritatem portendentibus obiiſſe, e contra plures a Medicis ſpe, & auxilio derelictos convaluiſſe, confirmando Hipp. Aphoriſmum 19. Sect. 2.

Cæterum patet, ſanguinem non aliter, ac muſtum, & Cerevifiam novellam tandiu effervefcere, donec (concoctione rite procedente) depuretur; quod opus ingenio ſolius Naturæ commendatum, duarum ſeptimanarum ſpatio perfici ſolet; ſicuti prædicti liquores, juxta ſuorum componentium conſtitutionem, tempora purificationi deſtinata obſervant.

Poſtquam ſalutem infirmo corpori Natura reſtituerit, nil aliud moliendum reſtat, quam vires paulatim reficere, monitu Hipp. Aphor 20. Sect. 1. *Quæ judicantur & judicata ſunt integre, neque movere, neque novare, aliquid ſive Medicamentis, ſive aliter irritando, ſed ſinere.* Nihilominus non valedicit Medicus Convaleſcenti, niſi prius ſuperfluo cathartico hunc laxaverit: quod, juxta Aphor. 12. Sect. 2. rite adimpleri ſolummodo convenit, quando aliqua incommoda, quæ ſimul cum lyſi totaliter non quieſcunt, extra acuti morbi limites adhuc adimere ſuperſit, ne recidiva excitetur.

Plurimo verborum tædio tuam, Helwich, patientiam læſi: erravi, fateor, cum ſcias paucis Naturam eſſe contentam, cujus arcana in Febribus Putridis, & Malignis inutili curioſitate ſciſcitanti, ſatius mihi fuiſſet ſtupenti ſilentio mirari. Tu interim diu vale, & penetralia Naturæ perſpicaciori lumine ſcrutari perſevera

Cracoviæ IV. Kalendas Februarii MDCCXVII.

OBSERVATIO XCIV.

Dn. D. Christoph. Ludov. Gœkelii.

Historia morbi & sectionis post mortem ILLUSTRISSIMI DOMINI, DOMINI COMITIS Henrici Josephi Gabrielis de Solms &c. &c.

d. 14. Octobris hora septima vespertina 1716. hydrope & atrophia, diarrhœæ 14. mensium incurabili succedentibus pie placidissimeque hic loci defuncti.

QUam Jure-Consultis in recte judicando facilitatem æque ac certitudinem præbet inventum corpus, ut vocant, delicti exquisitumque ejus examen, eandem (sit venia desumtæ huic alieno ex foro allegoriæ) licebit etiam lucem ac rationes decidendi de morbis mortisque generibus constantissimas Sanitatis morborumque consultis suis petere ex cadaveribus, si subtilissima oculorum, cultrorumque acie accurate & iterata sæpius vice investigentur. Commendandum hinc venit, imo quam severissime inculcandum crebrius Anatomiæ sic dictæ Practicæ exercitium, non abstrusa tantum naturæ, Medicis etiam sæpe peritissimis illudentis ludibria dicam an ludos revelans, vitiaque intus abscondita eo expromens fine, ut, cum quilibet sui etiam ipsius sit Medicus, qui talia se in sinu fovere deprehendet, imminens inde exitium studeat præcavere fiatque alieno ex periculo cautus: verum etiam ad praxin Medicum ipsum recto dirigens tramite, contra omnia rationis figmenta manus ejusdem reddendo oculatas, oculosque judices planissime in ea confirmans, ac in diagnosi, quæ præcipuum praxeos fundamentum perficiens felicissimum. Dolendum vero, imo deplorandum merito, iniquissimum ejus fatum, quod paucos hactenus invenerit patronos, paucioresque adhuc cultores. Neque enim, si vel unicum hoc de studio quam optime meritum excipiamus

Bone-

Bonetum, habemus alios aut recentiores aut veteres, per quos utilissima hæc medicinæ pars magis fuerit promota; In specie quoque apoplexiam ejusque causas & locum adfectum hac itidem methodo a Doctissimo Wepfero in Observationibus Anatomicis ex cadaveribus eorum, quos sustulit apoplexia cum exercitationibus de ejus loco adfecto Schaffhusi 1675. editis esse examinatam, haud quidem ignoro, integram autem pathologiam, qui lumine hoc egregie reddiderint clariorem, præter supra laudatum Bonetum &, pace tanti viri dixerim, leviores Blancardi conatus novi neminem. Fateor equidem non unius nec cujusvis hoc esse Practici opus, unita utpote plurium studia & concordes exposcens fidelesque labores, dein multa & varia eaque ardua etiam occurrunt, quæ studii hujus remorantur progressus, impedimenta, non medicorum tantum ex parte, quæ quidem prolixe hic recensere meum non est, verum & inprimis ex parte reliqui generis humani, (cujus tamen inde vita promoveretur salusque,) dum cadavera mox tamen vermibus putrediniquerelinquenda, inde si non violari, attamen lædi perversa plurimis mente obversetur religio. Foret autem huic quoque labi remedium non leve, si tum qui Nosocomiis, quæ vastissimum hæc excolendi liberrime theatrum, præsunt Medici, tum qui amplissimam possident praxin alii communibus id agere susciperent operis, ut in rariori non tantum, verum & obvio morborum genere defunctis, quæ morbi fuerit sedes, quæ causa, qui exitus antecedentium symptomatum, qui demum effectuum omnium in antecedenti morbo observatorum eventus, cultro, in quantum possibile, manibusque & oculis accurate investigarent, investigataque & judicii ulterius lance examinata, nullis tamen speculationum adulterata fucis, sed utcunque fuerint, delineata communicarent benevole, ad exemplum viri post fata etiam adhuc omni eo nomine laude digniſſimi, D. Philippi Jacobi Hartmanni, Doctoris Medicinæ & Anatomiæ professoris Regiomontani meritissimi, aliorumque, quorum pluribus ita concinnatis Societatique communicatis observationibus auro omni carioribus, ceu gem-

mis merito pretioſiſſimis noſtræ undique ſplendent eximieEphemerides. Liceat hiſce & meos ſubjungere qualeſcunque conatus, elaboratione ut ut, utilitate tamen non minus ac dignitate haud leviores, ut ſpero iisdem futuros.

Illuſtriſſimus Dominus Henricus Joſephus Gabriel Comes de Salms &c &c. quadragenario proximus, melancholico-choleri-cus, hypochondriaco ſcorbuticus, habitu corporis gracili ac tenero, caſtra olim magna cum gloria plures per annos ſequutus, inque iis a tempeſtatum injuriis haud parva perpeſſus, nullo tamen unquam graviori inde tentatus morbo, diætæ utpote quovis tempore exactiſſimæ & ſobrio vivendi generi, vini item Burgundiaci aqua multa diluti, potui adſuetiſſimus, hac autem per omnem vitam maxime adflictus idiopathia, quod alvus ſemper eſſet ſegnior ac durior, hincque ſuppoſitoriis ipſis aut globulis ſaccharinis moſchatis ſæpiſſime ſollicitanda : Anno CIↃIↃCCXV. proficiſcebatur e Belgio Viennam Auſtriæ, ibique aliquandiu commoratus a mutato, neſcio qua de cauſa, potulentorum genere, vinis nimirum Auſtriacis Hungaricisque pro potu magis expetitis, incidebat in diarrhoeam, primo quidem moderatam nec lecto ſtatim adfigentem, donec, nullis primo licet initio oppoſitis remediis probatiſſimis coercenda majora ſenſim ſenſimque capiens augmenta, & ultra annum poſthæc continuans integrum graviorem in ſingulos fere dies & ventriculi atoniam & totius involveret debilitatem ac atrophiam, adeoque ex immorigera, & rebelli evaderet denique incurabilis, tarditatemque gravitate compenſare inciperet, Illuſtriſſimo ſimul ægro tot tantisque & Medicorum celeberrimorum, & ipſorum etiam hinc inde advolitantium Empiricorum, conſiliis, inani tamen ſemper effectu jam adhibitis, cum viribus patientiam æque ac reconvaleſcendi animum tantum non penitus amittente. In tantis ergo rerum anguſtiis animam prorſus exhalare languidam inter ſuos exoptans, proprio motus conſilio, menſe Septembri anni CIↃIↃCCXVI. reditui in Belgium ſeſe accingebat; mox autem exacerbatis ab itinere omnibus viribusque proſequendo ulterius curſui imparibus redditis, pedem

hic

hic figere & quieti rurſus ſe dare cogebatur. Vocatus hinc ego deprehendi ægrum Illuſtriſſimum & morbi & itineris inſuper longinquitate ſummopere defatigatum, facie plane jam Hippocratica dicam an cachectica conſpicuum, totoque corporis habitu, exceptis abdomine modicum turgidulo, pedeque ſiniſtro levia œdematis monſtrante initia, valde emaciatum, appetitus languebat, ſitis erat modica, reſpiratio ſatis libera, ſomnus interruptus & paucus, pulſus debilis, urina potui vix quantitate reſpondens lixivioſa, craſſa, ſedimentoſa, cuticulaque ſcorbutica tecta, ructus & flatus exaudiebantur rariores: ſedes contra urgebant citra ulla tamen tormina aut eroſiones inteſtini recti, nocturno præſertim tempore multiplicatæ: dolores accuſabat utriusque hypochondrii ad ſenſum etiam elevati ac juſto durioris, præſertim ſiniſtri, gravativos, diſtenſionem abdominis maxime moleſtam, regurgitationes e ventriculo tam jejuno, quam a cibis aut potulentis quibusvis acres, nec acidas tamen nec amaricantes, bili, ut ut falſo, ab ipſo Illuſtriſſimo ægro tributas: calores in palmis maxime manuum particulares, nonnunquam vero & univerſales, veſpertinis præſertim horis volaticos momentaneos, ſine ulla quidem unquam cephalalgia: continuum autem pedum, inprimis plantarum, frigus. In morbo igitur tam deſperato, rebelli, ac vel centenis, imo millenis, quibus jam tentatus erat remediis probatiſſimis aliis non expugnando, quem ideo monſtri aliquid alere, labemque viſceris unius aut plurium digeſtioni nutritionique inſervientium incurabilem neceſſario pro cauſa agnoſcere haud erat difficile judicare, non meas unice experturus vires, imprimis cum & de perſonæ tam Illuſtris vita ageretur pretioſiſſima, & morbus ipſe altioris eſſet indaginis, ſiniſtrumque certo certius ominaretur eventum, dyſenteriæ non item, quod nec ſanguis unquam per alvum ſeceſſiſſet, & tormina & febris deeſſent, quodque maximum, chronicus eſſet, non acutus; nec fluxui hepatico, quod carnis loturam non æmularentur excrementa, ac lienteriæ & quidem inveteratæ, latiori tamen itidem ſignificatu accenſendus: (ſcybala namque aſſumtorum non tam

refe-

referentia integritatem, ut agnosci possent colore, odore, ac consistentia, quod lienteriæ proprie sic dictæ solet esse κρινόμενον, quam minus tantum digesta, & liquida, pituitæque serosæ signata charactere mucumque intestinorum deterſum commixtum vehentia deponebantur) ut & alii in arte periti, consiliis valentes, eas ob causas in laborum mihi jungerentur consortium, obnixe petii. Impetrato hinc eum in finem Venerando Domino Socero meo, Ephemeridum harum Directore Illustri ac dignissimo, dubio, ut par erat, rem ambo adgressi prognostico, omnibus quidem, quæ & ratio & experientia dictitabant, tum e culina, tum e pharmacia petitis ac selectis analepticis, confortantibus, stomachicis, non quidem adstringentibus, sed tonicis internis & externis, balsamicis, amaricantibus, anticachecticis, antihecticis, ut & spiritus inprimis reficientibus temperatis pretiosissimis æque ac usu probatissimis, tentata ipsa etiam clysmatum adpropriatorum injectione, strenue ac indefesse pro experientiæ non minus ac conscientiæ modulo, Illustrissimo succurrere ægro non negleximus, malo autem nihilo secius continuo in pejus ruente, omnisque impatiente medelæ fieri denique aliter non potuit, quam ut, œdemate mox & in dextrum transeunte pedem, abdomine etiam & siti magis indies accrescentibus, appetitu e contrario ac urina crassissimo sedimento lateritio referta imminutis, caloribus itidem erraticis de die & nocte sine typo multiplicatis, & frigore quoque ab ultimo octiduo interdum accedente universali, vix autem aliquot sæpius durante momenta, pessimo, quod nobis quidem videbatur indicio, majorem utpote caloris adhuc reliqui perexigui nativi depauperationem liquidorumque stagnationem supponente, & sic labascentibus simul cum spe nostra ad sensum magis magisque spiritibus, sensibus adhuc omnibus, & animo quoque ac voce ad extremum usque halitum pleniſſime sibi constantibus, somnolenti ad modum obdormiscens, fatis denique ex prædicto, quod jam vita longiore dignissimus Baglivus p. m. 108. in operibus suis nota-

notavit, atrophia conſumtus, concederet quam placidiſſime d. 14. Octobris hora ſeptima veſpertina.

Exenterantibus, more Magnatibus ſolenni, corpus defunctum

I. In ventre ejus ſupremo ſive capite in conſpectum prodiit (1) cerebrum cum meningibus ſuperius præter naturam flaccidiſſimum, in baſi vero mediocri lymphæ quantitate madidum, cæteroqui ſanum omnisque labis notabilis expers: eoque intimius magis luſtrato (2) glandula pinealis pluribus granulis albicantibus minutiſſimis laxe inter ſe cohærentibus, & collective ſumtis lentem magnitudine adæquantibus, quoad ſubſtantiam ceræ paululum duriori comparandis referta.

II. Nec medius venter quicquam exhibuit præter naturalis, niſi quod lobi pulmonum utriusque lateris variis tuberculis crudis ſcirrhoſis atri coloris, non æque quidem magnitudine conſpicuis, ſed ſuperficiariis tantummodo eſſent notati: Cor erat magnum, at pallidum & flaccidum, aqua pericardii pauca, diaphragma ea, qua pectus reſpicit parte, colore & ſubſtantiæ ſibi conſtans & integerrimum.

III. Infimus vero venter, omnis mali fons & origo multas ipſius denique mortis cauſas in ſe continebat monſtroſas:

1. Menſuras $4\frac{1}{2}$. civiles aquarum hydropicarum limpidarum, non æque ſalſarum aut putrilaginoſarum.

2. Omentum conformationis ad ſtuporem prodigioſæ, præpingue, ſcirrhoſum & innumeris hydatidibus partim ruptis, partim integris ſcatens: Pendebat quippe $3\frac{1}{4}$. libras civiles latitudine neque ulnam unam noſtratem, quæ cum Brabandica convenit, longitudine tertiam ulnæ partem, craſſitie ut ut inæquali, & nonniſi ubi ventriculo adhærebat, tenuiſſima, plurimis in locis tres digitos transverſos emetiens. Adnatum erat ſuperius diaphragmati, hepati, veſiculæ felleæ, ventriculo & lieni, quem ipſum integebat plane & involvebat, dextro in latere ad ſpinam dorſi usque extenſum, in ſiniſtro duplicaturæ peritonei internæ coſtas obtegenti

genti coalitum, inferius cum toto intestini coli tractu, ubi e cœco assurgens per medium abdomen transit ad siniſtrum hypogastrii latus, cohærens & in dextro rursus latere ad ipsum peritonei processum usque, vasorum spermaticorum vaginam, extensum, ibidemque affixum.

3. Ventriculum cum toto intestinorum omni plane muco naturali destitutorum tractu, cæco & vermiformi exceptis, tenuissimum papyraceæ fere subtilitatis.

4. Intestinum cœcum & processum vermiformem naturali quidem loco posita, at quoad substantiam & figuram externam penitus præter naturam conformata & obliterata: loco enim succi appendicisque membranosorum glomeramen inveniebatur, duorum pugnorum excedens magnitudinem, pinguedinosum; scirrhosum, ac interius ita quidem excavatum, ut & ileo superius, inferius colo exacte responderet, appendicem autem vermiformem penitus in callum aut scirrhum potius degeneratam tectam sub se comprehendens.

5. Mesenterium & mesocolon quanta quanta p. n. pinguedine multa scirrhosa sebacea obsita & innumeris papillulis lenticularibus scirrhosis notata.

6. Hepar cum vesicula fellea minore & flaccida, simili etiam pinguedine morbosa quoad ductus maxime cysticos obsita, præter id, quod colore plus justo appareret exsangue, & vena umbilicalis ligamentumque suspensorium eadem luxuriante per universum infimum ventrem pinguedine glandulosa scirrhosa essent conspicua, nihil fovens præternaturalis.

7. Denique lienem minimum, vix renem humanum magnitudine æquantem non planum sed globosum, mediante ista omenti pinguedine morbosa totum quantum absconditum & involutum, & hinc, dum viveret, Illustrissimus æger, in siniſtro hypochondrio tumore ac renitentia sua tangentibus scirrhum exacte mentientem.

Omnes

Omnes reliquæ partes exacte ſibi & integerrime conſtitere. Quo autem, quæ & de omento & inteſtini cœci conſtitutione ſingulari morboſa fuſius ſuperius dicta ſunt, eo clarius parerent, ut accurate olim ambo delineata hic etiam æri, minori tamen modulo, inciſa ad juvandos magis lectorum conceptus ſubjungere volui. Vid. Tab. XI. fig. 1. & 2.

Cæterum plures quoque ea addi poſſent occaſione & latius diduci poſitiones aliæ, utiles æque ac curioſæ: inprimis de uſu inteſtini cœci ac proceſſus vermiformis in ſcybalis formandis ac promovendis ſingulari: de meſenterii ac omenti præcipua & abſoluta ad elaborandam & facilitandam digeſtionem ac nutritionem totius neceſſitate: de omento, quod, teſtibus Boneto in Sepulchreto & Doctiſſimo Hofmanno in Diſquiſit. corpor. human. Anatomico-Pathologica aliisque, communiter alias in hydrope potius abſumi & evaneſcere aut ipſam in putredinem abire ſolet, hic modo plane contrario mirum quantum aucto, hujusque phœnomeni omnium rariſſimi cauſis ac conjecturis abſtruſioribus de morbis item conformationis internis incurabilibus æque ac difficillime cognoſcendis: & an denique hæc prava omenti inteſtini cœci ac proceſſus vermiformis conſtitutio morbi ultimi lethalis complicati cauſa fuerit an productum, & quæ hujus ſunt generis aliæ: verum hiſtoriam, non tractatum aut diſſertationem hic meditatus abrumpo, addito tantum coronidis loco, quod Prudentiſſimus Cheſnau Lib. III. Capiti VI. de diarrhœa ſubjunxit, epiphonemate: O felices Medici, qui in ejusmodi affectus fortunate non incurrunt: Impoſſibile enim eſt, opprobrium effugere, niſi mature prædicatur, quid ſit futurum: quia vulgus morbos non curari exiſtimat, niſi propter Medicorum inſcitiam.

Explicatio figurarum.

Fig. I. Omentum p. naturale, inventum in corpore Illuſtriſſimi Comitis de Salms d. 14. Oct. 1716. hora veſpertina 7ma pie defuncti.

aaaaa. Pars quæ ventriculi fundo adhærebat.

bbbbb. Extremitas, quæ lieni obducta & annata erat.

cccc. Extremitas, quæ interiori membranæ peritonæi coſtis obductæ connata erat.

ddddddddddddd. Portio, quæ inteſtino colo connata erat.

eee. Portio, quæ ad proceſſum peritonei dextrum usque protenſa vaſisque perforantibus ſpermaticis adnata erat.

fff. Pars, quæ ad ſpinam dorſi pertingens iſti connata erat.

gggggggg. Portio, quæ hepatis parti ſuperiori cohærebat.

hhhh. Portio, quæ veſiculæ fellis adjacebat & ab ea colore luteo notata conſpiciebatur.

iiiii. Pars omenti craſſiſſima tribus digitis altior.

Fig. II. Inteſtinum cœcum p. naturale, in corpore Illuſtriſſimi Comitis de Salms repertum, prout in ſitu naturali erat inſertum.

aaaa. Inteſtinum tenue ad cœcum tendens.

b. Inſertio inteſtini ilei in cœcum.

cc. Tubulus, qui cœco aperto in inteſtinum ileum intruſus inde prominet.

dddddd. Inteſtinum colon.

eeee. Inteſtini coli principium tubulo notatum.

f. Inteſtini coli inſertio in inteſtinum rectum tubulo notatum.

g. Tubulus ex inteſtino recto abſciſſo prominens.

hhhhhhhh. Molis p. n. pinguedinoſæ ſcirrhoſæ, inteſtinum cœcum cum proceſſu vermiformi plane ſcirrhoſo occupantis, magnitudo & facies externa.

iii. Ejusdem facies interna.

OBSER-

Tab. XI. pag. 405

DELINEATIO TERRÆ GLOBI NOVA

in Rei gnomonicæ usum exhibita à Ioh. Gabr. Doppelmajero Math. P.P. Norib:

Observ. XCV. Cent. VI.

OBSERVATIO XCV.

Dn. Joh. Gabrielis Doppelmayeri.

Methodus parandi Sciaterica plana generalis, arithmetica, secundum quam illa sub aliqua Poli elevatione tanquam horizontalia exhibentur, & ad calculos vocantur.

CUm temporis maxima semper fuerit habita ratio, multi præclari nominis Viri varia pro hujus mensura in lucem proferre conati Instrumenta, inter hæc laudibus apprime celebranda ea, quæ Sciaterica audiunt, in quibus per umbram guomonis horæ aliaque cœlestium motuum phænomena, quod est cælum in terra monstrare, in humanæ vitæ commodum jucundo spectaculo indicantur; verum prout illi non male operam in hoc collocasse suam, sic ii eandem non inanem hodie quoque collocare, merito censendi, qui scientiam hanc perutilem novis exornant accessionibus, hæc animo mecum volvens non actum agere credidi, novam methodum, qua scilicet ratione horologia plana, præcipue majora, ad horizontalia reducenda calculoque subducenda forent, publici juris facere, quam breviter persequar.

Terram nostram figura sphærica, vel, e nonnullorum mente, eidem simillima, gaudere res in confesso jam jam est, & hinc e figura ista tot diversos Horizontum situs, quot in plano quocunque positus dari possunt, oriri, & horizontem quemcunque cum aliquo plano positum obtinere parallelum necesse est, quibus ad rationem perpensis omne planum, tanquam planum in aliqua terræ parte horizontale, considerandum veniet. Cum vero planorum situs fere sint innumeri, nihilominus tamen illa, respectu ad horizontem suum habito, ad tria genera; quorum divisio ad institutum nostrum apprime quadrat, referri possunt, illa autem cum horizonte vel parallelum, vel perpendicularem vel obliquum situm servant; ad situm parallelum hori-

zontale tantum horologium, ad perpendiculiarem vero verticalia quæcunque pertinent, hæc duplicia sunt, nonnulla quatuor mundi puncta primaria, seu plagas Horizontis cardinales, meridiem nempe, septentrionem, ortum & occasum directe respiciunt, inter quæ duo priora, verticalia κατ' ἐξοχὴν, cum in primario circulo verticali sint posita, duo vero posteriora a nonnullis Meridiana, tanquam in Meridiano sita, denominantur, alia sunt declinantia verticalia, quæ plagis intermediis faciem suam obvertunt. Plana horologiorum, quæ ad Horizontem situm obliquum sive inclinatum habent, pariter duplicia deprehenduntur, nam quædam versus puncta mundi cardinalia aut reclinationem aut inclinationem, alia autem eandem versus intermedia subeunt, in prioribus tam inclinata & reclinata versus meridiem & septentrionem, quam ab horizonte versus ortum & occasum declinantia sub censum veniunt, in posterioribus vero deinclinata, quæ non tantum declinant, sed etiam inclinant aut declinant nominanda restant; his in genere probe perspectis, nunc supra dicta ordine & methodo conveniente curatius expositurus.

I. Cum horizontale horologium per se sit horizontale, nec demonstratione indigeat, calculus tantum, qui reliquorum fundamentum est, pro illius structura erit edocendus, qui per sequentem Analogismum elicitur, dicendo, ut sinus totus ad sinum loci elevationis Poli, sic tangens distantiæ solis a meridiano pro hora quæsita (v. g. pro horis XI. & I. 15. grad. pro horis X. & II. 20 grad. pro horis IX. & III. 45. grad.) ad tangentem anguli horarii quæsiti, quibus operationibus sæpius iteratis anguli dicti pro horizontali horologio erunt noti. Hoc omni jure pro cæterorum basi tanquam perfectissimum, cum per totum annum omnes artificialis diei horas monstret, habetur.

II. Horologia verticalia primaria, quorum plana & meridiem & septentrionem directe respiciunt, in iis terræ regionibus, quæ per 90. gradus a proposito loco sub eodem Meridiano distant, horizontalia deprehenduntur; hoc per globum terrestrem facile exhibetur, ducatur nempe locus sub meridianum & ab hoc

numerentur 90. gradus, si meridionale est planum, versus austrum (respectu nostri) seu quæratur sub complemento latitudinis nostri loci in hemisphærio australi locus, in quo meridionale verticale erit horizontale, si vero sit septentrionale, numerentur a dato loco versus septentrionem & per alteram meridiani partem 90. gradus, seu quæratur ex opposito in septentrionali hemisphærio latitudinis nostræ complementum, sub quo situs verticalis septentrionalis erit horizontalis, quod Exemplo illustrabo, sit v. g. Noriberga sub meridiano *I.F.B.D.H.E.A.C.* ad *I.* in situ, quem latitudo ejusdem exigit, constituta, planum verticalis meridionalis ad *aI.* erit in Horizonte ad *A*, cum arcus *AI.* sit 90. graduum, horizontale; jam si ab arcu *AI.* arcus *CI.* qui est latitudo Noribergensis $\frac{\circ}{49}$. 2′8. subtrahatur, residuus arcus *AC.* pro latitudine nova invenietur $\frac{\circ}{40}$. 3′2. qui est complementum prædictæ latitudinis, & locus ad *A.* pro horizontali. Planum verticalis septentrionalis *GI.* ad *B.* (cum *B.* ab *I.* per 90. gradus distet) fit horizontale, quod est in complemento (per supra dicta) elevationis poli in septentrionali hemisphærio, nam cum arcus *IF.* sit complementum Poli elevationis Noribergensis, quod est $\frac{\circ}{40}$. 3′2. & arcus *FB.* complementum ad 90. gradus, quod est $\frac{\circ}{49}$. 2′8. cum vero & arcus *FD.* sit graduum 90, Poli enim ab Æquatore ubique per 90. distant gradus, ergo arcus *FB.* modo dictus ab arcu *FD.* subtractus residuum dabit arcum *BD.* $\frac{\circ}{40}$. 3′2. qui est latitudo nova septentrionalis pro verticali septentrionali tanquam horizontali construendo, quibus demonstratis jam evidentissimum est utrumque horologium verticale ad complementum elevationis Poli horizontalis instar calculo esse subjiciendum.

III. Horologia verticalia primaria, quæ facie sua exactissime ad veri ortus & occasus punctum vertuntur, & inde orientale & occidentale nominantur, horizontalia sunt in illis terræ tractibus, qui in circulo verticalis primarii, per puncta ortus, occasus & loci dati verticem transeuntis, apropositio loco 90. removentur gradibus, quod etiam globi terrestris auxilio facile effectum redditur. Elevetur debito modo locus ad poli elevationem datus, ducaturque sub Meridianum, tunc locus ad veri ortus punctum

in

Horizonte, in quo orientale tanquam horizontale, locus vero ad occasus veri punctum, in quo occidentale tanquam orientale determinari poterit, invenietur, & quidem uterque in Æquatore, hic enim in quavis poli elevatione, si globus exacte constructus sit, semper veri ortus & occasus intersecabit puncta. Quod vero tam orientale quam occidentale in Æquatore sint horizontalia, ex eo facile deduci potest, nam cum omnia horologia in sphæra seu sub Æquatore horizontalia sint polaria, & hæc nostra horologia ex constructione nil aliud quam partes polarium sint, sequitur ergo hæc, tanquam polaria partialia, fore in Æquatore horizontalia. Per Exempla hæc declarabo, sit v. gr. Noriberga ad *I*, erit locus ab illa per *IK*, in verticali primario ad ortum 90. gradus distans ad *K* circa Insulam Sumatram quæsitus, in quo orientale sub Æquatore fiet horizontale, at vero distantia ab *I*. per arcum *IL* in altero Hemisphærio 90. graduum dabit ad occasum circa Americæ meridionalis partem superiorem locum sub Æquatore in *L*, in quo occidentale in horizontale convertitur. Quod denique ad horum calculum attinet, submonendum est, hæc horologia, quamvis sub Æquatore horizontalia sint, cum tamen horariæ lineæ hic nunquam in aliquo concurrant puncto, sed omnes παράλληλως incedant, alia, quam reliqua extra Æquatorem, ratione numeris subjicienda fore, prout e sequentibus patet. Supponatur altitudo styli supra lineam horæ sextæ tanquam sinus totus in 1000. vel 10000. partes æquales divisa, distantiæ horarum V. & VII. IV. & VIII. &c. a sextæ horæ linea erunt in contingentiæ lineis Tangentes 15.30. &c. graduum, quæ e tangentium tabulis, resectis quatuor vel tribus notis numericis postremis, cum sinus totus tantum hic sit vel 1000. vel 10000. partium pro horum constructione erunt excerpendæ.

IV. Horologia verticalia, quæ ob suam declinationem a duobus punctis cardinalibus, meridie & septentrione declinantia dicuntur, in iis terræ partibus horizontalia fiunt, quæ ad illam mundi plagam intermediam tot gradibus, quantus declinationis angulus

angulus est, vel a Meridie vel a Septentrione distant, & simul 90. gradibus a loco proposito elongantur, quod globi adjumento facile iterum præstabitur. Elevetur globus secundum dati loci elevationem Poli, statuatur dictus locus sub Meridianum, tunc apparebit, cum globi horizon pro loco dato ejus rationalem exhiberet, omnia ad illum loca a dato per 90. gradus removeri, jam vero datis declinationis gradibus vel a meridie vel a Septentione, idem graduum numerus ab uno punctorum horum, pro ratione declinationis in globi horizonte, Azimuthi instar, constituendus erit, sic monstrabitur locus, in quo declinans quodvis horizontalis vices sit subiturum. Pro Exemplo ponamus iterum Noribergam ad *I*, hujus rationalis Horizon in utroque hemisphærio ad *AB*. tractum indigitat, in quo omnia hujus loci declinantia deprehenduntur horizontalia, & quidem declinantia a Meridie versus ortum ab *A* versus *K*, illa a septentrione versus ortum a *B* ad *K*, declinantia autem a Meridie versus occasum ab *A* ad *L*. & illa a Septentrione versus occasum a *B* ad *L* horizontalem situm acquirent. Si vero declinantis horologii locus horizontalis curatius exploratus haberi vellet, quæratur data declinatione, in quadrante huic competente horizontis rationalis numerus declinationi æqualis, si v. g. detur Noribergæ planum a meridie occasum versus 50. gradus declinans, hoc ad numerum 50. quadrantis *AL* in Brasiliæ regione, tanquam horizontale inveniet locum, qui habita ratione ad latitudinum & longitudinum circulos in eadem figura sub 24. præter propter latitudinis australis gradu, in differentia vero meridianorum per 56. aut 57. gradus definiendus esset, cum vero globus non eam exactitudinem, quæ requiritur, nobis polliceatur, calculus tandem pro horologiorum horum accurata structura in subsidium vocandus erit. Quæratur igitur primo elevatio Poli loci novi, vel angulus, quem axis & linea substylaris sive plani meridiana conficiunt, concludendo per sequentem Analogiam, ut sinus totus ad sinum complementi Poli elevationis nostri loci, sic sinus complementi declinationis plani ad sinum anguli quæsiti, qui per hanc quantitate $\frac{0}{24}$. &

41′. adæquat; porro pro meridianorum differentia sequenti modo inferatur, ut sinus totus ad sinum elevationis Poli loci nostri, sic Tangens complementi declinationis plani ad Tangentem complementi differentiæ longitudinum, per hanc Proportionem Meridianorum differentia, quæ inter Noribergam & Brasiliæ locum intercedit, dabitur $\frac{\circ}{57}$. 2′8. jam posita Noribergæ longitudine ab illo Meridiano primo, qui per Ferri Insulam ductus concipitur, & apud celebriores rei Geographicæ peritos in usu maxime est, graduum 31. & minutorum 10. habebitur quoad longitudinem per $\frac{\circ}{332}$. 1′2. quoad latitudinem vero supra inventam australem, per $\frac{\circ}{24}$. & 4′1. quæsiti loci situs verus exactissime cognitus. Tandem his datis, angulos horarios per Analogismum numeri I. pro Horizontali horologio traditum supputando, iidem pro nostro declinante exhibentur etiam anguli horarii, verum ad Meridianum & tempus in Americæ loco a nostris diversum, cum igitur Meridianorum differentia, temporis quoque differentiam involvat, reductio hujus ad nostrum Meridianum requiritur, quæratur ergo primo angulus, quem Meridiana nostri cum Meridiana alterius loci e centro horologii efficit, concludendo ut sinus totus ad Tangentem complementi Poli elevationis loci nostri, sic sinus declinationis plani ad tangentem anguli quæsiti, hoc invento, qui ad nostram declinationem & loci latitudinem $\frac{\circ}{33}$. 1′4. est, anguli, quos linea subst ylaris & linea horaria, ad nostrum Meridianum & per consequens tempus conficiunt, perquirendi, & quidem si dictæ lineæ intra Meridianam & subst ylarem aut ad alterum subst ylaris latus occurrant, differentiam æquinoctialis solis distantiæ a Meridiano nostro, (cuivis horæ 15. gradus tribuentis) & anguli pro longitudinum differentia, si vero hæ ad meridianæ latus, in quo subst ilaris non est, reperiantur, summam duorum prædictorum angulorum prius per numeros definiendo, & per eundem Analogismum pro horizontali horologio exhibitum, concludendo, ut sinus totus ad sinum elevationis Poli novæ, sive altitudinis Poli supra plana, sic Tangens distantiæ solis a Meridiano plani, vel quod idem est, sic Tangens differentia vel summæ duorum prædictorum angulorum ad Tangentem

anguli

anguli quæsiti. Denique etiam anguli, quos Meridiana nostra & lineæ horariæ in verticalis horologii centro constituunt, explorari poterunt, si nempe angulus substylaris cum linea horaria in angulis horariis, qui intra substylarem & meridianam reperiuntur, ab angulo substylaris cum meridiana subtrahatur, utrique anguli in angulis horariis ad alterum substylaris latus sitis in unam summam colligantur, in iis autem angulis horariis, qui ex altera parte ad Meridianum nostrum positi sunt, differentia præfictorum angulorum capiatur.

V. Horologia, quæ directe aut versus austrum aut versus boream porro retrove inclinantur, in genere inclinata, in specie autem, quæ cœlum respiciunt, reclinata, quæ vero ad terram vertuntur, inclinata, sive versus australem sive versus septentrionalem plagam utrorumque plana se convertant, denominantur. Omnia hæc horologia sub eodem dati loci Meridiano horizontalia sunt, quod in figura per Exempla & primo quidem pro reclinatis explicata demonstrabo. Inter reclinata horologia, quæ principem locum tenent, duo omnium primo in sphæra obliqua, polare nempe superius & Æquinoctiale superius, & quidem illud respectu Noribergæ ad *c I*, hoc ad *f I* considerandа veniunt, ex his superioribus polare sub Æquatore, ad *f I* Æquinoctiale vero sub Polo Arctico ad *F* horizontale deprehenditur. Intra hæc reclinata & verticalia primaria per excellentiam sic dicta, quadruplicis generis producuntur alia, nam quædam intra verticale meridionale & polare superius, angulum nempe *a I c* quædam intra Polare superius & horizontale, angulum *c I b*, quædam intra verticale septentrionale & Æquinoctiale superius, angulum *b I f*, quædam intra Æquinoctiale superius & horizontale, angulum *f I g* locum occupant. In reclinatis generis primi angulus reclinationis a Zenith nempe ab *a* versus *c* subtrahitur a loci nostri complemento elevationis Poli, quot enim gradibus planum ab *a* ad *c* reclinat, tot gradibus etiam latitudo in arcu *A C* ab *A* versus *C*, imminuitur, residuum erit sub eodem Meridiano latitudo nova australis, ad quam horizontale pro hujusmodi

di reclinatis constructur. In secundi generis reclinatis angulus reclinationis a *c* ad *b* est quæsiti loci latitudo septentrionalis, incipit enim a *C*, & augetur a *C* ad *I* locorum latitudo. In tertii generis reclinatis angulus reclinationis a Zenith nempe a *b* versus *f* additur dati loci complemento elevationis poli; quot enim gradibus planum a *b* versus *f* reclinat, tot gradibus etiam latitudo a *B* ad *F* increscit, summa horum erit latitudo septentrionalis pro horizontali quæsita. In reclinatis quarti generis angulus reclinationis ab *f* versus *g* subtrahitur a 90. gradibus, Poli enim elevatio ab *F* versus *I* minuitur, residuum erit latitudo septentrionalis nova pro horizontali. Inter inclinata horologia quoque duo primas agunt partes, polare inferius & Æquinoctiale inferius, & illud quidem, Noribergæ respectu, ad *d I*, hoc vero ad *e I*. Ex his inferioribus polare sub Æquatore ad *D*, Æquinoctiale vero sub Polo aut Arctico ad *E* horizontale est: Polaria tam superius quam inferius eodem modo ac horologia meridiana, quia hæc partes Polarium sunt, secundum §. III. numeris subjiciuntur, Æquinoctialia vero, quia omnes anguli horarii inter se æquales sunt, calculo subduci nullo modo necessitas efflagitat. Hæc inclinata & verticalia primaria quadruplicis pariter generis horologia inclinatorum suppeditant, alia enim intra verticale septentrionale & polare inferius, angulum nempe *b I d*, alia intra Polare inferius & horizontale, angulum *d I h*, alia intra verticale meridionale & æquinoctiale inferius, angulum *a I e*, alia denique intra æquinoctiale inferius & horizontale angulum *e I g* locum habent. In primi generis inclinatis angulus inclinationis a Zenith, nempe a *b* versus *d* subtrahitur a latitudinis complemento loci dati, residuum erit latitudo loci nova pro horizontali, a *B* enim versus *D* latitudo fit minor. In Inclinatis secundi generis angulus inclinationis a *d* versus *b* quæsitæ loci latitudini, australi, quæ a *D* incipit, & versus *H* incrementum capit, æqualis est, ad quam hoc inclinans fit horizontale. In tertii generis inclinatis angulus inclinationis ab *a* versus *e* additur loci propositi complemento elevationis Poli, cum ab *A* versus *E* latitudo increscat, summa erit latitudo

titudo loci nova auſtralis pro horizontali. In quarti denique generis inclinatis angulus inclinationis ab *e* verſus *g* ſubtrahitur a 90. gradibus, minuitur enim latitudo ab *E* verſus *G*, reſiduum dabit quæſitam loci latitudinem pro horizontali. Omnia hæc horologia, tam reclinata quam inclinata ad loca inventæ latitudinis novæ tanquam horizontalia per Analogiam numero I. pro horizontali traditam ſupputantur.

VI. Horologia horizontalia declinantia, quæ ab Horizonte, vel ſecundum nonnullos, a Zenith vel Nadir ad verum ortum & occaſum declinant, horizontalia ſunt in his terræ partibus, quæ in verticali primario tot a dato loco removentur gradibus, quot gradus declinatio vel ab Horizonte vel a Zenith aut Nadir exhibet. Hoc globi auxilio facile monſtratur: Elevetur nempe locus propoſitus debito modo, ſtatuatur ſub Meridiano immobilis & applicetur altitudinis Quadrans tam ad locum noſtrum quam ad punctum, & quidem ſi planum orientem reſpiciat, veri ortus, ſi vero occaſum, occaſus veri. v. g. Si Noribergæ detur horizontale declinans ad orientem converſum, in quo declinationis angulus ſit 40. graduum, erit in quodam Perſiæ tractu horizontale. Hæc horologia quadruplici modo conſiderari merentur, vel enim ortum & cœlum, vel ortum & terram, vel occaſum & cœlum, vel occaſum & terram reſpiciunt; hæc primi generis horologia horizontalia fiunt intra arcum *I K*, ſecundi intra arcum *K G*, tertii intra arcum *I L*, & quarti intra arcum *L G*. Pro horum computo ſequentia veniunt notanda, cum horizontale horologium re ipſa ad 90. graduum diſtantiam ſit verticale ad horizontem, qui ſub complemento noſtræ latitudinis per ſuam latitudinem elongatus, illius autem gradus reclinationis aut inclinationis, ſi horizontale declinet, horizontis reſpectu iidem ſunt cum gradibus declinationis in verticalibus, omnia ergo hæc tanquam verticalia declinantia ad horizontem ſub complemento noſtræ latitudinis ſupputantur. Sic v. g. noſtrum horizontale declinans ad ortum verſum, ſub angulo 40. graduum erit ſub latitudine auſtrali $40^{\circ}. 32'$. verticale a meridie verſus ortum 40. gradibus declinans, quod in aliquo Perſiæ loco horizontale eſt. Jam cum declinantia ſuperius n. IV. tanquam horizontalia exhibita fuerint, omnia igitur etiam hujus generis horologia eidem calculo ſubjicere res exigit.

VII. Horologia deinclinata, quæ non ſolum declinantia ſed & inſimul vel inclinata vel reclinata ſunt, operoſioris præ cæteris laboris ſunt, reducenda enim prius hæc erunt ad declinantia, quæ novam latitudinem novamq; declinationem in loco ſub eodem Meridiano, quem locus pro-

positus sibi vendicat, consequentur. Hæc omnia globi quoque adjumento non admodum difficile erit exhibere. Datur v.g. Norib. planum pro horologio deinclinato, cujus declinatio a Meridie versus ortum sit 30. inclinatio vero 20. grad. Elevetur globus ad altitudinem Poli Noriberg. & locus noster ducatur sub Meridianum, notetur porro angulus in Horizonte, hic a Meridie versus ortum 30. graduum, azimuthalis dicendus, numerentur ab hoc 30mo gradu in utramque Horizontis partem 90. gradus, ad quos filum, semicirculi loco in globis usitati, quod per locum etiam nostrum transeat, cera firmetur in globo, dein applicetur altitudinis quadrans in Meridiano, ad locum nostrum & dictum gradum 30. ducatur filum hoc expansum ad gradum 20. Quadrantis, angulum inclinationis, tractus hic filaris plani propositi situm nostri horizontis intuitu oculis subjiciet: notetur insuper Meridiani gradus, quem filum intersecat, nam erit iste novi sub eodem Meridiano loci latitudo, in quo deinclinatum nostrum fit declinans. Tandem ad hanc latitudinem novam globus elevetur, numerentur autem ab illo gradu, quem filum in Horizonte intersecat, 90. gradus, & quidem in nostro Exemplo versus Meridiem, residui ad Meridianum gradus novam declinationem utrumque dabunt. Cum vero e re maxime sit, hæc exactius rimari, calculus, & quidem pro latitudine nova sequens adhibendus Analogismus, inferendo: ut Sinus totus ad Sinum complementi datæ declinationis, sic Tangens complementi vel inclinationis vel reclinationis ad Tangentem anguli quæsiti, cujus & latitudinis vel etiam ejus complementi nostri loci capienda est differentia, & quidem si horologia deinclinata sint meridionalia reclinata vel septentrionalia inclinata, differentia inter arcum modo inventum & latitudinem nostri loci definienda, cujus differentiæ complementum erit latitudo nova, si vero hæc sint septentrionalia reclinata aut meridionalia inclinata, differentia inter arcum inventum & latitudinis nostræ complementum, sit latitudo nova: in nostro Exemplo latitudo nova est $\frac{0}{31}$. 0'. sub eodem Meridiano in Barbariæ quodam loco. Post hæc declinatio nova sub hac latitudine per sequentem Analogiam quæratur concludendo, ut sinus totus ad sinum complementi reclinationis vel inclinationis, sic sinus declinationis datæ ad sinum anguli quæsiti, novæ nempe declinationis, quæ v. g. in nostro Exemplo est $\frac{0}{28}$. 2'. Hoc denique tanquam Horizontale sub elevatione Poli australi $\frac{0}{49}$. 10'. & sub longitudine $\frac{0}{75}$. 10'. ad oras maritimas terræ australis incognitæ per methodum num. IV. pro declinātibus adhibitam supputandum & ad nostrum deinclinatum applicandum veniet, sic & ultimum horologiorum planorum genus omni ex parte quoad calculum erit perfectum.

OBSERVA-

OBSERVATIO XCVI.

Dn. D. Michaelis Friderici Lochneri.

De nova purpurae specie Nesselsucht *dicta; an Aspredo Celsi, vel Vredo Plinii, et Vrigo Vegetii et Apuleii?*

SEnsere jam per aliquot annos cives nostrates epidemicum malum, molestum magis quam periculosum; invadit eos horror febrilis levior, interdum adeo remissus, ut levioris et per summa corporis diffusi frigoris sensum exhibeat, succedente leniſſimo calore, qui aegros a solitis muniis vix distinet. Associat se saepius hisce difficultas spirandi ac praecordiorum anxietas, similis illi, cujus *Lucretius* Libr. 6. de rer. Natur. meminit:

- - - - erat anxius angor
Assidua comes, et gemitu commista querela.

Profert haec cordis compressio et anxietas specioſos colore flores, purpureas nempe sumitates in cute se diffundentes, non compressas et planas, sed elatas, puncturis et ardoribus ab urtica affines, hinc nostratibus die Nesselsucht vocatur. Praeter pruritum minus saev asymptomata habet, ideoque blandioribus cedit alexipharmacis malum, et aliquos robore naturae absque ullis pharmacis eluctatos novi. Quod si tamen retrocedant, periculum minari hic pustularum retrocessus solet, παλινδρομὴ humoris peccantis ad partes corporis nobiliſſimas, saepius lethali.

Controversia inter nostrates orta, novum et veterum monumentis incognitum hoc esse malum, illisque accensendū, de quibus medicorum Cicero *Celsum in Prooem.* libr. *Incidere nova morborum genera, in quibus nihil adhuc usus ostenderit.* Regessi tamen, tot retroactis seculis et a veteribus observatum fuisse hoc malum, nilque aliud esse quam modo laudati *Celsi Aspredinem* L. V. de remed. c. 28. *Pustularum* inquit, *varia, genera sunt: nam modo circa totum corpus partemque aspredo* (Rob. Constantinus in suo codice Mſſo legit *Aspritudo*) *quaedam fit, similis his pustulis, quae ex urtica, vel sudore nascuntur.* Haec Romanus Hippocrates. Si altius assurgamus et divini Coi nostri scripta perlustremus, liquido apparet, hanc *Aspredi-*

nem

nem Celsi diversis in locis per ἐξανθήματα οἷα τὰ τῶν κωνωπῶν δήγματα exprimi, sic culicũ morsibus assimilari, quod *Celsus noster pustulis ex urtica* provenientibus et e sudore natis adjudicat. *Prosper Martianus* interpres Coi nostri optimus, vir singularis ingenii, et tam judicio pollens quam in arte exercitatissimus, in Lib. 2. Epid. Sect. 3. comm. text. 20. τριχίσματα, aspera, miliacea, culicum morsibus similia et aliquantum prurientia interpretatur. Hippocrati nostro ὁμόψηφος *Aetius Amidenus*, vir inlustris, Comes ὀψικίου seu Obsequii, (quam dignitatem *P. Castellanus* infeliciter satis per comitem opificii vertit.) Sic enim ille ex Herodoto antiquo medico locum operibus inseruit L. V. c. 130. γίγνονται γὰρ ἐξανθήματα περὶ ὅλον τὸ σῶμα μώλωπες ἐμφερεῖς τοῖς ἀπὸ κωνώπων δήγμασι, certe nilaptius de Aspredine nostra Celsiana dici potest. Convenientius tamen vocabulum apud *Plinium Histor. Nat. ubi de urtica*: *Haec tactu uredinem incitat*, quae vox optime certe in hanc purpurae a nobis recensitae quadrat speciem: sed quae Vredo Plinio, Artis Veterinariae scriptori *Vegetio Lib. II. c. 52. Vrigo est*, si locus corruptissimus, e conjectura felici magni *Meursii* corrigatur. *Vrigines* (corrupte *Vligines*) *etiam in pedibus, cruribus, unguibusque vel sub armis aliquando generantur, quas quidam dulcedines vocant, habent scabiei similitudinem.* Sic vocantur apud Apulejum *dulcedines hinnientium*; nec *Vriginis* vox Milesiarum scriptori inusitata, sic Metamorphi Lib. I. *de Meroë*: *Mesatis quam humane tractare adorta, coenae gratae atq; gratuitae, ac mox urigine percita cubili suo applicat.* item Metamorph. VIII. *ad illicitae libidinis extrema flagitia infandis uriginibus efferantur*, et paulo post: *Supinatumque Juvenem execrandis uredinibus flagitabant*, ubi Pricaeana Apuleji Editio, cui Beatissimus noster Wagenselius variantes lectiones e diversis optimae notae Manusc. codicibus ab illustri Octavio Ferrario excerptas, ipsique benivole communicatas, illevit, *uriginibus* quoque habet. Pricaeus dubitat, an apud Juvenalē: *prurigo moræ impatiens*, non urigo legendum. *Urere* quippe in Venereo significatu latinis maxime Poëtis non insolens. Hanc igitur purpurae speciem latine *Aspredinem*, *Vredinem* et *Vriginem* si nominare cui placuit, auctoritatem fundatam habebit in veteribus scriptoribus.

OBSER-

OBSERVATIO XCVII.

Dn. D. Joh. Jacobi Bajeri.

De singularibus Febris Epidemicæ phænomenis.

QUæ anno hujus seculi XI. sub veris initium, irrepere in hoc oppidum coepit, hinc ad solstitium usque grassata *febris*, tam varias egit tragœdias, ut si integram illius historiam describere vellem, in librum haud exiguum crescceret tractatio. E quamplurimis autem observationibus paucas saltem, speciminis quasi loco, proferam. I.) Fuisse *febrem* revera *quotidianam continuam*, quippe quæ sine intermissione manifesta semper circa vesperam increvit, servato utique hoc typo, tametsi alias infinite propemodum variaverit symptomatibus suis. II.) Invasisse ordinarie catarrhi quadam specie, ad oculos, nares, fauces, pectus, continuato & sæpius exasperato eodem vitio cum ipsa febre, cui propterea *catarrhalis* cognomen vulgo fuit attributum. III.) Interdum *benignam*, frequentius *mali moris* extitisse, summa virium imbecillitate, artuum tremoribus, convulsionibus, deliriis comitatam. IV.) *Lentum* plerunque *incrementum* cepisse, & vix unquam ante diem decimum septimum judicari potuisse, quo etiam tempore, raro citius, perierunt devicti a morbo. V.) Facili *contagione* propagatam, paucis omnino peperciisse, quibus frequens cum ægris erat commercium; unde totas familias infecit, dum v. g. e duodecim alumnorum Norimbergensium contubernio unus tantum liber evasit, cæteris omnibus, cum Inspectore suo, etsi non eadem mali vehementia tentatis. IV.) Urinas apparuisse coloris aurantii (quales quidem in aliis quoque febribus conspiciuntur) singulare tamen quippiam constanter illas ostendisse, *pelliculam* nempe *tenuissimam*, *e lacteo rubentem*, *vitri parietibus undique affixam*, quæ vel sola signum præbuit hujus febris proprium ac veluti pathognomonicum, ab unico (quantum mihi constat) *Illustri D. Stahlio* in Problem. pract. de Febrium pathol. & Therapia pag. 10. memo-

ratum. VII.) Sæpe nulla produxiſſe *exanthemata*, interdum *miliacea*, aliquando & *petechiis ſimilia*; Quorum ſpecimen rariſſimum cernere licuit in ſtudioſo, cui jam convaleſcenti, numeroſae per utrumque crus eruperunt *maculæ petechiarum forma, ſingulæ puncto centrali notatae*, in cujus tamen abſentia *diſcrimen inter petechias & pulicum morſus* unice conſtituunt autores quidam medici. VIII.) *Deliria* utplurimum eveniſſe *lenia* & *moderata* nonnunquam tamen ſatis *pertinacia*; ſicuti ſtudioſo alicui per dies pluſculos nullis argumentis perſuaderi poterat, quo minus crederet, duos ſibi eſſe ventriculos, quorum alter aſſumta forte medicamenta aut alimenta moleſtiſſime ferret. IX.) Regimen ſtricte diaphoreticum profuiſſe parum, majus autem commodum attuliſſe *diarrhæam ſpontaneam*, qua improvide ſufflaminata, aphthæ ac deliria ingruere, & omnia in pejus ruere viſa ſunt. Plura non addo, quandoquidem morbum iſtum πολύμορφον καὶ πολύτροπον e propoſitis ſpeciminibus paucis abunder ſatis cognoſci poſſe arbitror.

OBSERVATIO XCVIII.

Dn. D. Joh. Jacobi Bajeri.

De Lienis ruptura lethali.

EQuidem non inaudita ſunt *exempla rupti lienis*, utpote apud *Tulpium*, *Bohnium* & alibi, tum præcipue *in Ephemeridibus noſtræ Academiæ* paſſim legenda. His tamen nunc adjungere placet caſum obſervatione ſatis dignum. Homo ruſticus in pago nobis vicino, per unum alterumque jam annum de hypochondrii ſiniſtri dolore, ad corporis inclinationem, aut ponderis de terra ſublationem ſæpius exaſperato, interdum quoque anxio triſtique animo conqueſtus, aliquando, tempore hiemali, bene potus domum properans, e curru delapſus, in diverſorium ducitur, ebrii inſtar decumbit, vomit, cruciatum vehementem abdominis, & moleſtum frigoris per membra ſenſum perpeſſus, poſt aliquot horas moritur. Altero die ſuſcepta cadaveris inſpe-

inſpectio multum omnino læſionis alicujus externæ veſtigium prodidit. Aperto autem abdomine, ἀθρόως καὶ βιαίως prorupit *cruor, quaſi omnis in cavum iſtud corrivatus, ultra quinque libras.*

Fontem ejus ſtatim apparuit fuiſſe *ſplenem, in parte gibba decuſſatim ruptum*, una quidem rima per longitudinem uncias duas ſuperante, altera transverſali dimidium æquante, ſatis profunda utraque, venis & arteriis pluribus laceratis. Cæterum ipſe *lien nigricans, prætumidus & ſphacelo contaminatus*, atro & grumoſo ſanguine plenus, tetrique fœtoris, haud obſcure indicavit corruptionem minime novam; cui inſuper *hepatis, ea parte, ubi vena portae ingreditur, color lividus* majori documento fuit.

OBSERVATIO XCIX.

Dn. D. Joh. Jacobi Bajeri.

De Gutturis inciſi curatione.

VAgabundus quidam homo, pilcorum obſoletorum reparatione quæſtum faciens, melancholici temperamenti, metuens ne in militiam proficiſci cogeretur, deſperatione adductus, in diverſorio proximi nobis pagi, tempore nocturno, *gutturis transverſim cultro facta inciſione* mortem ſibi conſciſcere ſatagebat Hinc largiter effuſo ſanguine, ſemianimis ad nos translatus, idoneis auxiliis refectus decenterque deligatus, habita præſertim ſanguinis ſiſtendi ratione, per noctem aliquantiſper quievit. Mane, cum religaretur vulnus, apparuit illud penetraſſe inter proximos a larynge annulos arteriæ aſperæ, *amplo hiatu*, ex quo prodiens ſpiritus admotum candelæ lumen facile extinxit. *Uterque musculus ſterno-hyoideus profunde ſauciatus, & ſiniſter quidem totus ferme præciſus*, parumque abfuit, quin ejusdem lateris arteria carotis plagam inſanabilem accepiſſet. Ea interim ſalva, nec venarum jugularium externarum ramis grandioribus percuſſis, ſperare licuit haud difficilem fore curationem; quam quidem

ipsemet æger impatiens, & quodammodo delirans impediebat, tentata aliquoties fasciarum & emplastrorum solutione. Accedens insuper *tussis continua* negotium facessebat. Ea vero sedata, & animo decumbentis pacato reddito, intra quinque septimanas perfecte coaluit, nulla sonoræ vocis læsione, nec turpi cicatrice relicta. Quo minus autem hujusmodi simpliciora vulnera tracheæ sunt mortifera, eo frequentius talia eveniunt per accidens, cum non facile contingat ipsam altius incidi, sine adjacentium venarum, arteriarum, nervorum percussione: Qua ratione videtur periisse juvenis ille, cujus casum Excell. *Dn. D. Dillenius* in Ephem. A. N. C. D. III. Ann. VII. & VIII. pag. 283. exposuit: Cum ex adverso *feliciter sanata tracheae vulnera Riverius, Bartholinus, Tulpius, Blancardus* & alii commemorent.

OBSERVATIO C.

Dn. D. Christophori Ludovici Gœkelii.

Ecpiesma cum vulnere cerebri profundiore feliciter curatum.

TAm provida fuit infinita summi Creatoris in formando corpore humano sapientia, ut quo aliqua pars esset tenerior ac nobilior, eo firmiore muniretur propugnaculo. Valet id vel inprimis de cerebro, artificiosissimo ac diviniſſimo corporis totius membro, mentis sacrario & animæ ipsius acropoli, osseo eapropter quantum quantum cinctus munimento, ne quibusvis adeo facile exponatur injuriis. Non obstante tamen hoc & sua quoque experitur fata, tanto semper periculosiora, quo majorem supponunt prægressam violentiam. Nec negligenda igitur sunt leviſſima capitis, multo magis cerebri, vulnera, sollicitasque exposcunt Chirurgi manus: neque vero prognostico statim relinquenda graviora, quia interdum sanantur aliqui absque spe, prudentiſſime monente Avicenna: Cauti proinde sint Medici & Chirurgi, si audiant Berengarium Carpum in aureo suo de Fract. Cranii tractat. p. m. xxix, in prognosticando de læsione capitis, quia etiam levis læsio non caret suspicione, primo quia læsio est in nobiliſſimo membro, & de similibus vidimus multos periclitari: Nec unquam pro honore artis utantur prognostico determinato, sed dicant, itidem sic jubente laudato modo Auctore p. XXXVI. illud aureum Damasceni in suis aphorismis: Si interrogatus fueris, semper velociter respondeas: dubitandum est. Quorsum hæc dicta sint, subjuncta modo historia docebit, vel ideo inprimis notanda, quod quamplurimi capite vulnerati, ut ut leniter, ex negligentia aut regiminis non rite servati culpa magis, quam vi læsionis intereant, aliis contra gravius læsis, majori medentium diligentia ac cura & diæta maxime ad præscriptum Medicorum exactiſſime observata felici eventu inde emergentibus,

Anno clɔ lɔ cc x i v. d. 18. Julii matutino tempore Georg Binschleter, Rusticus Selingensis, subditus Badensis, filium suum Johann Binschleter / puerum 10. annorum ruri cum equis haud ita pridem coëmtis miserat, ut in littore Rheni non longe a pago distante eosdem pasceret, injuncto circa horam secundam pomeridianam reditu. Puero autem cum equis nec tertia hora, nec quarta, imo nec elapsa sexta reverso, parentes de infortunio ipsi forte illato solliciti, ad locum ipsum adeunt, equosque ibidem videntes solos nec puerum, eum de littore forte in Rhenum delapsum, adeoque undis submersum suspicientes, magno cum ejulatu, & filii nomen iteratum plus mille vicibus clamantes, diu in agris, nullo invento nec respondente puero, discursitant, donec positus ex opposito in custodia miles Gallicus perceptis miserrimis lamentationibus in causas earundem inquirens, locum, ubi e longinquo, viderat jacentem puerum, dormienti similem indicaret. Eo perventi puerum quidem, at humi prostratum, in capite graviter ab equorum altquo solea ferrea vulneratum, sanguine multo & ex vulnere & ex naribus & auribus depluente madidum, sensuumque omnium & motus plane expertem, lethargicum magno cum luctu deprehendunt, domumque secum mœstissimi auferunt. Vocatur ex pago vicino Chirurgus, leviori, ut solet pro conditione loci, imbutus in arte sua experientia, capillisque circa vulnus rasis, & sanguine vino calido detersо, linteis illud concerptis siccis, emplastro de betonica fotibusque ex cephalicis paratis desuper impositis deligans, eaque methodo, solo addito unguento digestivo, citra ulterius vulneris examen per sex subsequos dies primos continuans, ægro interim quotidie febre magis incalescente, & lethargo, vomitibusque semper permanentibus. Moti hinc Parentes nullo hactenus viso levamine, præsens magis sollicitare auxilium d. 24. Julii ad nos Rastadtium confugiunt, meam Chirurgique nostri aulici, Viri in arte sua peritissimi Dn. Lamberti, Galli, quæ hodie natio in Chirurgia palmam omnibus præripere aliis

re aliis videtur, implorantes opem: Sequebamur petitum miserorum, deproperabamus ad lectum ægri, eumque deprehendebamus capite graviſſime læſum, febre continua acutiſſima, vomitibus & hæmorrhagia narium & aurium vulneri junctis miſere decumbentem & lethargicum, ſudoribus fere diffluentem: interdum quidem, at indiſtincta voce oculisque clauſis ejulantem & balbutientem, cæterum continuo in ſomno delirantem omnisque expertem judicii, liquida tamen juſcula & potulenta oblata avid: quidem haurientem; at illico revomentem. Vulnus erat in regione media & inferiore oſſis parietalis ſiniſtri, integumentorum ratione non quidem adeo magnum: labia enim vix digiti unius ſpacio diſtabant; ipſa vero cerebri ſubſtantia interpoſita & aliquantulum ad nucis juglandis magnitudinem propullulante diſtenſa.

Neceſſum ergo fuit, mediante inciſione prudenti ac debita, diductis paulo magis labiis & iſta cerebri protruſi ac a reliquo jam ſeparati, portione emortua & in putredinem proniſſima caute remota interiora accuratius magis luſtrare. Quo facto in conſpectum prodiit fractura Cranii, Græcis ecpiesma dicta: portione oſſis parietalis majore, unum & dimidium digitum lata, duos autem cum dimidio longa, triangularem fere in modum (ut clarius ex figura Tab. VIII. exſculpta, ubi naturali extat magnitudine conſpicienda, patebit,) ita diffracta, ac intra ipſam cerebri ſubſtantiam depreſſa, ut, quæ intra duos angulos ſuperiores b. b. in figura notatos intercedebat, lata oſſis fracti portio, aliqua quidem ex parte, quoad tabulam nempe ſecundam, cum oſſe ſano adhuc ſuperius cohæreret, inferior autem & tertius angulus d. d. perforatis dura & pia matre in ipſam cerebri ſubſtantiam corticalem ad binos angulos ſuperiores usque eſſet detruſus, ſicque integrum oſſis diviſi fruſtum latitaret intra cerebrum, cujus notabilem ſatis quantitatem & alter Chirurgus, cum prima deligaſſet vice, ſeſe, falſo autem pro pure agnoſcens,

jam

jam abstuliſſe referebat, & nos hac quoque vice removere denuo cogebamur: In eo ergo, rebus sic sese habentibus, versabatur medendi cardo, ut extraneum illud intra cerebrum hærens ossis frustum quandocyus eximeretur, quod quidem dictu, quam facTu erat facilius: Licet enim illa, quæ cum secunda adhuc cohærebat ex parte tabula, extremitas, mox inde penitus esset separata, duo tamen anguli ejus superiores, per quæ intrusa erant loca, nunquam reducendi, nec sine majore meningum & cerebri læsione in alterutrum verti poterant latus. Hoc itaque opus, hic labor.

Tentavimus diu variis id efficere encheirisibus, & aucta successive violentia, donec sudoribus fere exhausti, voti denique nostri compotes fieremus, infixamque hanc spinam, laborum tantorum præmium obtineremus lætissime. Neque vero unquam citra graviorem & cerebri & meningum dilacerationem obtinuissemus, nisi, quod tamen eventus magis nos docuit, nec ob cerebrum, quo tecta erant omnia aeque fuit prævidendum, ipsissimum hoc delitescens in cerebro frustum, prope angulum superiorem & posteriorem denuo aliqua fuisset ex parte jam fractum: hinc enim accidit, ut intensiori paulo cum vi frusto majore sursum tracto illud minus ex figura distinctius adhuc concipiendum & literis a. b. c. circumscriptum, itidem tabulæ tantummodo secundæ adhærens, tandem a majori avelleretur, abbreviatisque sic angulis binis superioribus majori demum frusto exitus concederetur feliciter. Finitis hisce, quod & æger antea jam debilior, ex diuturniore hinc mora magis adhuc esset defatigatus, & præcavendæ majoris hæmorrhagiæ ergo necessum erat, vulnus citra ulterius ejusdem examen, & linteis quidem concerptis, vino tantum tepido, quod nihil ad manus esset aliud, imbutis tam piae matri cerebroque læso, quam reliquis partibus una cum fotibus cephalicis superimpositis deligare, ægrumque sic deligatum remediis evporistis, traumaticis, antifebrilibus & confortanti-

fortantibus prospectum, dubia valde concepta de reconvalescentia ejus spe, sedulæ prioris Chirurgi curæ commendavimus, abeuntes hoc in mandatis relicto, ut & fotus sæpius repeteret, & superstite altero adhuc die ægro, nuncium illico nobis mitteret, sine mora tunc ad ulteriorem opem ferendam redituris. Mittitur nuncius, nos vi promissorum revertimur, ægro, solis exceptis vomitibus, qui mox ab hesterna cessabant operatione, eandem interim ludente tragœdiam. Vulneris explorantibus conditionem, remoto omni apparatu hesterno, alterum ossis fracti frustum minus in figura literis a. b. c. notatum, in posteriore vulneris regione tabulæ itidem secundæ tantum adhærens, in conspectum quidem illico prodiit, omniaque recentissima, & cerebrum maxime sanum apparebant: opus autem erat ulteriore rursus labiorum versus occiput divisione, ut laudata ossis dif-fracti pars residua eo tutius & commodius eximi posset: qua facta omnia ex voto succedebant, & vulnus denuo lege artis ut heri, plumaceolis, quæ piæ & duræ matri interius imponebantur, melle rosato cum spiritu vini rectificato diluto, quæ vero exterius, unguento digestivo imbutis deligabatur, illi hinc methodo per 15. omnino dies insistentes, cum majore quotidie vulneris emolumento & εὐφορίᾳ ægroti, qui simul ad evitanda graviora symptomata interne præscripta potione cordiali diaphoretica cochleatim sæpius de die utebatur & diæta tenuissima, seu ut Hippocrates loquitur, λεπτῇ καὶ ἀκριβεῖ.

Mox enim exinde æger intervalla quædam experiebatur lucida, ut quæsitis interdum decenter responderet, momento tamen post recidivante delirio, & dura mater incipiebat primo

bene ſuppurare, hinc ſuppuratione finita fieri magis magisque terſa, ſuaviter rubeſcens & punctulis multis minutiſſimis glandulosis quaſi conſpicua, tantaque ſuccreſcere velocitate, ut die a facta operatione undecimo multa jam ex parte cicatriſatam eo, quo denuiſſima erat, loco paululum rurſus dilatare conſultius judicaremus, ne ſi pus aliquod, vulnere cerebri nondum exacte forte conſolidato inferius contineretur, nullum amplius reperiens ſeſe evacuandi ſpacium, ſtagnando ibidem & acrimoniam tunc concipendo, nova denuo excitare poſſit ſymptomata: Impedito ea igitur ratione & hoc, alias non ſine cauſa metuendo incommodo, vulnus itidem more conſueto tractavimus, quemadmodum & die redeuntes decimo quinto, ægro hilari nos excipiente vultu & quoad mentem rurſus ſibi conſtante, nec febre amplius adflicto, vulnere item invento quam optime conſtituto & cicatrice duræ matri denuo obducta, ſubalbida & molli, lympham quaſi inſpiſſatam æmulante, cum nihil plane puris nuper ſub dura matre eſſet viſum, eodem omnia ſtatu reliquimus, balſamo Fioravanti ſolo, (quod inſigne eſt remedium travmaticum exſiccans in vulneribus membranoſarum aut nervoſarum partium, Gallis probatiſſimum, ex terebinthin. ℥j. aloes. nitr. ſanguin. dracon. aa. ℥ij. colophon. ſarcocoll. aa. ʒj. cum ſpirit. vin. ℔jv. & albumin. ovor. n. xij. in balneo Mariæ paratum,) & melle roſato vulnus debite deligantes.

Diebus autem poſteris, decimo ſeptimo, vigeſimo & vigeſimo ſecundo e fundo vulneris, cæteroqui perbelle ſeſe habentis, inſtrumento Gallis dicto Lenticulaire, depreſſa leniter dura matre colore naturali & ſuaviter ex albo rubente conſpicua pauxil-

pauxillum ſemper puris cocti laudabilis evacuavimus, pulſuque ægri, nihilominus ſatis bene viventis duriore paulo & celeriore exiſtente doſes aliquot ſpecif. cephal. Mich. bono propinavimus ſucceſſu. Die vigeſimo octavo os læto omine prima exfoliationis futuræ indicia exhibebat; trigeſimo primo quædam carnis fungoſæ excreſcentiæ & duram matrem & reliquam vulneris ſuperficiem circumſidebant, ſolo autem ſpiritus vini rectificati uſu externo, plumaceolis nimirum eo madidis ſuperimpoſitis brevi tam feliciter rurſus abaltæ, ut triduo poſt omnes evanuiſſent, oſſe ſimul notabile ſatis deponente foliolum, quorum & quamplurima alia ad ſexageſimum usque diem, quotidie melius ſeſe habente ſimul vulnere, ſecedebant & eximebantur. Cum autem poſt hæc renueret dura mater penitus in cicatricem convenire, ad mel roſatum pauco ſpiritu vini dilutum denuo fuit confugiendum, cujus etiam ope impetrabatur, ut die denique uno & centeſimo non tantum coalita perfectiſſime, verum & carne jam multa & bonæ notæ tecta reperiretur, ipſis etiam integumentorum labiis ſimul quam elegantiſſime coeuntibus. Interum dum hæc fiunt, exoriebatur abſceſſus pone aurem ejusdem lateris in regione oſſis parietalis inferiore, ubi cum oſſe petroſo inter apophyſin maſtoideam & concham auris ſiniſtræ conjungitur, recta linea infra vulnus, in magnum & febrilem calorem, cum amaritie oris & diarrhœa conjunctum, & dolores novos ægrum inſuper per aliquot dies conjiciens, donec facta die centeſimo quarto inciſione poſt multum evacuatum pus tenue, albidum, illique per omnia ſimile, quod ante hæc e dura matre effluxerat, omnia mox remitterent ſymptomata, tum hoc tum alio vulnere primario brevi hinc tempore coaleſcentibus

quam perfectissime, ita ut paucis ab ultima deligatione diebus, die centesimo & vigesimo sexto facta, æger sibi integerrime restitutus incolumis, vulnere & abscessu sanatis, in publicum & ad pristina eddire posset obeunda officia, nunquam tamen reminiscens, qua esset ratione vulneratus, & linguam inde reportans balbutientem.

TANTVM.

APPEN-

APPENDIX

AD

EPHEMERIDVM ACADEMIAE CAESAREO-LEOPOL-DINAE NAT. CVRIOS.

IN

GERMANIA

CENTVRIAS V. et VI.

Mo.Bot. Garden;
1902.

CONTENTA APPENDICIS.

1. Dn. D. Lucae Schroeckii, Archiatr. Caesar. & Acad. Praesid. Constitutio Epidemica Augustana A. 1715. & 1716.
2. Dn. D. Marci Gerbezii Poliatri Labacensis Constitutio Epidemica Ao. 1715. & 1716.
3. Dn. D. Joh. Jacobi Scheuchzeri, E Lexico Diluviano Specimen.
4. Dn. Joh. Georg. Liebknecht, Mathes. Prof. Publ. Ordin. Giessen. Nova adproximatio Quadrati ad Circulum inscriptum per series in infinitum instituta.
5. Dn. Lic. Joh. Jac. Dillenii Dissert. Epistol. de Plantarum propagatione maxime capillarium & muscorum.
6. Ejusdem de Plantarum propagatione Epistolaris dissertatio altera &c. &c.
7. Dn. D. Philippi Breynii Epistola de Plantis & Insectis quibusdam rarioribus in Hispania observatis.
8. Dn. D. Wolffgangi Christiani Manes Bagliviani.
9. Dn. de Vuolhouse, Nobilis Anglo Londin. Jacobi II. Ophthalmiatri &c. Quadraginta circiter operationes Chirurgicae partim primum adinventae, aut saltem renovatae, quas oculis laborantibus administrat.
10. Dn. D. Michaelis Friederici Lochneri Archiatr. Caesar. & Acad. Direct. Ephem. Succedanea exotica Thee & Cafe, Botry Ambrosiode Americana, Ambrosia Artemisiae foliis odorata Malabarensi, Thee de Lima, de Paraguay, Cafe a la Sultane, & olio Siree. &c. &c.
11. Ejusdem Belilli Indicum cum Tethyos & Tethyorum Historia.
12. Ejusdem Festum Terhinidiorum Dianae Corythalliae a nutricibus Spartanis celebratum.
13. Dn. D. Gothofredi Benjaminis Preussii Epistolica dissertatio ad rem Numismaticam Medicorum pertinentia quaedam exhibens.

CONSTI-

CONSTITUTIO EPIDEMICA AUGUSTANA

Dn. D. Lucæ Schröckii,

Anni 1715.

HYemale frigus uti in fine Anni præteriti, ita jam quoque tolerabile exſtitit, & raro, nec diu intenſius redditum fuit; interea mutabilem aëris, inprimis autem nebuloſam & humidam intemperiem experti fuimus; & quamvis ventorum eſſet varia mutatio, Zephyrus tamen utplurimum prævaluit; qui noctu d. 8. Februarii vehemens redditus, poſtea d. 11. & 12. invaluit, imo d. 2. & 4. Martii, omnium maxime vero d. 3. ejusdem, in magnum furorem erupit, & non ea quidem damnorum multitudine, qua in Anglia, Hollandia &c. infamis, non tamen plane inſons deſæviit, cælo interim nebuloſo, cum intervenientibus, parcioribus quidem, nivibus, comparente; temperie autem paulo prius nominata continuante; usque dum d. 5. Aprilis Eurus aërem ſerenaret & excalefaceret; redeunte tamen circa Solis in ſignum Tauri ingreſſum, ſub diverſa ventorum facie, humida ob pluvias frequentiores intemperie. M. Majo vernalis amœnitas usque in adultum Junium comparuit; & licet Sol quandoque acrius ureret, pluviæ tamen intervenientes, & tempeſtates, attamen nobis non admodum graves aut damnoſæ, calores temperabant. Sol poſtquam Cancri in ſignum pervenit, Euro flante, æſtivos calores experti fuimus; quos vero, Zephyro ſuccedente, M. Julio temperatior aura excepit, pluviis ſubinde æſtum temperantibus; talique ſtatu usque ad d. 15. Decembris utplurimum permanente; ubi hyemale frigus, aëre ſe-

reno per sextiduum, postea fere semper nebuloso usque ad finem anni durante, admodum penetrans Eurus excitavit. Cæterum humida hæc aëris constitutio catarrhosas infirmitates, leviores tamen, oculis, dentibus, faucibus & pectori creavit, atque in autumno & hyemis principio, multis infantibus tussi & catarrho suffocativo, præsertim post Morbillos, exitialis fuit: postquam enim Variolæ præteritis duobus annis frequentes fuerunt, hoc anno quoque, & quidem mensibus æstivis vehementiores, confluentium naturam in multis induentes, in pueris continuarunt, & præter eas Morbilli benigniores in vere supervenerunt, atque post inducias æstivas, in mense Novembri atque Decembri gravius adfligentes recurrerunt, pluribusque, qui aut gravius, corpore imprimis vitioso fero laborante, iis infestabantur, aut cura negligentiore tractabantur, mortem accelerarunt; quod aliis etiam infantibus multis ex catarrho suffocativo, aut insultibus epilepticis contigit.

Anni 1716.

FRigus anno superiore obortum, Anno 1716. quoque continuavit, & inprimis d. 17. 18. & 19. Januarii adeo invaluit, ut frigori Anni 1705. ubi in Thermometro meo spiritus vini ad septimum usque gradum descenderat, æquale comparuerit, imo d. 18. illud dimidio gradu superaverit. Quæ austerior aura etiam usque in adultum Majum, rarius temperatiori interveniente, perseveravit; & licet alibi, etiam in vicinia nostra, nives crebriores & copiosæ admodum delapsæ fuerint, in urbe tamen nostra altitudinem alibi observatam non attigerunt. Cæterum multa ventorum mutatio & rarior serenitas semper occurrit, præterquam quod in Aprili Eurus plures dies serenos efficeret. Unde vernalis amœnitas & rarior, & sera admodum obtigit, ut incrementum Floræ, Cereris & Pomonæ multum retardaverit.

Nec Æstas multo melius se habuit, crebris ventorum alternationibus, pluviisque obnoxia, exceptis diebus canicularibus, qui plures sereni, non tamen calore nimio infensi exstiterunt.

Auth-

Autumnus non minus, ſub Zephyri, præſertim poſt Æquinoctium, & primis Decembris diebus admodum vehementis, prædominio, frigidus humidusque, & in Novembri crebris nebulis infeſtus, atque circa finem denuo pluvioſus exſtitit.

Poſt Solſtitium quoque hyemale crebræ rurſus nebulæ comparuerunt.

Ex humida autem hac aëris conſtitutione catarrhoſæ infirmitates fere nunquam non per totum annum fuerunt obortæ; & inprimis circa Anni principium Apoplexiæ adultis, ac Tuſſes convulſivæ pariter ac humidæ puerili ætati, non ſine multorum internecione infeſtæ: nec deerant Pleuritides veræ, diaphoreticis tamen & pectoralibus non difficulter curabiles; in quinque primis menſibus Febres inſuper intermittentes, tertianæ & quartanæ, non paucis moleſtæ, ſed facile, chinchinæ, obſervatis obſervandis, cedentes.

Nec Variolæ prorſus ceſſarunt, ſparſim ſubinde comparentes, in Autumno tamen plures invaſerunt, & confluentium naturam in quibusdam induendo, malignitatis etiam notas exhibuerunt, ac ita aliquibus funeſtæ evaſerunt.

Conſtitutio

Anni 1715. a Marco Gerbezio, Med. Doctore apud Labacenſes in Carniolia Medico notata, & Medico-Phyſice conſiderata.

QUem non piget revolvere conſtitutiones anni 1713. & 1714. a me notatas, & poſtremo Ephem. Nat. Cur. tomo inſertas, is facile conjiciet, qualiter ſaltem per hyemem currentis anni 1715. ſubſtiterit inter noſtrates Labacenſes humana valetudo. Ex temporum ſiquidem ſalubribus, vel inſalubribus aëris conſtitutionibus potiſſimum dependere humanorum corporum bonam, vel malam valetudinem, demonſtravi luculenter in Chronologia mea Med. Quandoquidem igitur ex dictorum annorum conſtitutionibus elucefcit, eorum tempora potiſſimum fuiſſe varia, aſpera, &

pluviosa; talia autem solere esse fluxionum, & omnis generis a putredine, & humorum corruptione oriundarum indispositionum feracia; arguere proniſſimum est, saltem hyemem memoratos annos immediate consecutam debuisse fluxionibus, & omnis generis a putredine, & humorum corruptione oriundis indispositionibus fuisse obnoxiam, non obstante, quod ea de se adeo insalubris non fuerit, utpote potiori ex parte aquilonia, toleranter frigida, & sicca, adeoque ex sententia Hippocratis utcunque salubris. Corpora siquidem per antecedentem talem insalubrem aëris constitutionem vitiosis humoribus semel referta, præsertim hyemali tempore, quo cutis pori ab externo frigore occlusi, talium humorum debitæ per insensibilem perspirationem deputationi obsistunt, per subsequentem, etsi etiam utcunque salubrem aëris constitutionem, sibi adeo restitui vix possunt tam celeriter, ut in affectus a tali putredine, & corruptione oriundos non incidant, eo saltem usque insistentes, donec a salubriori, & ea contraria, calida videlicet aëris temperie in contrarium non alterentur. Hinc etiam observatum fuit, non obstante juxta dicta de se alias utcunque salutari hyemis constitutione, plurimos Labacensium incidisse, præter omnis generis defluxionum morbos, quoque in febres malignas, morbillaceis & varii generis etiam aliis cutis efflorescentiis adeo periculosis, & contagiosis stipatas, ut potissimæ urbis domus eis fuerint coinquinatæ: magna etiam incolarum pars, præsertim pauperum, utpote & competente victu, & necessariis remediis destitutorum, plane e medio sublata. Dictum siquidem fuit præterlapsum annum 1714. fuisse adeo sterilem, & insuper fructibus, quos protulerat, vitiatum, ut inde in corporibus ab eis nutritis alii succi progenerari non potuerint, præterquam morbosi. Accesserat & mortalitas animalium, quorum, etsi nondum actu ægrotorum, re ipsa vero tamen actu infectorum comestas carnes probabile est, etiam quidpiam ad humanorum corporum insalubritatem contulisse. Item inter plebem famem ipsam, quæ propterea tot mendicos ad urbem compulerat, ut non pauci eorum con-

quisi-

quisito ibidem cibo saturati mox animo, & vita etiam in publicis plateis concidere visi fuerint, usque dum eis in publico Lazareto, alias pro impestatis destinato, ex collectitia eleemosyna necessaria sustentatio a Magistratu suppeditaretur.

Petechiales, seu scarlatinæ illæ maculæ, quas vulgo petechias nominamus, vix apud ullum ægrum observabantur: morbillaceæ vero, alias rubeolæ dictæ, quales Ego Anno 1699. per æstatem hic grassatas fuisse *Anno* III. *meæ Chronolog. Med.* §. *XL.* & sequent. descripsi, communiter apud omnes, præcipue in dorso magis conspicuæ: quibus tamen non raro elevatæ quæpiam pustulæ instar variolarum interspergebantur, sæpe etiam discussis jam illis exanthematibus undecima morbi die, 14. vel etiam tardius superveniebant, miliares quædam pustulæ totum corpus densissime cum pruritu obsidentes: subinde vero hydatides, seu limpidissimo sero repletæ vesiculæ, eis ex asse simillimæ, quæ perfusione cutis aqua fervidissima excitari solent. Et istæ potissimum post se traxere ægri, utpote aliunde jam prius enervati, inevitabilem interitum, sicut illæ non facile.

Variolæ quidem, & morbilli etiamnum quoque adhuc una grassabantur inter infantes, & adultos, minori tamen cum sævitie, quam elapso Decembri, præter unicam Monialem, apud quam variolis densissime perspersam usque ad duodecimam morbi diem omnia securissime procedere videbantur; duodecima autem epidermis, seu extrema illa cuticula, quæ veram cutim contegit, adeo elevata conspiciebatur per faciem, & totum reliquum corpus, præcipue brachia, latentibus subtus variolis, ut ad humerum digitis apprehensa, per totum brachium uno tractu detrahi potuerit, idem puta de facie. Et ista 13. morbi die obiit. Plura hic mihi essent adhuc de epidemia hac valde multis fatali commemoranda: quod ea vero potissimum tetigerim in Chronol. mea Med. loco citato describendo febrim morbillarem apud nos Anno 1699. similiter, etsi non adeo ferociter, sævientem, Benevolum Lectorem eo ablego. Interea solum adhuc id hic adjiciens, quod Epidemia isthæc malignitate parum a peste

ipsa recedens tota hyeme, & Vere, præcipue Majo mense, usque in Junium, qui erat amœnissimus, eatenus, in omnem ætatem, & sexum, præsertim in quoad faciem cæterum saniissimos sævierit, ut tale quid nostra memoria hic Labaci adhuc numquam fuerit obsevatum. Neque hoc solum hic Labaci, sed successive & per reliquam provinciam, præsertim circa Sitticium in parochio S. Viti, & circa Rudolphsbertum in parochia S. Ruperti, ubi maximam subditorum partem e medio sustulit.

Ex sexu Muliebri tamen utero gerentes præ aliis impegerant, utpote communiter abortum passæ, & retractis a lochiali fluxu ad interiora exanthematibus. Idem fere puta de eis mulieribus, quibus mox in mali principio, aut sub ipsa exanthematum eruptione menstrua proruperant.

A Junio usque ad exitum Augusti erant fere omnia benigna, de variolis autem, & Morbillis nec auditum quidem: econtra febres tertianæ, præsertim Octobri Mense (quamvis is fuerit una cum Septembri, imo & Novembri, præter solitum amœnius;) adeo contumaces, & inconstantes, ut post tertium, vel quartum paroxysmum communiter degenerarint in lentas continuas per plures hebdomadas, non obstantibus idoneis remediis, continuantes; ultimatim vero rursus in intermitentes terminatæ: quæ vero erratice ægros apprehendebant, serius, aut citius in quartanas mutabantur, quas tamen omnes sequenti methodo, & remediis, propterea bene annotandis, feliciter curabam. Primo purgabam corpus ter, quater, vel quinquies (pro exigentia videlicet cacochymiæ, vel cachexiæ) communiter pridie paroxysmi (quia ea die tolerantius se habere solent ægri) tali ptissana: ℞. fol. sen. f. ft. ʒiij. Salis Tartari ʒß. flor. viol. martial. passul. min. mund. ana p. 1. f. per noctem infusio in loco calido in s.q.aq. agrimon. vel borrag. vel aq. com. vel etiam in jure pulli pro colaturæ ʒiv. Mane prævia levi ebullitione f. expressio, & potio. Vel talibus pilulis, ℞. Pil. Tartar. Schrœd. ʒß. extr. gentian. cent. min. ana gr. IV. resin. jalap. pin. sub. gr. V. vel vij. M. cum Tinct. Tartar. f. pil. No. IX. Intermediis diebus fiat humorum

rum digestio, & obstructionum reseratio: ℞. Essent. absynt. agrimoniæ, Elixir propr. parac. tinct. tartar. martis aperit. spir. salis ammon. ana ʒj. M. Dosis mane,& vesperi gutt. XXX. ultimatim: ℞. Pulv. patrum ʒjſs. conf. Alkerm. ʒij. Antimon. diaph. ʒjſs. arcan. dupl. Salis absynt. cent. min. card. ben. ammon. ana ʒſs. M. cum conditura cort. citr. f. elect. molle. Dosis diebus apyrexias mane & a prandiis tribus horis ante pastum castaneæ magnitudo, superbibendo aliquid aq. card. bened. vel vini melioris: die febrili autem eadem quantitas in declinatione æstus febrilis, continuando id saltem semel de die per 4. circiter hebdomadas etiam post expugnatam febrim, cum exactæ diæta observantia.

Qua ratione autem feliciter cesserit febrium malignarum, & petechialium curatio eis rusticis, de quibus mihi ex Comitatu Cillienſi perscripserat certus Amicus, quod illi sese in summo febrili æstu frigidæ immergere soliti sint? Ego non capio. Quod vero pedibus, & reliquo corpore tumefacti ad potum cent. min. & immersionem pedum in aquam fimi detumuerint, ejus demum ratio reddi jam potest.

Constitutio

Anni 1716.

Apud Labacenses in Carniolia notata a Marco Gerbezio, apud Labacenses Physico & Medico ordinario.

A Tricennio huc recordor, nos quidem varias hyemes ob non minus copiosas nives, quam asperam auram perdifficulter superasse, imprimis hyemem anni 1709. a me in Ephem. Nat. Cur. Centur. 1, & 2. sub titulo: Constitutio anni 1709. descriptam; nullam tamen fere difficilius, quam cujus Constitutionem nunc communico; hyemem videlicet currentis anni 1716. Ista siquidem vix aliquando, ab intercurrentibus brevissimis austris

ſtris aliquantum refracta nivium copia, & frigoris aſperitate per totum adeo ſævierat; ut æquinoctium vernum, quod alias apud nos hyemis finis eſſe ſolet, longe exceſſerit, obque indeſinenter furentes aquilonares ventos, indeque ſumma ariditate conſtrictam terram arbores, non, niſi primo circa dimidium Maji in folia, & flores, idem puta de ſatis in ariſtas, erumpere ſiverit: exemplo alias noſtra memoria nunquam viſo, præterquam ante annos circiter 50, quo recenſet certus ſeptuagenarius illius hyemis frigus usque ad Maji exitum adeo inſtitiſſe, ut paſſim neceſſe fuerit ſeſe a frigoris intolerabilitate lignis excalefactis fornacibus tueri. Omnes tunc, addit dictus ſeniculus, deſperaverant de ſatorum fere emortuorum, & frugum vel tolerabili ubertate; interea vero tamen conſecutum fuiſſe annum adeo fertilem; ut is raros ſibi habuerit pares. Quemadmodum idem ipſum inexpectata Dei benedictione factum admiramur & nos currente hoc anno.

A dimidio Maji demum prægreſſis pluviis tempus vernum, & ſucceſſive terræ viror, efflorescentiaque; quam vernam amœnitatem continuarat & Junius, cum Julio, & Auguſto Menſibus, terræ frugibus vel propterea opportunis, quod fertilibus, eisque brevibus pluviis ſæpius ad colonorum votum interſpergerentur. Sique September jam nominatorum menſium tempestiem ſaltem proportionate ſecundaſſet; uberiorem annum optare non potuiſſemus. Quod hic vero per totum fuerit pluvioſus & frigidus, maturandoque fagotritico, noſtrorum colonorum pani quotidiano, uvisque plane importunus; factum eſt, quod fagotriticum vix maturatum, uvæ vero plane fere non. Unde vina non minus pauca, quam ultra modum acerba: procul dubio in futurum Colicorum, & arthriticorum, nec non aliorum ab acido, & auſtero oriundorum, affectuum cauſa extitura. Arborei fructus econtra, præſertim poma, fuere copioſiſſima.

Veluti exhauſtis demum per pluvioſiſſimum Septembrem nubibus autumnus ſubſecutus fuit præter morem, & expectationem

tionem acceptus, terra nivibus non nisi 11. Decembris, cum intenso tamen frigore, cooperta.

Hinc humana corpora sicut per hyemis decursum multum fuere ab omnis generis defluxionibus perpessa, ita verno tempore præsertim a pectoris affectibus; adeo ut de actu phthisicis nemo mortem evaserit, plurimi alii vero eidem obnoxii prima sibi ejusdem injecta fuisse fundamenta etiamnum deplorent. Per reliquum anni decursum vero demum fere meræ indispositiones sporadicæ.

Qualis erat, ut saltem unam vel alteram curationem pro usu medico subjungam, herruli illius, qui pridem cachecticus, & scabiosus veluti repente fuit a scabie per se liberatus, incidetat econtra in vehementes hepatis puncturas, febrim acutam continuam, sitim, tussim, vigilias &c. Huic præmisso clystere fuere sanguinis ex basilica brachii dextri emissæ unciæ V. Hinc pro febris sufflaminatione talis pulvis bis quotidie introsumendus datus: ℞. Spec. de gem. frigidis, diatrag. frig. antim. diaph. ocul. 69. ana gr. V. nitr. perl. gr. iij. M. f. pulv. Et ab extra præmissa unctione ungu. de althæ. anodyn. & ol. viol. iterato superpositum tale cataplasma. ℞. Herb. malv. althæ. melil. flor. ros. rub. ana Mj. herb. hyosc. M. β. farin. sem. lini. fœnugr. ana ℥j. M. dentur minut. concisa pro sacculo in lacte decoquendo. Et intra novem dies obortis interea sæpius sudoribus habuimus levamen desideratissimum; adeo, ut aliis ulterius non indiguerimus, quam corporis expurgatione, & quibusdam levibus beechicis.

Item certæ Comitissæ dysuria cum intolerabili regionis vesicæ sive a simplici urinæ acrimonia, sive a viscositatibus (de arena siquidem nihil fuit animadversum) oriundo dolore: quæ tamen intra 12. horas cesserat (frustra prius applicatis quatuor Clysteribus, tot unctionibus, & cataplasmatibus ex parietaria &c. combinatis) ad ab extra applicatam dolenti regioni theriacam ol. scorpion. Matth. perspersam, & ad introsumptam ex vino ℥j. radicis parreiræ bravæ ante biennium per Germaniam a

D. Lochnero, Illuſt. noſtræ Academiæ Directore, divulgatam Poſt trium circiter hebdomadarum intervallum in idem malum reciderat eadem Comitiſſa cum urinæ cruentæ excretione: & eadem ipſa remedia experta fuit ſibi fuiſſe ſicut prius, maxime proficua. Suaviſſime ſiquidem urinam promovet laudata radix quomodocunque introſumpta, per ſe, vel cum aliquot granis ſalis geniſtæ, & ejus acrimoniam cum admiratione temperat. Quemadmodum id expertus ſui quoque in memet ipſo, & primo his diebus apud nephriticis doloribus detentum Jeſuitam.

Et denique, ut alias præteream, Arthritis illa, quam vehementem patiebatur cerra puella, intra paucos dies his ſolis libenter rata: primo purgabatur hoc bolo ſpecifico, & propterea mihi in arthritide familiari: ℞. Elect. Caryocoſt. ʒiij. ſpec. diatereb. Mynſ. ʒj. M. cum ſacch. f. bolus. Hinc ex Iſchiatica pedis emiſerat unc. V. ſanguinis, & ſudabat quotidie ad hunc pulverem itidem ſpecificum: ℞. Pulv. March. oſs. Microcoſ. phil. præpar. antimon. diaphoret. ana ℈ß cinnab. nat. præpar. gr. iij. M. f. pulv. qui mane ſumatur ex decocto Theæ cum decocto ligni ſaſſafr. viſc. querc. & rad. liquir. facto, veſperi vero ex aqua beton. Et convaluerat intra dies duodecim.

His ipſiſſimis remediis recordor me pluries curaſſe quoque doloroſiſſimas Iſchiaticas, ſolis adhuc ſubinde in ſubſidium vocatis Cataplaſmatibus, ſeu fomentis anodynis. Et cura compendioſa, commoda, & tamen, ſi continuatur, magis, quam quis ſibi perſuadere poſſit, efficax.

Conſtitutio Epidemica Ferrarienſis

Anni 1715.

Dn. D. Joſephi Lanzoni.

Poſtquam Annis proxime elapſis lues peſſima boves miſerabiliter invaſit, atque copioſiſſimi imbres tellurem inquinaverunt noſtram, totumque agrum Ferrarienſem ſtagnantibus

bus aquis peſſime vitiatum vidimus, ita ut ſemina futuræ meſſis pro majori parte deperdita fuerint, unde caritas, ac inopia anni 1715. ſurrexit; facta eſt etiam ſanitatis jactura.

Martio menſe vix inchoato, magnus bufonum & ranarum numerus obſervatus eſt, & increſcente vere innumerabilis culicum, vermium, ſerpentum, muſcarum, papilionum, locuſtarum, erucarum, aliorumque inſectorum copia ſuper terræ faciem apparuit, & liberum aëris campum occupavit, ex quo nonnulli multas ægritudines in humano genere prædixerunt; Verno etiam tempore adhuc currente maximi Solis æſtus in Maji fine corpora noſtra vexarunt, mox aura nebuloſa & humida, dolorum dentium, capitis, & rheumæ parens ſurrexit, quæ tamen brevi in multam eſt mutata ſerenitatem. Acceſſit Junius, & ſummis caloribus corpora noſtra affecit, hinc exordium habuere febres quædam, quæ prima facie tertianæ ſimplicis notam præferebant, mox duplicatæ pertinaciter utrumque ſexum, omnesque ætates invadebant; primo enim rigor incipiebat, qui ad plures horas durabat, vomitus amari ſucci aderat, cardialgia, dolor capitis, & eximia ſuccedebat ſitis; in multis tormina, & ventris fluxus, in aliis ſumma alvi ſtypticitas, inappetentia in omnibus, ac vigiliæ aderant; in tali, ac tanto autem numero febres iſtæ invadebant, ut nulla fere domus, nulla Religioſorum tam marium, quam fœminarum Monaſteria, nullus denique in urbe locus fuerit ab hoc febrili incendio immunis; miſerandum erat videre unum vix in domo ægrotare, dein paucos poſt dies totam febricitare familiam, ſic Cœnobia, xenodochia videbantur, & rura repleta febricitantibus, intimidis nonnullis ac effeminatis contagionis timorem crearunt; ægrotantes creſcebant in dies, & ſine ſalute primorum, numerum augebant ſecundi, ut vix ſufficerent Medici ad tantas ægrotorum viſitationes, dies enim licet æſtivus ad tale miniſterium brevis erat. In curatione talium febrium primo lenitiva proponebantur ad educendas pravas materias in primis viis hærentes, & hoc die pari, & vacua fiebat; elapſa autem impari, in qua febris redibat, Venæ ſe-

ctio celebrabatur; sed hic notavi, die talis remedii, quo febris, quia tertiana, abesse debuerat, accessionem reduplicatam, & ex simplici, duplicem factam fuisse, & continuam, sicque majus minari periculum; qua experientia edoctus, imposterum nunquam in talibus curandis febribus venam secari jussi, sed ubi opus erat, cucurbitulas scarificatas tantummodo applicari mandavi; Alterantia, Cordialia, Clysteria, Narcotica, Diuretica, & Sudorifica incassum semper fuere administrata, imo summum illud remedium, nempe cortex Chinæ Chinæ, per plures dies exhibitum parum aut nihil præstabat auxilii; sive cum vino generoso, sive in bolo cum Syr. absynt. confecto in decoctione, tinctura, Extracto, Syrupis, in Rotulis, aliisque modis exhiberetur: Medicorum aliqui istum pulverem cum Rhabarbaro, Zedoaria, Gentiana & centaurio min. mixtum dederunt, aliique pulverem corticum Fraxini, & corticum Aurantiorum, baccarum Juniperi similiter experti sunt. Si in aliquibus cessabat febris, brevi redibat, ac ter & quater recidivam patiebantur ægrotantes. Ego & uxor mea dilectissima, sub augusti finem ab hac febri correpti, usque ad Novembr. ea laboravimus. Sic inter alios sub festo Paschatis Clariss. Dn. Hieronymus Baruffaldos Philosophiæ Doctor Excellentiss. atque Amicus meus suavissimus, pertinacissimam hanc febrem, pravis stipatam symptomatis, usque ad æquinoctium autumnale fuit passus; ego optima instituta victus ratione, & ad plures dies assumpto vino generoso, in quo china chinæ infusa fuerat, tandem convalui; uxor vero mea, quia purgata, & aliis pharmaceuticis remediis usa est, sanguine etiam e vena pedis emisso ad febrem cicurandam, semper in pejus ruebat, & majores patiebatur febriles insultus. Modo quartanæ duplices apparebant, modo simplices, hinc tertianæ redibant, inde duplices fiebant, iterum quartana, imo in aliquibus de septima in septimam diem revertebantur febres, pertinaces, & malignam semper servando naturam. Observatum est, nonnullos aërem mutavisse, aliaque loca petiisse, ibique morantes sanitatem recuperasse: Reversi vero Ferrariam, illico a nova febri vexati sunt.

Pauca

Pauca fuere funera, ſed longiſſimæ convaleſcentiæ, hinc in multis obſtructiones obortæ, in aliis crurum, & pedum intumeſcentia; in aliquibus icteritia, ſurditas, tremor, ac ſcabies, ſigna erant infirmitatis elapſæ. Notatum fuit in pejus ſemper ruere ægrotos, atque recidivare faciliter, ſpirante Euro, qui ventus pertinaciter ad plures dies perſeverabat. Cauſam inquirentes nonnulli, nimium ſideribus tribuentes, putaverunt, ſtellarum influxum malignum, primo boves, inde homines affeciſſe; alii calorem æſtatis nimis intenſum longum, atque moleſtum accuſabant, quatenus extenuando corpora, & humores fundendo, nec non ipſos ſpiritus diſſipando, hujuſce naturæ febres excitaret; Multi in vino cauſam horum morborum latitare autumabant, eo quia anno elapſo 1714. ob cæli inclementiam ex uvis fere immaturis vinum aciditate abundans confectum fuerit, quod aſſumptum craſin humorum, ac fermentorum vitiando tales febres excitaret; Non pauci cadavera boum, lue peſſima anno elapſo denatorum, & hinc inde paſſim ſepulta, cauſam iſtarum calamitatum agnovere: dicebant enim, particulas nobis infenſas, ac mortiferas a cadaverum corruptione elevatas atque per poroſitates terræ ad aërem inquinandum ſublevatas infectionem in humoribus noſtris peperiſſe: nec defuerunt, qui nimis credüli hanc peſſimam conſtitutionem a faſcino & maleficarum artibus diabolice provenire crediderunt. Aliqui, cum quibus ego facio, cogitaverunt cauſam harum febrium internam fuiſſe humores viſcidos atque tenaces, concoctu difficiles ac vix ſeparabiles, nec ſine longo tempore conſumi aptos; externam autem cauſam in vitio terræ conſtitutam eſſe, cum enim annis elapſis, ex copioſis imbribus, & fluminum diluvie, tota facies noſtræ telluris tecta apparuerit, & per conſequens viſcera ejus coinquinata a ſtagnantibus aquis fuiſſent, unde infectæ ex pravis humoribus herbæ paſcua nociva exhibuerint; Ex hoc morbi animalium, arborum multarum obitus, rubigo ſegetum orta, particulæ enim nitro-ſulphureæ aſſidue elevabantur, & fructus adhuc tenellos & uvas nondum maturas adurendo, ſpem

colligendi alimenta furabantur; quin puteorum noſtrorum aquæ, quibus juſcula, pultes &c. conficiuntur, particulis iſtis imbutæ, vitium cum alimento præſtabant. Qui exactam vivendi normam obſervabant, ſæpe pejus vexabantur, quam illi, qui diætæ regulas aſpernati, omnis generis cibaria pro libitu ac voluntate aſſumebant; Aliqui intemperantes, ante acceſſionem largam vini generoſi quantitatem potabant, ac inde ſe ad ſomnum & ſudorem componebant, & nonnulli tali modo ſanitati ſunt reſtituti. Alii omnimode ſe abdicarunt a vino, absque ullo fructu: febres enim pari pertinacia procedebant, atque diætam, quantumvis regulis propriis exercitam, eludebant. Ad effugiendam peſſimam hanc conſtitutionem ad rura ibant non pauci, verum quia agri nobis vicini, eadem valetudine afficiebantur, parum utilitatis experti ſunt; qui vero extra noſtra confinia profiſcicebantur, atque vel Bononiam, Mantuam, Patavium, Veronam, Venetias, atque Romandiolæ urbes pergebant, ii ſanitatem facile recuperabant. Non minus accidit nonnullis, qui tædio affecti ad exteras urbes ſe contulerunt adhuc febricitantes, ut absque alio remedio priſtinam recuperaverint ſanitatem, & bene valentes in Patriam redierint. In puellis paſſim obſervabatur in præſenti conſtitutione magna lumbricorum copia, per vomitum enim & per ſeceſſum vermes in febrium exordio prodibant, & multi pueri ex hac peſte denati ſunt. Hyſtericas inſuper affectiones in fœminis, talibus febribus conjunctas præter modum notavi, earumque inſultus fortiores, atque frequentiores maxime in febris principio, & augmento. Fructus pene omnes verminoſi, ac ingrati ſaporis, ita ut bonæ ſubſtantiæ fuerint illi ſoli, qui ab exteris ad nos mittebantur & præſertim illi optimi ſucci erant, qui a Patavinis montibus veniebant. Poſtremo tandem obſervavi per publicas noſtras vias, per vicos, & plateas, ſi quid aquæ, aut alterius humiditatis, ad paucos dies permaneret, viridem colorem, ac fœtorem emittere, quod non tam facile annis transactis eveniebat. Faxit Deus, ut hæc terminante Anno 1715. finem habeant, atque meliorem anni venturi 1716. Conſtitutionem poſſimus ſani deſcribere. Dn.D.

Dn. D. Johannis Jacobi Scheuchzeri *Ex Lexico Diluviano Specimen:* Ad Perilluſtrem Societatem Leopoldino-Carolinam Imperialem & Regiam Scientiarum Pariſinam.

CORNU AMMONIS partim ab Arietini Cornu ſimilitudine, partim a Jove Hammone ejusque Cornubus, nomen habet. Priorem Etymologiam habet *Solin Polyh.* c. 27. cui *Cornu Hammonis* dicitur *lapis ita tortuoſus & inflexus, ut effigiem reddat Cornu Arietini.* Hinc forſan vocatur *Corne de Belier, Boccon. Rech. Nat.* p. 306. *Arietis cornu ſimilis. Merret. Pin. Rer. Brit.* p. 214. licet a Cornu Arietino tortuoſo & inflexo multum differat. De Jove Hammone, *ad cujus templum lapis hic fuit lectus, Solino* teſte l. c. ejusque cornubus lapidi noſtro admodum ſimilibus, extant paſſim apud Antiquarios monumenta, quæ hic inſerere ſupervacaneum judico. Originationem hanc ſecuti ſcriptores bene multi nomina lapidi noſtro ſervarunt. Itali quippe vocant eum *Corno di Ammone*, Galli *Corne d' Ammon*, ad quorum imitationem & nos appellare poſſemus *Ammonshörner*, *Ammonis Lapis* legitur in *Besleri Gazoph. Ammonius Lapis* apud *Calceol. Muſ* 313. *Hammonius Lapis* apud *Cardanum de Gem.* n. 81. p. 567. Gravius lapſus eſt *Ambroſinus* in *Muſ. Metall.* qui *Chryſammonitem* vocat Cornu Ammonis aurea armatura præditum; & ex eo *Reiskius Diſſ. de Corn. Amm.* p. 185. inter *Ammochryſi* aut *Chryſammi* genera Cornu Ammonis reponens, gravius inquam hi lapſi, quandoquidem ἀμμόχρυσος, ἢ χρύσαμμος, ipſo *definiente Reiskio, lapis vocatur, qui ex aurea arena compactus colorem refert aureum, ac reſolutus in pulverem ſcripturæ poſtea conſpergendæ, aut ſiccandis literis inſervit.* Quid igitur Cornu Ammonis cum Chryſammo commune? Cornu Ammonis cum ſerpentibus in ſe convolutis novam peperit ſynonymorum catervam. Pertinent huc *lapis ſerpentis in ſpiram revoluti effigie,*

apud

apud *Gesn. Fig. Lap.* 167. b Ein gantz steinerne Schlange/ welche als ein Zirckel-Ring in dem Stein verborgen gelegen: Apud *Cysat.* Beschr. des *IV.* Waldst. *Sen.* 250. *Lapis continens perfecte figuratum serpentem convolutum, sine capite tamen. Boyle Gemmar. Orig. & Virt.* p. 49. *Lapis insignitus forma serpentis. Serpens conglomeratus:* Stein mit Schlangen-Bildnussen. *Besl. Gaz. Serpentes lapidei. Agric. Nat.* Foss. L. VII. *Serpens in lapidem versus: Calceol. Mus.* 423. *serpent stones. Ray topogr. Obs.* p. 240. *Serpens conglobatus lapideus: Vipera aut alius viperæ similis: Serpens in lapidem mutatus: Laet. Lap. & Gemm.* 185. *Serpentes saxei suis spiris revoluti: lapis serpentis in spiram revoluti effigie. Cambden Brit. in Prov. Eborac. & Somerset. Lapis sceleton serpentis referens. Worm. Mus* 86. *Des Pierres, qui ressemblent a un serpent: des Pierres faites comme des serpens, des Pierres Serpentines, ou Pierres de Couleuvres, qui ressemblent a la banniere de Dan, que l'on nous represente dans les Genealogies, qui sont au commencement de quelques unes de nos bibles Angloises, Pierre de Serpent, Serpent & Couleuvres de Pierre, Childr. Hist. Nat. D' Anglet.* 61. 97. 129. 132. 263. *Serpenti convertiti in pietra. Moscard. Mus.* p. 178. A Serpentibus transierunt alii ad Erucas, quæ in se circumvolutæ, haud inepte cornua quædam Ammonis referunt. Huc sane pertinent *Rughe animaletti Moscardi* p. 179. Et utinam non transisset hic in nomine error ad monstrosas circa originem & formationem horum lapidum opiniones! Dedit porro propior cum cochleis convenientia Cornubus nostris varia nomina: referri huc debet; *Cochlea Lapidea*, apud *Gesn. Fig. Lap.* 165. *Cochlites striatus instar Cornu Ammonis seu serpentis in se gyrati: Cochlites* item *seu strombites planus, teres seu fossilis, absque striis ac in se revolutus. Wagn. Helv. Cur.* 306. imo ipse *Conchites, Strombites, Ostracites* intimante *Reiskio* p. 203. pro Cornu Ammonis exhibentur. Vocatur Schnecken-Stein/ Berg-Schnecken/ steinerne Schnecken. In Agro Gandersheimensi & Brunshusano Germaniæ nuncupatur Cornu Ammonis, Drachenstein/ vel *Draconites*, nomenclatura prorsus nos convenienti, censente ipso

ipso Reiskio. p. 161. Nihilominus & apud *Ferr. Imper. Hist. Nat.* p. 582. adjungitur *Corno di Ammone*, alterum synonymum *Drago di Pietra*, Germanis insuper vocatur *Scherborn; Zieherborn*. B. *de Boot, Gemm. & Lap.* L. II. c. 246. *Lachm. Oryctogr. Hild.* p. 33. *Gothlandis Maris Baltici incolis antiquis, inprimis versus Promontorium Australe Houborg: ubi frequens reperitur, Steinborn*, id est *cornu lapideum nominatur, quia ibidem saxeæ omnino est duritiei & cineri coloris, quo vulgo omnia petrificata in oris ejus insulæ prædita sunt.* Ita me docet Cl. *Matthias Schacht*, Rector Scholæ Cartemundensis in Fionia in *Collectaneis suis* de *Cornu Ammonis in Septentrione*, quæ fragmentum sunt promissi ab ipso tractatus, *de Lapidibus Figuratis Septentrionis*, transmissa mihi paucis ante obitum mensibus. Adjecit ingenti synonymorum numero, ut ne quid deesset ὀνοματοποίᾳ novum *Nautilitæ* & *Nautili fossilis* vocabulum *Eduardus Luidius*, Anglus, argumentis, me judice, motus haud satis validis, quandoquidem ipso definiente *Luidio* p. 15. Nautilus *Cochleam* indicat, *cauda in os amplissimum gyrata, spiris intus dense cameratis*, quo quidem charactere gaudet non Cornu Ammonis omne, sed Nautilus fossilis in specie, vel si ita velis, Nautilita κατ' ἐξοχήν ita dictus. Conveniunt pleraque, Cornua Ammonis, vel *Cornu Ammonis* testaceo marino, vel lacustri, vel *cochleæ fluviatili turbinatæ figura depressa, List. Cochl. Fluv. Tit.* 26. 27. 28. cui proinde etiam *cochlitarum* titulum merentur, definiunturque *lapides turbinati intorti, quorum orbes serpentum in modum in se convolvuntur, de Cochlit. Angl.* p. 205. Manebimus nos in recepta hactenus Cornu Ammonis appellatione: πᾶν γὰρ ἀσαφὲς τὸ μὴ ἐιωθὸς, *quicquid inusitatum, id obscurum est; Ita Aristoteles Topic.* L. VI. c. II. ubi *Platonem* suggillat, quod araneam noluerit vocari Φαλάγγιον, sed σηψιδακὲς, i. e. *putri mordacem*, & medullam non μυελὸν, sed ὀξεογενὲς, ossium procreatricem. *Vossius* Lib. II. *Theol Gentil.* Cap. II. Cornu Ammonis pro Gemma venditat, quam *Silius Italicus* Lib. XV. *Garamantidem* vocat, *Plinius Garamanticum* & *Carchedonium*: sed Vossio jam satisfecit *Reiskius Diss.* Cit. p. 188.

Cornu Ammonis in Spinatum Læve.

I. *Cornu Ammonis* non ſpinatum valde compreſſum, læve, ſpira latiori unica horizontaliter excurrente terminatum, M.S.II.

Cochlites ſeu ſtrombites planus, teres, ſeu ſeſſilis, absque ſtriis, ac in ſe revolutus. Ein glatter und zuſammen getruckter Schnecken-Stein / *Wagn. Helv. Cur.* 306.

Nautilites minimus ſubcraſſus ſabuletorum, *Luid. Lith.* n. 259. & p. 99.

Cornu Ammonis læve ſpina ſubrotunda minimum unius anfractus, *Lang.* H L. F. p. 90. T. XXIII. n. 4.

- - - - - - - - - - minus compreſſum unius anfractus, Id. p. 90.

- - - - - - - - - - - ovatum unius anfractus, id. l. c.

- - - - - - - - - - - umbilico æque prominulo uniustantum anfractus: Id T. XXIII. B. V. 91.

Not.

Hujus generis cornua non ultra 8. lineas ſunt longa, extrema ſpira, 3. lin. eſt lata & 1. craſſa, cæterum ſunt lævia, aliquando etiam ornamentis foliaceis inſignita, de quibus initio monendum, ea non ingredi ſpecierum diſtinctionem.

II. *Cornu Ammonis* planius ſeu compreſſius ſpira latiori plani ad inſtar inclinati duplicis ſeu cunei ſenſim ad marginem attenuatum. M. S. 25.

Nautilites acuminatus ſive *Diſcoides* minor. *Luid.* n. 258.

- - - - - - - - minimus cinereus, Id. n. 261. 262.

- - - - - - - - - - futuris foliaceis inſignitus major. Id. n. 255.

- - compreſſior acuminato accedens undulatus maximus Id. n. 257.

Nautilitæ acuminati articuli. Id. n. 298. 299.

III. *Cornu Ammonis* non ſpinatum, compreſſum, ſpiris paulo craſſioribus & teretioribus læve M. S. n. 18. 20.

Cornu

Cornu Ammonis læve armatura ænea lucente. *Baubin. Hist. Font. Boll.* p. 22. Ein glattes Scherhorn / mit einem helleuchtigen küpfferichten Harnisch. id. *Edit. Germ.* p. 23.

- - - - - cum armatura orichalcea læve. Ein glattes Scherhorn mit einem messingen Glantz oder Harnisch. id. l. c.

- - - - - cinereum & læve *Lachm. Orykt.* p. 34.

Cochleæ lapideæ genus planum vel sessile, sub rufso colore foris, intus albo. *Gesn. Fig. Lap.* 165.

Nautilites minimus degener, sive sabuletorum calculorum instar tersus & lævigatus. *Luid.* n. 274.

- - - minor sive medius complanatior, altius umbilicatus. id. 278.

- - - medius complanatior. id. n. 279. 280.

Cornu Ammonis læve, tuberculis ac striis carens. *Schacht, de Corn. Amm.* M. S. C.

- - - - - flavum læve & nonnihil depressum. id.

- - - - - parvum glabrum, striis ac juncturis carens. id.

- - - - - læve, pellucidum, crebris articulis, si lumini objiciatur, velut undatis distinctum, *List. Cochlit. Angl.* Tit. 8.

Ammonis Cornu vix duorum orbium, fere reticulato quodam opere depictum, umbilico utrinque leviter prominulo. *List.* Tit. 10.

Nautilites compressus undulatis striis parum eminentibus. *Luid.* 250.

Ammonis Cornu læve spina subrotunda minus trium anfractuum juncturis foliacea exprimentibus. *Lang.* H. L. F. p. 90. T. XXIII. n. 2.

- - - - - - - - - - - - - - - mediocre compressum duorum anfractuum umbilico pertuso, juncturis foliacea exprimentibus. Id. T. XXIII. No. 1.

- - - - - - - - - - - - - - - minimum compressum duorum anfractuum umbilico pertuso. id. p. 94.

Ammonis Cornu læve, ſpina ſubrotunda mediocre preſſum duorum anfractuum. *Lang.* p. 90.

- - - - - - minus compreſſum duorum anfractuum. id. l. c.

- - - - - - minimum compreſſum duorum anfractuum, id. l. c.

- - - - - - mediocre duorum anfractuum, ex altera tantum parte ad umbilicum cavum. id. l. c.

- - - - - - minus albicans trium anfractuum, armatura argentea ſplendente donatum, & ex altera tantum parte ad umbilicum cavum. id. l. c.

- - - - - - cinereum ovatum 4. anfractuum ex altera tantum parte ad umbilicum cavum. id. p. 91.

- - - - - - marcaſitaceum mediocre compreſſum trium anfractuum. id. l. c.

- - - - - - minus compreſſum trium anfractuum. id. l. c.

- - - - - - idem juncturis foliacea exprimentibus. id.

- - - - - - læve ſpina ſubrotunda marcaſitaceum minus compreſſum, trium anfractuum, gleba minerali obductum, id. T. XXIII. C.

- - - - - - - - minus trium anfractuum orbibus teretibus, & nonnihil aſperis. id. l. c.

Nautilites ſuperficie lævi, lineis ſimplicibus rectis, *Bayer. oryct. Nor.* p. 60. T. II. f. 1. 8. T. VI. f. 4.

- - - minor buccatus ſeu Cochlites lævis *Herman. Maslogr.* p. 216. T. X. f. 3.

Not.

Hoc aliquando ſtriis vix conſpicuis eſt donatum, iisque denſiſſimis & ſubtiliſſimis. Striæ autem in tenuiſſima cruſta ſeu cuticula ſunt conſpicuæ, qua ablata læves abſolute dixeris. Talis modi Cornu habeo ex Agro Altorffino. n. 73. ſeq. titulo:

Cornu Ammonis non ſpinatum compreſſius, læve, vel ſubtiliſſime denſiſſimeque ſtriatum, ſpira latiori. Hujus generis, Cornua mi-

nua minora ſunt plerumque vix digitalia, rarum admodum ſpecimen, cujus *Bajerus* l. c. meminit 9. unciarum longitudine, figura dimidiatam panis maſſam, einen halben Laibs Brods repræſentans.

IV. *Cornu Ammonis* non ſpinatum valde compreſſum læve, ſpiris duabus conſtans. M. S. 14.

Not.

1. Si quis pleraque nomina ſub præcedenti ſpecie locata huc applicaverit, faciet id me haud invito. Doleo, pleroſque Hiſtoriæ Naturalis Scriptores minus exactos fuiſſe in delineandis ſpiris, & ſtriis, unde non poſſunt non plurimæ emergere difficultates in ſynonymis quibusvis ſuo præciſe loco adſignandis. ſi quis melius me vel hic vel ibi hariolatus fuerit, magnam apud me ipſum inibit gratiam.

2. Obſervandum, futuras foliaceas hic vel ibi obvias non, me judice, parere ſpecies diſtinctas. Occurrunt namque in ſpecie in hoplitis vel pellucidis, & in aliis ejusdem ſpeciei, quæ craſſiori conſtant materia, ſunt obliteratæ.

3. Materiam ipſam, ſeu lapidea fuerit, ſeu fluorea, ſeu pyritica, negligendam quoque autumo in ſpecierum conſtitutione, ut & colorem & magnitudinem.

4. Lævor, qui notam hactenus dedit characteriſticam, non ita intelligendus eſt, ac ſi nulla prorſus adforent ſtriarum indicia: Nudo quippe oculo in armatis in primis Cornubus, comparent ſtriæ quædam plerumque undulatæ, ſed adeo parum ultra ſuperficiem elevatæ, & tactu non diſcernendæ, ut pro lævibus omnino haberi poſſint.

V. *Cornu Ammonis* læve 3. vel 4. ſpiratum, quæ in eodem ſunt plano. M. S. 26.

Reſpondet huic

Cochlea exigua ſubfuſca altera parte planior ſine limbo 5. ſpirarum. *Liſt. Cochl. Angl. Tit.* 28.

Synonyma lapidis ipſius ſunt forte

Ammonis Cornu læve ex altera tantum parte ad umbilicum ca-

vum, ſpiris fere teretibus; *Liſt.* Tit. 9. An. 12. Tab. 6. *Plott.*

Cornu Ammonis, quod plane cochleam refert aquaticam; & læve eſt ſine ullis tuberculis. *de Laet.* L. II. c. 22.

- - - - - læve ſpina ſubrotunda minus albicans trium anfractuum, ex altera tantum parte ad umbilicum cavum *Lang.* H. L. F. p. 90.

VI. *Cornu Ammonis* non ſpinatum læve, craſſius ſeu ſpiris teretibus. M. S. 20.

Ammonis Cornu læve ſpina ſubrotunda minus trium anfractuum orbibus vermiculorum inſtar teretibus. *Lang.* H. L. F. p. 90. Tab. XXIII. a

- - - - - - - - - - - - - minimum 2. anfractuum. id l. c. T. XXIII. n. 3.

Serpente convertito in pietra *Moſcard. Muſ.* p. 178. Icon. I.

Nautilites ſuperficie lævi, lineis compoſitis ramulorum inſtar pictus plane ut dendrites. *Bayer Oryct. Nor.* p. 61. Tab. II. f. 3.

- - - - - - - - lineis deſtitutus dorſo integro id. p. 67. T. II. f. 7. 9. 10. 11.

Cochleæ lapideæ genus planum vel ſeſſile. *Geſn. Fig. Lap.* p. 165.

Nautilites ſuperficie lævis, lineis deſtitutus, latere circa umbilicum cavo. *Herm. Maslogr.* p. 716. Tab. X. f. 5. 6. 9.

- - - - - - - - minor. f. 7.

VII. *Cornu Ammonis* non ſpinatum craſſius, ſeu ſpiris teretibus læve, tuberculorum unico ordine, utrinque in ſumma ſpira cinctum. M. S. 22.

Ammonis Cornu tuberculis in interiore orbium ambitu horizontaliter ſitis mediocre duorum anfractuum. *Lang.* H. L. F. p. 93. T. XXIII. 1.

- - - - - idem minus duorum anfractuum. id. Tab. XXIII. 2.

- - - - - tuberculis in exteriore orbium ambitu horizontaliter ſitis minus duorum anfractuum. id. l. c.

VIII. *Cornu Ammonis* ſpinatum craſſius, ſeu ſpiris teretibus læve tuberculorum duplici ordine cinctum.

Nauti-

Nautilites verrucoſus, per cujus volutæ ambitum gemina tuberculorum aut verrucarum ſeries eminet. *Bayer Oryct. Nor.* p. 93. T. II. f. 14.

IX. *Cornu Ammonis* non ſpinatum læve ſuturis vel lineis ſerpentino ductu ſpiram, & ambitum traſicientibus. M. S. 91. *Rumph, Amb. Rar.* Tab. 60. E. p. 318.

Huc forſan pertinet

Ammonis Cornu læve pellucidum, crebris articulis, ſi lumini objiciatur, velut undatis diſtinctum. *Liſt.* Tit. 8.

Fragmentum Cornu Ammonis cinerei, quod articulatim diſtinctum eſt, & quaſi juncturis, cohæret. *Lachm.* Or. 34.

Not.

Jucundum videre in Exemplari, quod poſſideo, lamellas articulares Cochleæ ipſius originales, ænea armatura ſplendentes, & interſtitia lapidea materia farcta.

CORNU AMMONIS non ſpinatum ſtriatum.

Striis Simplicibus ſeu ſingularibus.

X. Lapidis exalbidi fragmentum ſimplicibus ſtriis Caprini Cornu effigie. M. S. n. 94.

Conf. *Bauh.* H. F. B. p. 15.

XI. *Cornu Ammonis* non ſpinatum ſtriatum ſtriis ſimplicibus craſſioribus in extremo ambitu ſenſim evaneſcentibus. M. S. 27.

XII. *Ammonis Cornu maximum* ſtriis crebris in ipſo ambitu parum eminentibus, aliisque utrinque ad latera raris, craſſis elatis, *Liſt.* Tit. I. An. 15. Tab. 5. *D. Plott.* in eo tantum (verba ſunt Liſteri) a noſtro differre videtur, quod ejus lapidi dorſum læve eſt.

- - - - - - - - - ſtriatum ſtriis integris, tenuiſſimis oblique in ſpinam ſubrotundam & quaſi planam abeuntibus minus ſubcinereum duorum anfractuum, orbibus teretibus, umbilico pertuſo. *Lang.* H. L. F. p. 94.

- - - - - - - undulatis & in ſpinam ſubrotundam abeuntibus mediocre marcaſitaceum compreſſum 3. anfractuum. id. l. c.

XIII. *Cornu Ammonis* non ſpinatum ſtriatum; ſtriis ſimplicibus craſſioribus, ſpinam extimam trajicientibus. M. S. 28.

Cochlites ſtriatus inſtar Cornu Ammonis ſeu ſerpentis in ſe gyrati, lapidea ſua ſubſtantia cochleam elegantiſſimam ac rariſſimam exprimens. Ein hübſcher geſtreimter kleiner Schneckenſtein. *Wagner.* H. C. 306.

Cornu Ammonis fragmentum duobus vel tribus dimidiatis annulis conſtans *Bauhini* F. B. 23.

Annelli ſeu Cornu Ammonis fragmentum ſpiris æneis colore ſplendentibus id. l. c.

Cornu Ammonis hoplitæ fragmentum. id. l. c.

Serpente convertito in Pietro, *Moſcard. Muſ.* 178. Icon. 2.

Ruche animaletti. Id. p. 179. Icon.

Trochites perelegans Pyrite impreſſus. *Petiv. Gaz. Nat.* T. XXVIII. n. 10.

Nautilites ſtriis integris ſeu continuis per dorſum, iisdemque ſimplicibus & raris inſtructus. *Bayer oryct. Nor.* p. 63. T. II. f. 15.

Lapis ſerpentis in ſpiram revoluti effigie. *Geſn. Fig. Lap.* pag. 167. b.

XIV. *Cornu Ammonis* non ſpinatum, ſtriis ſimplicibus ſpiris funicularibus. M. S. 95.

Reſpondet

Cornu Hammonis Poſthoorentie: Rumph. Amb. Rar. p. 63.

XV. *Cornu Ammonis* non ſpinatum in extimo ambitu ſulcatum, ſtriis ſimplicibus ad ſulcum usque excurrentibus. M. S. 83.

Ammonis Cornu ſtriatum ſtriis valde denſis & eminentibus undatim incurvatis, & in ſpinam ſulcatam abeuntibus marcaſitacei fruſtum. *Lang.* H. L. F. p. 95. T. XXIV. 3.

- - - - - ſtriis ex utroque latere ad dorſi ſulcum recta ſibi occurrentibus. *Bayer. oryct. Nor.* p. 65. T. III. f. 8.

XVI. *Cornu Ammonis* non ſpinatum ſtriis recta ad marginem

usque

usque excurrentibus, & plerumque in binos tuberculorum ordines elevatis, futuris vero ſerpentino ductu ſpiram & ambitum extimum trajicientibus. M. S. 89.

Fragmentum cinerei Cornu Ammonis, quod articulatim diſtinctum eſt, & quaſi juncturis cohæret. *Lachm. Or.* 34.

Cornu Ammonis Gothlandicum articulatim junctum. *Schacht. de Corn. Amm.*

- - - - - Agri Brunshuſani & Ganderheimenſis, quod vulgo Drakenſtein vocant, de quo Diſſertationem conſcripſit Reiskius.

Querfurtiſches Cornu Ammonis *Buttner. Rud. Dil.* p. 270. T. XIII.

Striis bifurcatis.

XVII. *Cornu Ammonis* non ſpinatum, ſtriatum, ſtriis in faſtigium acutum elevatis & bifurcatim orbem extimum trajicientibus. M. S. 30.

Ammonis Cornu ſtriatum ſtriis denſioribus diviſis & in ſpinam ſubrotundam abeuntibus maximum 5. anfractuum. *Lang.* H. L. F. p. 96. T. XXV. n. 1.

- - - - - - - - - - diviſis & in ſpinam ſubrotundam abeuntibus majus quatuor anfractuum. id. L. C. & Tab. XXVII. n. 8.

Cornu Ammonis ſtriis evidentius ramoſis, & furcatis ſecundum & tertium. *Bayer. Oryct. Nor.* p. 64. Tab. III. f. 1. 2.

XVIII. *Cornu Ammonis* non ſpinatum ſtriatum, ſtriis denſioribus & planioribus bifurcatim ambitum extimum trajicientibus. M. S. 31.

Not.

Hæc ſi Pyrite conſtant, ut Neocaſtrenſia, elegantiſſimam exhibent ſtriarum integritatem, & plerumque foliaceas impreſſiones: Striæ ſunt caput verſus obliquæ, prouti conſpiciuntur in cochlea pulla ex utraque parte circa umbilicum cava. *Liſt. Cochl. Angl.* Tit. 26.

XIX. *Cornu Ammonis* non ſpinatum, ſtriis ab initio ſpiræ bifurcatis. M. S. 50.

XX. *Cornu Ammonis* non ſpinatum, ſtriis ſtatim ab initio ſpiræ bifurcatis arcuatim progredientibus ad extremam oram, ibique tumidioribus, quas inter faſcia quædam plana dorſum trajicit ſpinæ loco. M. S. 87.

XXI. *Cornu Ammonis* non ſpinatum, denſe ſtriatum, craſſius & teretius, ſtriis a media ſpira extima bifurcatis. M. S. 52.

XXII. *Cornu Ammonis* non ſpinatum, plurium circumvolutionum ſtriis a media ſpira bifurcatis, ſpiris minoribus & teretibus conſtans. M. S. 55.

XXIII. *Cornu Ammonis* non ſpinatum, teres ſtriis ſingulis ad ſpiræ marginem in tubercula elevatis, indeque bifurcatim ambitum extimum trajicientibus. M. S. 71.

Ammonis Cornu ſtriis naturalibus, verſus ſpinam concurrentibus & in tubercula quædam unitis, aliisque minus eminentibus dorſum trajicientibus. *Liſt.* Tit. 7. ex *Plott.* 13. Tab. 5. ad hunc vel ſequentem titulum pertinet.

XXIV. *Cornu Ammonis* non ſpinatum, dorſo planiori ſtriis in tubercula elevatis, indeque bifurcatim orbem extimum trajicientibus. M. S. 72.

Ammonis Cornu ſtriatum, ſtriis elatis & diviſis præcedente tuberculo ovato & ſubrotundo maximum trium anfractuum. *Lang.* H. L. F. p. 99. Tab. XXVI. n. 1.

- - - - - - - - - in tenuiſſimas diviſis præcedente tuberculo ſubrotundo mediocre; quatuor anfractuum. id. l. c.

XXV. *Cornu Ammonis* non ſpinatum ſtriis arcuatim, & plerisque quidem bifurcatim, ad ambitum ſpiræ extimæ excurrentibus, ibique veluti in craſſioribus tuberculis abſorptis. M. S. 80.

Cornu Ammonis, quorum obliquus ſtriarum occurſus ad ſulcum minus amplum, obtuſiores efformat angulos. *Bajer. Oryct. Nor.* p. 6. Tab. III. f. 9. 10.

Not.

Spinæ loco in dorſo adeſt planior quædam faſcia.

Striis ſimplicibus & bifurcatis.

XXVI. *Cornu Ammonis* non ſpinatum, ſtriatum, ſtriis nunc ſimpli-

simplicibus, nunc bifurcatis totam spiram extimam trajicientibus. M. S. 64.

Ammonis Cornu striis lateralibus, versus ambitum furcatis. *List.* Tit. 6. *Plott.* II. Tab. 5.

- - - - - sine Armatura una cum conchæ rugatæ convexo in lapide fissili. Ein Scherhorn mit einem metallischen Glantz überzogen ꝛc. Bauh. H. F. B.

Lapidi fissili insculptum, Ammonis Cornu Helicoides. Ein gewunden Scherhorn in einem Schieferstein gegraben. id. p. 6. 7.

Arcus Cornu Ammonis impressi in lapide cinereo. Ein Scherhorn wie ein Bogen in einem äscherfarben Stein gedruckt. id. l. c.

Lapis insignitus forma serpentis. Ein Stein mit einer Schlangen Bildniß. *Besler Gazophyl.*

Lapis multis serpentibus conglomeratis insignis. Ein Stein/ darauf viel Schlänglein häuffig über einander zu sehen. id.

Lapis, qui vocatur Cornu Ammonis aurei coloris. Ein Stein/ Scherhorn genannt/ goldfärbig. id.

Serpens in lapidem versus. *Calceol. Musc.* 423.

Nautilites minimus acuminatus undulatis striis bifidis aciem trajicientibus. *Luid.* n. 268 -- 271.

- - - Complanatior subcrassus striis altioribus in ambitu bifidis. id. 276.

Ammonis Cornu 5. anfractuum singulis striis ipsam spinam trajicientibus, sibique invicem ad alterum latus, ubi terminantur, adplicitis. *List.* Tit. 5. Plott. 12. Tab. 5.

- - - - striatum striis divisis, & in spinam subrotundam abeuntibus majus 4. anfractuum, cujus extimus tantum adest orbis. *Lang.* H. L. F. p. 96, T. XXVII. 28.

- - - - - rarioribus divisis & in spinam subrotundam abeuntibus mediocre quatuor anfractuum umbilico pertuso. id. l. c.

- - - - - divisis & in spinam subrotundam abeuntibus mediocre, quatuor anfractuum. id. l. c.

Ammonis Cornu ſtriatum ſtriis, circa medium ambitus craſſioribus & valde elevatis, dein diviſis ac tenuiſſimis in ſpinam ſubrotundam abeuntibus, minus trium anfractuum. *Lang.* l. c.

\- - - - - - - - - - diviſis & in ſpinam ſubrotundam abeuntibus minus trium anfractuum. id. l. c.

\- - - - - - - idem duorum anfractuum umbilico pertuſo. id. l. c.

\- - - - - - oblique directis, & quaſi in ſe contortis, atque in tenuiſſimas diviſis, in ſpinam ſubrotundam abeuntibus marcaſitaceum mediocre trium anfractuum. id. l. c. T. XXV. n. 4.

\- - - - - - idem minus quatuor anfractuum, id. l. c.

\- - - - - - idem minus trium anfractuum. id. p. 97.

Cornu Ammonis ſtriis in tenuiſſimas diviſis & in extimo orbe duobus in locis divulſis in ſpinam ſubrotundam abeuntibus marcaſitaceum mediocre trium anfractuum. id. Tab. XXVII. n. 9.

\- - - - - - idem minus trium anfra-ctuum. id. l. c.

\- - - - - - idem minus ovale triumanfractuum. id. l. c.

\- - - - - - ſtriis diviſis & in ſpinam ſubrotundam abeuntibus, marcaſitaceum mediocre trium anfractuum umbilico pertuſo. id. l. c.

\- - - - - - idem duorum anfractuum umbilico pertuſo. id. l. c.

\- - - - - - ſtriis diviſis & in ſpinamacutam abeuntibus marcaſitaceum mediocre trium anfractuum. id. l. c.

\- - - - - - frequentioribus ac tenuioribus diviſis & in ſpinam acutam abeuntibus marcaſitaceum mediocre trium anfractuum valde compreſſum. id. l. c.

Not.

Striæ ſunt alternatim ſimplices vel bifurcatæ, aliquando etiam binæ

binæ ſimplices, inter duas ſunt bifurcatas, omnes autem ſpinam toram trajiciunt.

XXVII. *Cornu Ammonis* non ſpinatum ſtriis undulatis ſimplicibus & bifurcatis orbem extimum trajicientibus. M. S. 97.

Ammonis Cornu ſtriatum ſtriis undulatis diviſis & in ſpinam acutam abeuntibus, majus valde compreſſum ſubcinereum unius anfractus juncturis, nubes elegantiſſimas exprimentibus. Id. T. XXVII. n. 6.

Nautilites ſuperficie levi lineis ſimplicibus undoſis. *Bayer. Oryct. Nor.* p. 60.

XXVIII. *Cornu Ammonis* non ſpinatum in extremo ambitu ſulcatum, ſtriis aliis ſimplicibus, aliis bifidis recta ad ſulcum usque excurrentibus, ibique in capitula paulo tumidiora terminatis. M. S. 82.

Ammonis Cornu ſtriatum ſtriis diviſis & in ſpinam ſulcatam abeuntibus mediocre. *Lang.* H. L. F. 98. Tab. XXV. n. 5.

Striis bifurcatim & trifurcatim ambitum trajicientibus.

XXIX. *Cornu Ammonis* non ſpinatum, ſtriis ab initio tumidioribus indeque bifurcatim & trifurcatim orbem extimum trajicientibus. M. S. 74.

XXX. *Cornu Ammonis* non ſpinatum, compreſſius, ſpira unica latiori, vel duabus denſe ſtriatum, ſtriis bifurcatim & trifurcatim ambitum trajicientibus. M. S. 24.

Ammonis Cornu ſtriatum, ſtriis integris undulatis, & in ſpinam acutam abeuntibus majus, unius tantum anfractus, compreſſum, juncturis nubes elegantiſſimas exprimentibus. *Lang.* H. L. F. p. 94.

- - - - - - - - - - verſus centrum paucioribus, ſed craſſioribus, & dein in plures alias diviſis, in ſpinam acutam abeuntibus marcaſitaceum mediocre compreſſum unius anfractus. Id. p. 97. T. XXVII. n. 7.

Ammonis Cornu ſtriatum ſtriis verſus centrum paucioribus, ſed craſſioribus, & in plures alias diviſis, & in ſpinam acutam abeuntibus marcaſitaceum minus compreſſum duorum anfractuum primo orbe latiore. Id. l. c.

- - - - - - - - - - diviſis & in ſpinam acutam abeuntibus marcaſitaceum minus duorum anfractuum. Id. l. c.

XXXI. *Cornu Ammonis* non ſpinatum denſe ſtriatum, craſſius & teretius, ſtriis bifurcatim vel trifurcatim ſpiram extimam trajicientibus. M. S. 62.

XXXII. *Cornu Ammonis* non ſpinatum, ſtriis ab initio in tubercula elevatis, indeque bifurcatim vel trifurcatim orbem extimum latiorem & planiorem trajicientibus. M. S. 75.

Nautilites ſtriis denſis iisque ſimplicibus & continuis per dorſum inſtructus. Bayer. Oryct. Nor. p. 63. T. II. f. 16. 17. T. VI. f. 7. 6.

XXXIII. *Cornu Ammonis* non ſpinatum ſtriatum ſtriis bifurcatim & trifurcatim, aliis etiam ſingulatim ſpiram & ambitum extimum trajicientibus, & paſſim in tubercula rotunda elevatis. M. S. 81.

Nautilites buccatus clavellatus minor. *Luid.* n. 295.

- - - - - minor rugoſus undique clavellatus. id. n. 296.

Not.

Tubercula non elevantur in ſingulis ramificationibus.

XXXIV. *Cornu Ammonis* non ſpinatum ſtriis bifurcatis undatis ad ambitus marginem in tubercula elevatis, indeque bifurcatim & trifurcatim atque arcuatim dorſum trajicientibus. M. S. 88.

Ammonis Cornu ſtriis lateralibus verſus ſpinam concurrentibus & in tubercula quædam unitis, aliisque minus eminentibus dorſum trajicientibus. *Liſt.* Tit. 7. *Plott.* 13. Tab. 5.

- - - - - ſtriatum ſtriis in ſuo principio craſſioribus & quaſi in flammas elatas circa ſpinam erumpentibus, ſubſequentibus vero in tenuiſſimas diviſis, & in ſpinam ſubrotundam & quaſi planam abeuntibus marcaſitaceum mediocre trium anfractuum erucam convolutam elegantiſſime referens. *Lang.* H. L. F. *Not.* p. 97. T. XXVI. n. 2.

Not.

Striarum dorſalium arcus convexi ſunt, verſus caput & verſus caudam concavi; ſtriæ non omnes in ſpiræ margine elevantur in tubercula, ſed aliæ ſimplices bifurcatæ, aliæ dorſum trajiciunt, absque quod eleventur.

Striis bifurcatis & trifurcatis tuberculoſis dorſum non trajicientibus.

XXXV. *Cornu Ammonis* non ſpinatum, ſed ſpinæ loco in planitiem convexam elevatum tribus tuberculorum ordinibus exornatum, ſtriis arcuatis bifurcatis & trifurcatis. M.S. 84.

Cornu Ammonis nodoſum, articulatim junctum, & tuberculis triplici fere ordine dorſum verſus ornatum, *Schacht. de Corn. Ammon.*

Nautilites coticularis (ſive Ammonis cornu inſtar cotis gyratilis) tuberoſus luteus major. Luid. n. 236.

- - - - - - minor tuberculis clavellatis donatus. Id. n. 240.

- - - compreſſior undiquaque tuberoſus. Id. n. 242.

Ammonis Cornu ſtriatum, ſtriis præcedente linea eminente diviſis concameratum mediocre verrucoſum 4. anfractuum. *Lang.* H.L.F. p. 99. T. XXVI. n. 3.

Not.

Primus tuberculorum ordo in iis quidem, quæ habeo ex Agro Neocaſtrenſi, eſt a ſpiræ initio, alter in medio, ubi ſunt craſſiſſima, tertius in extremo margine ſpiræ ad planitiei convexæ dorſalis initium, ſæpe adſunt ornamenta foliacea, & ſtriarum obſcura admodum indicia: aliquando etiam tubercula ipſa ſunt obliterata. Raro obveniunt Cornua hujusmodi integra, ſed plerumque nonniſi articuli.

Striis bifurcatim dorſum trajicientibus.

XXXVI. *Cornu Ammonis* non ſpinatum, ſtriatum, ſtriis in ſumma ſpira in tubercula elevatis, indeque trifurcatim orbem extimum trajicientibus. M.S. 77.

Striis

Striis quadrifurcatis.

XXXVII. *Cornu Ammonis* non ſpinatum ſtriis ſingulis in tubercula elevatis, indeque quadrifurcatim ambitum extimum trajicientibus.

Striis bifurcatim & quadrifurcatim ambitum trajicientibus.

XXXVIII. *Cornu Ammonis* non ſpinatum ſtriis ab initio fere in tubercula elevatis, indeque trifurcatim orbem, vel quadrifurcatim extimum veluti ſulcatum trajicientibus. M. S. 78.

Striis bifurcatim tri-quadri-quinque-& ſexti-partitis ambitum trajicientibus.

XXXIX. *Cornu Ammonis* non ſpinatum ſtriis ab initio elatioribus, & in media ſpira bi-tri-quadri-quinque-& ſexti-partitis, & ſic ambitum trajicientibus, M. S. 97. b.

Striis quadri-quinque-& ſexti-partitis orbem extimum trajicientibus.

XL. *Cornu Ammonis* non ſpinatum ſtriatum ſtriis quadripartitis, quinquepartitis, in 6. etiam ramulos diviſis, & ſic ſpiram & ambitum extimum trajicientibus. M. S. 79.

Cornu Ammonis ſtriis evidentius ramoſis aut furcatis primum. *Bayer. Oryctogr. Nor.* p. 64. T. II. f. 18.

- - - - inæquali compreſſione helicis monſtroſe oblongatum. Id. T. VI. f. 1. 2.

Not.

Aliquando ſtriæ ſingulæ ſtatim in 4. 5. 6. ramulos diſpartiuntur, aliquando primum in 2. quorum ſinguli rurſus in 2. Hujusmodi ramificationes etiam videre eſt in Nautilo tenui Indico.

Striis diviſis præcedente linea eminente, concameratum dictum Langio.

XLI. *Ammonis Cornu* ſtriatum ſtriis præcedente linea eminente

nente diviſis concameratum maximum quinque anfractuum. *Lang.* H. L. F. p. 99.

- - - - - - idem minus 4. anfractuum. Id. T. XXVI. n. 45

CORNU AMMONIS ſpinatum læve.

XLII. *Cornu Ammonis* ſpinatum, tæniola ſpinæ loco ſpiram extimam ambiente, valde compreſſum, læve, vel undatis ſtriis parum elevatis donatum, unica circumvolutione terminatum. M. S. 98. 99.

Not.

Tæniola lævis eſt, ſed ex plurium collatione patet, conſtare illam pluribus punctis vel articulis, ſed parum elevatis, ſpinæ loco dorſum ambientibus. Eadem ratio eſt ſuperficiei, quæ in multis eſt lævis, in aliis ejusdem generis ſtriis undatis & arcuatis, ſed parum elevatis, diſtincta. Conferendum hoc cornu cum n. 1° Aliquando tæniola hæc excidit, & tunc ſulcum relinquit, Cornuque efformat ſpinæ loco ſulcatum. Pleraque hujus generi. diametro digitum non excedunt.

XLIII. *Cornu Ammonis* ſpinatum, ſpinæ loco in ambitu crenatum valde compreſſum, læve, ſpira latiori unica terminatum. M. S. 100.

Nautilites minimus diſcoides criſtato accedens in ambitu crenatus. *Luid.* n. 263. 264.

Ammonis Cornu læve ſpina eminente ſeu criſta dentata minus umbilico utrinque leviter prominulo, unius tantum anfractus & reticulato quodam opere depictum. *Lang.* H. L. F. p. 92.

Not. Crenæ caput verſus ſunt majores, hinc ſenſim decreſcunt, tandemque in mera puncta deſinunt. Videre id licet perſpicue in hoplitis.

Ammonis Cornu læve ſpina eminente ſeu criſta dentata minus marcaſitaceum compreſſum duorum anfractuum. *Lang.* l. c. T. XXIII. n. 2.

- - - - idem unius anfractus. Id. T. XXIII. n. 1.

- - - - ſpira ſerrata ſeu acute dentata præditum. *Bayer. Oryct. Nor.* p. 64. T. III. f. 3.

Not.

Unius vel duarum ad ſummum eſt convolutionum, vix ultra 6. vel 8. lineas in diametro 3. in latitudine ſpiræ, & 1. in craſſitie habens, læve vel undatim & obſcure ſtriatum ſtriis vix comparentibus. Crenæ caput verſus ſunt majores hinc ſenſim decreſcunt, tandemque in mera puncta deſinunt.

XLIV. *Cornu Ammonis* ſpinatum læve; teres corona tuberculorum in extremo ſpiræ margine cinctum, ſpira acuta parum prominula. M.S. 130.

XLV. *Cornu Ammonis* ſpinatum, ſpina in ambitu extremo acuta prominula, valde imprimis ad oram extimam compreſſum læve, vel ſtriis arcuatis & undatis parum ultra ſuperficiem planam elevatis donatum, circumvolutione unica terminatum. M.S. 102.

XLVI. *Cornu Ammonis* ſpinatum læve, ſpina in ambitu prominula, orbe primo valde ventricoſo.

Ammonis Cornu læve ſpina eminente ſeu cruſtaceum duorum anfractuum umbilico pertuſo, primo orbe valde ventricoſo, & juncturis foliacea elegantiſſima foliis Petroſelini haud diſſimilia exprimentibus. *Lang.* H. L F. p. 92. T. XXIII.

XLVII. *Cornu Ammonis* ſpinatum compreſſum læve, unius vel duarum circumvolutionum, ſpina inter duos ſulcos eminente.

Nautilites ſulcato dorſo lævis ac lineis deſtitutæ ſuperficiei, *Bayer. Oryct. Nor.* p. 63. T. II. f. 12. 13.

XLVIII. *Cornu Ammonis* læve, ſpira media in gibbum elevata & ſenſim ad ſpinam ſeu dorſum acuminatum declivi. 138.

Striatum ſtriis ſimplicibus.

XLIX. *Cornu Ammonis* ſpinatum, ſpina in ambitu extremo acuta prominula plurium circumvolutionum ſingulis ſpiris depreſſione quadam veluti per totam longitudinem diviſis, ſtriis ſimplicibus undatim in forma literæ S. ad oram extimam excurrentibus parum ultra ſuperficiem planam elevatis. M.S. 103.

Ammonis

Ammonis Cornu ſpina in ambitu eminente ſtriis lateralibus paulo ultra mediam tantum partem orbis extimi pertingentibus. *Liſt.* Tit. 2.

Een hoorn Cornu Ammonis genaamt. *Rumph. Amb. Rar.* 318. Tab. 60. D.

Ammonis Cornu ſtriatum, ſtriis integris undulatis in ſpinam acutam abeuntibus, majus, unius tantum anfractus compreſſum per medietatem ambitus ſulco horizontali inſignitum. *Lang.* H. L. F. 94.

Ammonis Cornu ſtriatum, ſtriis integris undulatis in ſpinam acutam abeuntibus, mediocre, unius tantum anfractus compreſſum, per medietatem ambitus ſulco horizontali inſignitum, juncturis foliacea pulcherrima exprimentibus. *Lang.* H. L. F. p. 93. T. XXIV. 2.

L. *Cornu Ammonis* ſpinatum, ſpina in ambitu extremo acuta prominula, plurium circumvolutionum, ſtriis ſimplicibus arcuatim, ad oram excurrentibus, craſſioribus & elatioribus. M. S. 104.

Ammonis Cornu ſtriatum, ſtriis integris denſioribus, & valde elevatis in ſpinam eminentem abeuntibus mediocre 4. anfractuum. *Lang.* H. L. F. p. 94.

- - - - - - - - - undulatis in ſpinam eminentem abeuntibus mediocre, compreſſum marcaſitaceum trium anfractuum. Id. l. c.

- - - - ſpina non articulata ſtriis ſimplicibus magisque rectis, ad ſpinam tamen antrorſum quodammodo inflexis, *Bayer. oryct. Nor.* p. 65. T. III. f. 7.

LI. *Cornu Ammonis* ſpinatum, ſpinæ loco tæniola cinctum, ſtriis ultra planam ſuperficiem elevatis, ſimplicibus, verſus marginem ſpiræ evaneſcentibus. M. S. 117.

LII. *Cornu Ammonis* ſpinatum, ſpina binos inter ſulcos eminente, ſtriis ſimplicibus recta ad marginem excurrentibus, ibique paulo incraſſeſcentibus, & ad caput lapidis reflexis. M. S. 119.

Cornu Ammonis rugis per transverſum ornatum ex materia lapidis Ætitæ fulvi. *Lachm. Or.* 311.

Cornu Ammonis ſpina in ambitu eminente ſtriis lateralibus ex toto orbem extimum trajicientibus. *Liſt.* Tit. 3.

Lapis Ammonis cum ferrea armatura. Ein Scherhorn mit Eiſen-farben Zacken. *Besl. Gazoph.*

Ammonis Cornu ſtriatum ſtriis integris valde elatis, & in ſpinam inter duos ſulcos eminentem abeuntibus maximum ſubcinereum, ſex anfractuum, juncturis foliacea ad tertium orbem exprimentibus. *Lang.* H. L. F. p. 95. T. XXIV. 1.

- - - - - - - - - - - - - - - - - - & in tubercula, ubi ad ſpinam inter duos ſulcos eminentem pertingunt, elevatis majus 4. anfractuum. Id. l. c.

- - - - - - - - - - - - - - - - - denſioribus & valde elatis in ſpinam inter duos ſulcos eminentem abeuntibus mediocre 5. anfractuum. Id. l, c.

- - - - - - - - - - - - - - - - denſioribus & in ſpinam inter duos ſulcos eminentem abeuntibus mediocre quatuor anfractuum. Id. l. c.

- - - - - - - - - - - - - - - - valde elatis & in ſpinam inter duos ſulcos eminentes abeuntibus marcaſitaceum mediocre duorum anfractuum. Id. l. c.

- - - - - - - - - - - - - - - - undulatis & in ſpinam inter duos ſulcos eminentes abeuntibus marcaſitaceum mediocre compreſſum trium anfractuum, umbilico pertuſo. Id. l. c.

LIII. *Cornu Ammonis* ſpinatum, ſpina prominula craſſiori & nodoſa, ſtriis ſimplicibus recta ad marginem excurrentibus initio & fine craſſioribus, & in ipſo margine in tubercula elevatis, ibique verſus caput lapidis reflexis. M. S. 120.

Cornu Ammonis elegantiſſime verrucis, tuberculis, & quaſi rugis quibusdam variegatum. *de Laet.* L. II. c. 22.

- - - - Spina in ambitu eminente ſtriis lateralibus ex toto orbem extimum trajicientibus cum aculeis in ſummis ad ſpinam ſtriis. *Liſt.* Tit. 3.

Cornu

Cornu Ammonis majuſculum, alicubi Hoplites. Ein Scherhorn/ ſo zimlich groß/ und an etlichen geharniſcht iſt. Bauh. F. B. 15. 16.

- - - - - e lapide cinereo cum tuberibus pyritæ. Ein Scherhorn aus einem Aſchenfarben Stein formirt/ mit Feuerſtein Knöpffen. Id. 16.

- - - - - - - - - - in cujus medio extuberat Pyrites æroſus. Ein Scherhorn aus einem Aſchenfarben Schieferſtein formirt/ da in der Mitte ein kupffriger Feurſtein herfür gehet. Id. l. c.

- - - - - - - - cum tuberibus inæqualibus Pyritæ. Ein Scherhorn ſo am Feuerſtein hangt. Id. 17.

Pyrites globoſus, cui primæ Cornu Ammonis ſpiræ adhærent, Ein kuglichter Feuerſtein / an den ſich die erſte gewundenen Krümmen des Scherhorns gehenckt. Id. 18.

Cornu Ammonis e lapide cinereo & circa medium muricatum. Ein Scherhorn aus einem Aſchenfarbenen Stein/ ſo in der Mitte Stacheln. Id. 19.

- - - - - hoplite criſtatum cum micis pyritæ. Ein Scherhorn mit einem Harniſch gekämt/ und mit glänzenden Stücklein von Feuerſtein. Id. 20. 21.

- - - - - criſtatum pertuſum. Id. 20.

- - - - - ſimplici ſpirâ umbone prominulo. Ein Scherhorn/ ſo einfach einmal herum gehet/ und in der Mitte ein Buckel ein wenig ausgebogen iſt. Id. 21. 22.

- - - - - parvum. Ein ander klein Scherhorn. Id 21.

- - - - - criſtatum cum pyrite minimis micis conſtante. Ein gekämt Scherhorn mit einem ſtücklein Feuerſtein. Id. 22. 23.

- - - - - ſpinulis centrum ambientibus. Ein ſteinern Scherhorn/ da in der Mitte herum kleine Schläuflin ſind. Id. 20. 21.

- - - - - ſpiculis circa umbilicum donatum. Ein kleiner Scherhorn/ ſo in der Mitte Stacheln hat. Id. l. c.

Cornu Ammonis obtuſioribus tuberculis concatenatam aut vertebratam ſpinam gerens. *Bayer. oryct. Nor.* p. 64. Tab. III. f. 4.5.

LIV. *Cornu Ammonis* idem cum præcedenti, ejusdem ubi perfectum eſt figuræ, ſed ante id tempus e meris veluti ſalibus volatilibus conflatum. M. S. 129.

Not.

Reperitur hoc in Geode Altorfinâ, tantæ ſæpe teneritudinis, ut Geode aperto protinus in pulverem collabatur, iis inſervire poteſt, qui Cornua Ammonis e diluvianorum Claſſe excludunt, qua de re alibi.

LV. *Cornu Ammonis* ſtriis ſimplicibus ad mediam ſpiram excurrentibus, ibique vel in tubercula, vel filo circulari abſorptis, dorſo utrinque in acumen ſpinæ loco elevato. M. S. 136.

LVI. *Cornu Ammonis* altera parte planius & limbo ſeu ſpina acuta inſignitum, ſubtiliſſime ſtriatum. M. S. 137.

Reſpondet

Cochlea fuſca altera parte planior, & limbo inſignita quatuor ſpirarum. *Liſt. Cochlit. Angl.* Tit. 27.

LVII. *Cornu Ammonis* ſpinatum, ſpina acuta articulata, compreſſum, ſtriis ſimplicibus ad marginem evaneſcentibus. M. S. 140.

Striis bifurcatis.

LVIII. *Cornu Ammonis* ſpinatum, craſſius, ſtriis undatim & bifurcatim ſpiram trajicientibus, & in tænia veluti articulata concurrentibus angulosque varios, (pro dorſi nempe craſſitie rectos, acutos, vel obtuſos) formantibus, quorum apex caput reſpicit.

Ammonis Cornu ſtriis lateralibus in medio ambitu ad acutos angulos concurrentibus. *Liſt.* Tit. 4. ubi nempe ſtriæ adſunt bifurcatæ, quæ in Icone ſunt ſimplices.

Shellfiſh that comes neareſt, tho the nautilus. *Plott. Nat. Hiſt. of. Strafford.* Tab. XI. f. 13. p. 182.

LIX. *Cornu Ammonis* idem absque tæniola. M. S. 107.

LX. *Cor-*

LX. *Cornu Ammonis* ſpinatum craſſius, ſtriis denſis undatim & bifurcatim ſpiram trajicientibus, & ad angulos concurrentibus, in punctis, quæ ſpinæ loco dorſum ambiunt. M. S. 109.

LXI. *Cornu Ammonis* ſpinatum, ſpina extima ſenſim ad ſpinam declivi, ſtriis plerumque bifurcatis, in ſpina elatiori ad angulos valde acutos concurrentibus. M. S. 110.

Ammonis Cornu ſtriatum, ſtriis diviſis in ſpinam eminentem abeuntibus mediocre quatuor anfractuum. *Lang.* H. L. F. p. 98.

- - - - - - - - - idem minus 4. anfractuum. id. l. c.

- - - - - - - - - idem dimidii tantum anfractus. id. l. c.

- - - - - - - - - ſtriis diviſis & in ſpinam acutam, nonnihil nodoſam, abeuntibus, marcaſitaceum mediocre trium anfractuum. id. T. XXV. n. 3.

- - - - - - - - - idem marcaſitaceum minus duorum anfractuum. id. l. c.

Cochlea σιδηροειδὴς vel hoplites. *Geſn. Fig. Lap.* 164.

LXII. *Cornu Ammonis* idem, ſtriis in media ſpira, & in ora extima in gibbum acutum elevatis. M. S. 111.

LXIII. *Cornu Ammonis* ſpinatum, ſpinæ loco tæniola cinctum, ſtriis ultra planam ſuperficiem parum elevatis, plerumque bifurcatis verſus marginem ſpiræ evaneſcentibus. M. S. 116.

Nautilites ſeu cochlites minor lineis ſimplicibus undoſis rariſ & vix conſpicuis. *Herm. Maslogr.* p. 216.

LXIV. *Cornu Ammonis* ſpinatum, ſpina articulata ſtriis ſimplicibus in margine ſpiræ in tubercula elevatis, indeque bifurcatim ad ſpinam reflexis. M. S. 139.

Striis ſimplicibus & bifurcatis.

LXV. *Cornu Ammonis* ſpinatum ſpina punctulata, ſtriis undatis iisque ſimplicibus & bifurcatis orbem extimum trajicientibus, & ad caput lapidis reflexis. M. S. 118.

Ammonis Cornu ſtriatum ſtriis diviſis & in ſpinam inter duos

ſulcos

ſulcos eminentem abeuntibus, mediocre trium anfractuum. *Lang.* H. L. F. p. 98.

LXVI. *Cornu Ammonis* ſpinatum, ſpina punctata ſtriis pleriſque bifurcatim, aliis etiam ſingillatim, omnibus autem undatim excurrentibus, & in extremo margine in tubercula elevatis. M. S. 131.

LXVII. *Cornu Ammonis* ſpinatum, ſpina articulata, ſtriis alternatim ſingularibus, & ab initio ſpiræ bifurcatis, ad marginem ſpiræ excurrentibus, ac ibi verſus caput lapidis reflexis, triplici quadruplicive tuberculorum ordine exaſperatum. M. S. 132.

LXVIII. *Cornu Ammonis* ſpinatum ſtriis diviſim in ſpinam eminentem dentatam abeuntibus.

Ammonis Cornu ſtriis in flammas elatas circa ſpinam erumpentibus ac diviſis, & in ſpinam dentatam abeuntibus marcaſitaceum mediocre, compreſſum duorum anfractuum primo orbe latiore. *Lang.* H. L. F. p. 98.

LXIX. *Cornu Ammonis* ſpinatum, ſpina eminenti non articulata ſtriis ramoſis.

Cornu Ammonis ſtriis undoſis, & verſus dorſum ramoſis. *Bayer. Oryct. Nor.* p. 65. T. III. f. 6.

CORNUA AMMONIS dubia, ſeu quo referantur incerta.

Nautilites coticulari accedens coſtellatus, ſive Ammonis cornu criſtatum majus. *Luid.* n. 243.

- - - Coſtellatus compreſſior. id. n. 244.
- - - rhombellatus ſubcraſſus minor ſive Hammonis cornu e minoribus Girgillum funiculo circumdatum referens. id. n. 245.
- - - - - - - - vel etiam criſtatus minor diſcinctus. Diſcinctum diximus, quod funiculo aut ſpirella criſtatos pleroſque circumambiente deſtituatur. id. n. 249.
- - - compreſſus umbilicatus undulatis ſtriis parum eminentibus, id. n. 250.
- - - medius coloris Hepatici. id. n. 251.
- - - criſtatus medius futuris foliaceis conſpicuus. id. n. 252.

Nauti-

Nautilites rugoſulus trochleatus, ſive modiolaris ad marginem declivis, ſtriis denſis parum eminentibus exaratus. id. n. 254.

- - - - cujusdam majoris facies interior crebris loculamentis Cryſtallinis camerata. id. n. 259.

Lapis Nautilitæ criſtati fruſtuli matricem exhibens. id. n. 260.

Nautilites minimus diſcoides, acie in ambitu prominula. id. n. 265.

- - - - - - - - - in ambitu clavellatus. id. n. 266.

- - - - ejusdem ſpecimina clavis ſeu tuberculis marginalibus carentia. id. n. 267.

- - - - minimus degener ſive ſabuletorum calculorum inſtar terſum & lævigatum. id. n. 274.

- - - - lamellatus margaritarius ſive argenteus tenuiſſimus Colæi. id. n. 275. & *Ray.* vom Anfang der Welt. p. 167.

- - - - minor ſive medius complanatior altius umbilicatus. id. n. 278.

- - - - medius complanatior. id. 279.

- - - - - - - - - crebrius ſtriatus. id. n. 281.

- - - - complanatus e minimis, ſtriis denſis gradatim umbilicatus. id. n. 282.

- - - - minimus, rugoſus, ſubcraſſus, ſive anguicularis, exiguus, crebro & altiuscule ſtriatus. id. n. 284.

- - - - craſſus perexiguus torquatus ſive dorſo duabus tæniolis circumdato. id. n. 285.

- - - - idem diſcinctus, ſive nulla tæniola faſciatus coloris rubri. id. n. 287.

Nautilites medius ſtrigoſus, ſive ſulcis raris altioribus dorſum latiuſculum trajicientibus. id. n. 290.

- - - perexiguus clavellatus. id. n. 291.

- - - modiolaris ſive conglobatior majuſculus rotæ modiolum referens. id. n. 292.

Nautilites modiolari accedens minor & compreſſior. id. n. 293.

- - - buccatus lævis depreſſe in ambitu lacunatus. Nautilo vulgari variegato accedit, unde ab ore ampliſſimo buccatum diximus. id. n. 294.

- - - clavellatus minor. id. n. 295.

Nautilites minor rugosus undique clavellatus. id. n. 296.

- - - acuminati coloris anthracini, & aliorum quorundam articuli sulcati. id. n. 298.

- - - articuli sublutei. id. n. 299.

Nautilitæ cujusdam complanati, (seu spiris teretibus) majoris articulus sulcatus. id. n. 300.

- - - fragmenta longiuscula strigosa. id. n. 302.

- - - articulus Melitensibus *Capo di Gatto* dictus. id. n. 303.

Articuli felino capiti Melitensium similes perexigui. id. n. 304.

Ignoti cujusdam Nautilitis discoidis segmentum eburneum, pectinatum. id. n. 307.

Nautilitæ cujusdam majoris fragmentum, Echinata testa coopertum. id. n. 308.

- - - - - medullæ tabularis fragmentum. id. n. 309.

Cornu Ammonis veluti ex Topho adusto campoides granulatum cinereum. Ein Scherhorn / wie aus einem gebrannten Toffstein gekrümt/ körnicht und Aschen-farb. *Bauhin. Hist. Font. Boll.* p. 23. 24.

- - - - - pusillum læve ænea armatura lucente. Ein kleines Scherhorn / glatt mit einem hellen küpfferigen Harnisch. id. 21. 22.

- - - - - aliud cum armatura ferruginea. Ein anders klein Scherhorn / mit einem rostigen Harnisch. l. c.

- - - - - perpusillum lucida ænea armatura obductum. Ein klein Scherhorn / mit einem hellen küpffernen Harnisch überzogen. id. l. c.

Lapis fuscus per medium in duas partes diffissus, cujus altera pars exhibet cochleam eleganter striatam & extantem, altera vero matricem ejus, cui in conjunctione cochlea instar formæ includitur. Ein braumer Stein / in der Mitte von einander gespalten / in welches einem Theil sitzet eine schöne krause Schnecke / im andern desselben Form / kan von einander / und wieder zusammen gelegt werden. *Lachm. Or.* p. 50.

Massa lapidea fusci coloris, in qua passim matrices, ut cochleæ striatæ, quarum partes partim in ea latent, partim vero exstant satis eleganter conspiciuntur &c. id. l. c.

Dubium

Dubium omne circa hæc Lachmundiana versatur circa spiram, an adsit nec ne?

Lapis cinereus continens Cornu Ammonis tuberculosum. id. 34.

Fragmentum rugis per transversum ornatum constans ex materia lapidis Ætitæ fulvi, cujus etiam est coloris. id. l. c.

NAUTILUS.

Hoc *Nautili* vel *Nautilitæ* titulo veniunt omnia Cornua Ammonis, si nova *Eduardi Luidii* dictatura pro lege valet, quanquam & ipsi Nautilus proprie sit *cochlea Cauda, in os amplissimum gyrata, spiris intus dense cameratis* p. 15. non enim duntaxat orbes sunt ampli, sed ipsa quoque concameratio alia Nautilorum, quam Cornuum Ammonis, illorum Hemicyclica fere, horum inæqualis admodum, uti ex articulis palam fit. *Boccono* teste, *Rech. & obs. Natur.* p. 313. Neapolitanis Cochleæ, analogæ nuncupantur, *Muscardino, Muscarolo*, Gallis *Pompiles, Nauplium, Nautilus; Coquille de Porcellaine.* Germanis Nautili nostri Diluviani vocantur Seilfisch-Stein. Schiffkuttel-Stein.

Nova adproximatio Quadrati ad Circulum

inscriptum per series in infinitum instituta,

& a

Dn. Jo. Georg. Liebknecht, Math. P.P. Ord.

in Acad. Giessena proposita.

CUm nuperius in egregia de Virium centripetarum doctrina occupatus, in Illust. NEVVTONI Princip. Philosophiæ Nat. Math. Libri I. Sect. I. prop. IV. inciderem, ubi *corporum, quæ diversos circulos æquabili motu describunt, vires centripetas ad centra eorundem circulorum tendere, & esse inter se ut arcuum simul descriptorum quadrata adplicata ad circulorum radios &c.* demonstratur; placuit rem ita demonstratam exemplis illustrare & tentare ipsam ulterius in diversis casibus, nec infeliciter. Est enim propositio isthæc promus adeo condus, ut, an illustrius quid & magis tanto viro dignum excogitari potuerit, quo rerum naturalium scrutatores in enodandis rebus multis felicius

uti queant, fere ignorem. Fuit etiam mecum nonnemo, qui exinde novam seriem in infinitum talem, qua insimul quadratum ad circulum quadrato inscriptum propius ac propius exprimi posse sibi concepit. Scilicet quadratum ad circulum quadrato inscriptum esse ut 384 ad $312 - \frac{11}{1} + \frac{31}{45} - \frac{61}{504} + \frac{101}{3000} - \frac{151}{12375} + \frac{211}{40131} - \frac{281}{109760} + \frac{361}{264384} - \frac{451}{577125} + \frac{551}{1164625} - \frac{661}{2204136} + \frac{781}{3954600} - \frac{911}{6782139} + \frac{1051}{11190375} - \frac{1211}{16569100}$ &c. &c.

Id quod conamen ut clarius pateat, sciendum est, istarum fractionum Denominatores ex summis quadratorum singulorum numerorum multiplicatis per summas Cuborum singulorum numerorum successivo ordine se invicem per series Arithmeticas sequentium in infinitum continuandas. Sunt igitur series ipsæ, ex quibus Denominatores istæ constantur:

Rad.	Qu.	Cubi	Summa quadratorum	Summa Cuborum	Ambæ summæ ita multiplicatæ
1	1	1			
2	4	8	5	9	45
3	9	27	14	36	504
4	16	64	30	100	3000
5	25	125	55	225	12375
6	36	216	91	441	40131
7	49	343	140	784	109760
8	64	512	204	1296	264384
9	81	729	285	2025	577125
10	100	1000	385	3025	1164625
11	121	1331	506	4356	2204136
12	144	1728	650	6084	3954600
13	169	2197	819	8281	6782139
14	196	2744	1015	11025	11190375
15	225	3375	1340	12365	16569100

Numeratores vero istarum in infinitum progredientium fractionum oriuntur ex summis omnium denariorum numerorum adjecta unitate. E. gr. Colligantur in unum summam 1. 10. 20. 30. 40. 50. 60. 70. 80. 90. 100. 110. 120. 130. 140. 150. 160. &c. & provenient Numeratores 11. 31. 61. 101. 151. 211. 281. 361. 451. 551. 661. 781. 911. 1051. 1211. &c. &c. Ut ideo proportio Quadrati ex Diametro circuli ad ipsum circulum ut 384 ad 301 $\frac{592894744620150892}{1000000000000000000}$ $\frac{413764794832276 48}{000000000000000000}$ quæ salvo calculo & Typographorum cura ita proposita aliorum studio ulteriori relinquitur.

DISSER-

DISSERTATIO EPISTOLARIS

DE

PLANTARUM PROPAGATIONE

MAXIME

CAPILLARIUM

ET

MUSCORUM

CUM

ICONIBUS ET DESCRIPTIONIBUS HERBARUM ALIQUOT NOVARUM.

VIRO
ILLUSTRI ET MAGNIFICO
DN.
D.LUCAE SCHROECKIO,
ARCHIATRO CAESAREO, S. R. I.
NOBILI, COM. PAL. CAES. ACAD. NAT. CUR.
PRAESIDI, ET MEDICO AUGUSTANO PRIMARIO

ATQUE

VIRO
EXCELLENTISSIMO AC AMPLISSIMO
DN.
D.WILHELMO HULDERICO WALDSCHMIDIO,
MEDICINAE IN UNIVERSITATE KILONIENSI PROFESSORI FAMIGERATISSIMO

SALUTEM PLURIMAM DICIT.

JOANNES JACOBUS DILLENIUS.

VIRI
ILLUSTRIS ET EXCELLENTISSIME.

QUam jam a ſex ſeptemve annis inchoatam, & ab aliquot nunc exactis abſolutam fere prælumve expectantem habemus Hiſtoriam Plantarum circa Giſſam naſcentium, dolemus ſane & magnum inde damnum percipimus, quod eam evulgandi occaſio adhuc denegata fuerit. Cauſæ variæ ſunt, quas hic eloqui non attinet. Interea dicta Hiſtoria, a nemine noſtrum attentata, nedum perfecta, commune ut ſentio, ſubibit fatum librorum botanicorum, videlicet ut prælum æque ac ſumtus ab ipſo auctore expectet: quod ipſi quidem libro, ceu fœtui cuidam indies perficiendo & augmenta ſumenti, non adeo male cedet, auctorem tamen parentem ipſius actorum laborum fructum nullum percipientem tantiſper male habebit, ni id ſolatio eſſe queat, ut, tanquam legitimus partus, juſtam magnitudinem adeptus & multis modis auctus & elegantior factus, eundem tandem majori gaudio afficere, ſi non & pluribus emolumentis atque commodis ditare aliquando valeat. At vero donec iſta ſpes impleatur ſumtusque aliquando ſuppetant, liceat mihi, *Viri, Illuſtris & Excellentiſſime!* ex obſervationibus, quas ibi feci, aliquas ſecernere, Vobisque, quos merito ad hoc ſeligere debui, judicandas offerre. Ac primum quidem fateor, me verba quædam facere voluiſſe de ortu & vegetatione Fungorum, quos non ex ſemine ſeminalive principio, quod noſtri ævi hominibus quibusdam placuit, ſed ex certo quodam certarum herbarum aut arborum ſucco putredinoſæ fermentationi obnoxio provenire exiſtimavi (in qua ſententia cum *Rud. Jac. Camerario*, Tu præcipue, Illuſtris *Schrœcki!* dum Ephem. Nat. Cur. Dec. 2. Ann. 7. Obſ. 156. & Ann. 10. Obſ. 207. itemque Dec. 3. Ann. 5. & 6. Obſ. 274. Fungorum ſeminiferorum fœtum aut corpora lentiformia nec verum ſemen, nec, quod *Gœdartius* & *Bonanni* atque *Doody* volebant, araneæ longicruræ ea ſemina aut ovula eſſe, curioſe & indubie aſſeruiſti, me magnopere con-

confirmaviſti, immo ad vulgarem ſeminalem deſerendam, & hanc putredinoſam arripiendam me primum induxiſti) ni id jam nuper admodum ingenioſe & præclare præſtiterit Illuſtriſſimus & doctiſſimus ille heros, *Comes Ludovicus Ferdinandus Marſilius*, & inſigniſſimus iſte Medicus, *Joannes Maria Lanciſius*, ille peculiari Diſſertatione, hic Reſponſione ad eandem. Noſtra interim cogitata & obſervata de ortu, tempore & tempeſtate ad Fungorum proventum neceſſaria, æqui rerum cenſores æſtimabunt æque, ſcripta aliquot annis ante quam *Marſiliana* ſententia typis expreſſa notaque facta eſſet, id eſt tanquam noſtra, quamvis *Marſilii* ſententia, ſed nobis ignota, multis forte annis ante noſtram concepta ſcriptaque eſſe potuerit, licet neutrius nova ſit, ſed ſapienti antiquitati jam pridem viſa & animadverſa, novaturienti autem ſeculo non intellecta & ob id immerito exploſa, noſtram inquam judicabunt, ſi eam plenius aliquando ſub Floræ noſtræ Giſſenſis expreſſionem perſpicere & legere licebit. Sed nunc his, tanquam inferioris ordinis corporibus, miſſis aſcendamus, & num de iis, quæ hæc, i. e. Fungos, ordine ſequuntur, novi certique quid, quod ad earum ortum & vegetationem clarius percipiendam facere queat, adferre queamus, tentare liceat. Inter quæ primum ſe exhibent Muſci, qui ductu *Raji* ſunt vel Aridiores & exſucci, vel Succulentiores & herbacei, quorum illi ſteriles omnino ſunt, nec, quod *Rajus* in Methodo opinatur, orbiculi, quos aliqui eorum obtinent, ſeminales haberi poſſunt, hi vero fertiles cenſentur, exceptis Lichenibus quibusdam (ut Muſco pulmonario *C. B.* Lichene terreſtri cinereo *Raj.* Lichene terreſtri, foliis anguſtioribus vireſcente *Raj.* & aliis quibusdam a nobis primum obſervatis, inque Flora Giſſenſi depictis & deſcriptis) quorum peltas & eminentias, quas oſtendunt, verrucoſas, pro ſeminalibus nondum habere poſſum, qui idcirco ad diſtinguendum frugiferorum genus Lichenoides, vocari poſſent. Muſcofungi non inepte priores a quibusdam appellantur, nomenque id præ Rectioribus & ramoſis e re magis tuentur illi, qui Cruſtacei ſunt & licheniformes, cum manifeſte oriantur e putredinoſa fermen-

mentatione & cespites muscosos, sed præcipue Adiantum aureum putrescens frequentissime matrem agnoscant. Rectiores vero & ramosi principio aut radici duriori & lignosæ magis insident, eque succo putrilagine minus infecto oriri videntur. Sub posteriore tribu, quos nos observavimus, militant: Muscus coralloides seu cornutus montanus *C. B.* M. corniculatus *Tab.* & *J. Bauh.* qui recte notat, a fratre eum perperam ad Filicem saxatilem *Tragi* referri, M. arboreus cum orbiculis *C. B.* M. arboreus capitulis cavis *C. B.* M. arboreus, Usnea Offic. *C. B.* M. arboreus capillaceus *Nob.* M. arboreus platyphyllos *Nob.* & M. aquaticus fragilis, extremitatibus compressis albis, cauliculis subrotundis, nigro fuscis *Nob.* dicti; priorem ordinem occupabunt: M. corniculatus & crustaceus *N.* M. corniculatus pulverulentus *N.* M. terrestris coralloides erectus, cornibus rufescentibus *C. B.* M. crustaceus viridis, extremitatibus crassiusculis, subfuscis *N.* M. pyxioides terrestris *C. B.* M. pyxidatus *J. B.* (qui contra sententiam *Raji* a priore diversus) M. pyxioides saxatilis *C. B.* M. pyxidatus apicibus coccineis *N.* M. pyxidatus multum crustaceus, pyxidulis exiguis & omnium minimis *N.* M. licheniformis cornu simplici *Doody*, Musco-fungus parvus, crustaceus & leprosus, apicibus aut capitulis incarnatis *N.* quem Fungulum incarnati coloris minutum, musco innatum nominat *Menzelius* in Pugillo, M. crustæ modo arboribus adnascens flavus *Raj.* M. crustæ modo arboribus adnascens fuscus *N.* M. crustæ modo arboribus adnascens *C. B.* M. crustaceus terrestris *N.* Cum vero posteriores hi, quatuor ultimis, qui vere crustacei sunt, exceptis, & ipsi cauliferi & ramosi sint, illi aptius Non Crustacei, quam Rectiores & ramosi cum *Rajo* dici possent, vel, quod consultius videtur, utrumque genus peculiari & distincto nomine ab invitem discerni debet. Analogum hi Musci Fungis ortum habent, ita ut Non crustacei Fungis durioribus & e ligno provenientibus satis apte respondeant, Crustacei, exceptis Non ramosis, reliquis quasi comparari queant, seu ortum habeant e principio magis soluto & putredini plus expolito, cum illi succo firmiori seu terre-

Mo. Bot. Garden
1903.

ſtribus & adſtringentibus particulis conſtante oriantur, quin & plerique eorum, ut duriores fungi, ex ipſo ligno proveniant. Verum antequam ad Lichenes Muſcosque redeo, naturæ, quem ſervat, vegetandi ordinem paullisper contemplari liceat. Perfectiores plantæ, quales Floriferæ, ſtricte dictæ, (excluſis, ſecundum vulgarem & adhuc obtinentem ordinem, Capillaribus & Muſcis; nam nos has potius floridas quam ſeminiferas dicendas exiſtimamus) audiunt, licet nulla omnino planta in ſuo genere imperfecta ſit, ſeminibus, quod apud omnes conſtat, ortum debent, ad quæ fœcundanda ſingularis obſervatur naturæ ordo, Veteribus quidem (inter Mares & Feminas appellatas herbas) non prorſus incognitus, attamen minus curate obſervatus & explanatus. Recentiori ævo poſt *Grewvium*, *Morlandum*, & *R. J. Camerarium*, Tu, Excellentiſſime *Waldſchmidi*! totum hoc negotium ſingulari Diſſertatione clarius expoſuiſti, demonſtrando apicum, qui ſtaminibus inſident, farinam ſpermatis maſculi inſtar ſe habere in ſeminum augmento & fœcunditate procuranda, & nos etiam plures obſervationes huic fini fecimus, quas omnes in Hiſtoriam Plantarum circa Giſſam naſcentium, prelo ut diximus, jam ab aliquo tempore paratam, congeſſimus; & ſane hic audacter pronuntiamus, nullam nobis, nec aliis forte, notam eſſe plantam, quæ ſemina proferat, ſtaminibus aut farina ſaltem ſpermatica plerumque in eadem planta & flore, aliquando tamen remota, non maritata, quantumvis raræ non ſint (immo numeroſæ) petalis carentes, plures vero calicibus. In Capillaribus & Muſcis plerisque aliter ſe res habet, & cum globuli & capitula, quæ proferunt, flori nihil analogum ſpecioſumque oſtendant, ſemina ea eſſe plerisque immo omnibus Neotericis placet. Mirum dictu poſt obſervatas in Fabis, ſemine Aceris &c. & bulbis etiam plantulas ſeminales, credi potuiſſe, quemquam tanta imaginatione aut phantaſia pollere, ut ſibi conciperet, e tam exilis quin exiliſſimæ magnitudinis corpuſculis, enaſci potuiſſe tantas plantas, quæ jam infinitæ exilitatis primordia formata forte ante habuerint. Accipe iſta ſemina, quæ in averſa foliorum (præter Osmundam regalem, Ophioglooſſum & Lunariam,

riam, quæ omnino hujus cenſus) parte nunc in lineas, nunc in puncta ita vulgo aggregari conſtat, ſed ulterius hæc puncta & lineas, ſi membranulam ſuperjacèntem (quam, ne quid deſit, pro floſculis immerenter habuit *Plumier*, quod refert *Rajus* in Meth. pag. 8. *D. Rivinus* vero, ut idem habet, ipſeque in Introd. Gen. in Rem Herbariam, circa finem Dorſiferis plantis tribuit floſculos granulatos, ſparſosque in averſa foliorum parte, quo a vulgari ſeminali opinione recedere videtur, ſed quales flores intelligat, non diſtincte explicat, immo nec granula illa, nec eorum farina, nec membranula aut operculum flores dici vere poſſunt) demas, aut ea per maturitatem hiſcat aut abſcedat, ex multo minoribus punctis ſeu globulis etiam nudo & inermi oculo conſpiciendis conflari obſervari poteſt, immo tandem globulos hos membranula ſeu vaſculo donari, quod per maturitatem apertum pulverem ad extremum tenerrimum & ſubtilem fundit, quem qui ſemen exiſtimaverit, næ ille difficillimæ & inextricabili difficultati ſe implicaret. In Muſcis plerisque ſimili modo, ſed diverſis in vaſculis aliterve locatis ſe res habet: Lycopodium peculiares clavas habet, quæ ſquamatim compactæ ſunt, & ſub ſingulis ſquamis folliculi latent bivalves, farinam ejus volatilem fundentes: Muſci terreſtres repentes capitula habent oblongo-rotunda, erecta, operculo, ut aliorum pleraque, lævi, vaginaceo ab initio cincta: Polytrichorum capitula pileolo villoſo teguntur: Capillarium lævi rurſus donantur, eorum ſaltem, quæ capitula erecta gerunt, nam quæ pendula habent, nuda ſunt: Muſci ſerpyllifolii & felicifolii, quorum plures, ut & aliorum, novas nondumque animadverſas ſpecies in Flora Giſſenſi deſcripſimus, & figuris perquam nitidis & accuratis noſtra manu depinximus, ita ut ſatis curioſam ibi Muſcorum quaſi Hiſtoriam nos aliquando tradituros ſperemus, nulla nobis adhuc capitula, aut aliquid aliud, quod floridam aut ſeminalem ſuſpicionem movere poſſet, exhibuere. Muſco-fungos putridæ origini ſubjecimus, Lichenes vero nobilioris ortus videntur. Nunc miſſo Lichenoidis genere, quantum veri Lichenes conſiſtentia herbacea ſterilibus & ipſis etiam Muſcis antecedunt, tantum utroque etiam

floris fructusque ostentatione superant. In Lichene petræo latifolio sive Hepatica fontana *C. B.* pileolos conicos viresçentes Septembri erumpentes, petiolo occultato brevissimo insidentes, qui grana plura, sex, septem aut octo, compressa, liniformia, pulverulenta ut Muscorum capitula, continebant, observavi. Præclarus vir *Fabius Columna*, Martio aut Aprili caulem seu pediculum edere observavit, quod mirum non videri debet, cum in hoc plantarum genere toto vegetatio & floresçentiæ status lente procedat. Plura exhibuit Lichen petræus umbellatus *C. B.* & Lichen petræus stellatus *Ejusd.* quorum illum seminiferum tantum, hunc vero stellatum floriferum esse comperimus; quapropter distinctum quidem nomen uterque retinere poterit, at non amplius distincti, sed iidem specie erunt. Stellatus e foliorum sinibus pediculos nigros biunciales emittebat, quorum capitulum e multis folliculis radiatim congregatis constabat, singuli vero folliculi lanuginem flavam emittebant, quæ farinam itidem flavam de se spargebat. Stellam, quæ capitulo incumbit, & novem plerumque radios obtinet, pro calice desuper locato habeo. Umbellatus calices aut scyphulos sessiles habebat, per margines tenuiter inciscos, multis seminibus compressis rotundis, repletos, quæ brevi maturitatem assequebantur, & virentia erant. Similem & perfectiorem fere fructificationem servant species aliquæ muscosæ, Muscis consistentia, at rependi & propagandi modo Lichenibus similes, Muscolichenes aut Musci lichenoides idcirco vocandæ. Duas diversas species circa Gissam provenientes observavimus, quarum prima Lichen parvus in corticibus arborum humidis repens, foliolis subrotundis squamatim incumbentibus *Raj.* Suppl. alter Muscus muralis floridus, foliis subrotundis, creberrime imbricatim dispositis, sive Muscus muralis platyphyllos *Moris.* Hort. & *Raj.* Suppl. dicitur. Prior obviam nobis factus est Novembri in sepibus hortorum ad Aceris minoris truncos seminibus prægnans, quæ in thecis aut folliculis compressis, in summitate, si curiose id advertatur, apertis e foliorum extremitatibus egressis latebant, oblongo rotun-

da, papaverinorum magnitudine, preſſione in pulverem fuſcum fatiſcentia; flores in aliquibus truncis pediculis tenuibus e thecarum apertura egreſſis inſidentes comparebant, Regulares, Monopetali ſtellati, in quatuor lacinias ad pediculum ſeu floris forſan tubulum diviſi: in aliis truncis tales flores non comparebant, ita ut flores a fructu remoti, iique in diverſis plantis, viderentur: verum poſtea Februario flores & fructus in eodem muſcoſo glomere obſervavi, floribus ipſis tamen ſemina non ſuccedebant, ut in eadem planta tum remoti apparerent; in ſingulis folliculis unum continebatur granum aut ſemen, quod peculiari inſuper membranula tenui arcte claudebatur, procedente tempore vero nudum progrediebatur & thecam ſupereminebat. Poſterior in ſcopulis ſilvæ illius, multarum rariorum plantarum apud nos feracis, Hangeſtein/ a ſcopulis proëminentibus dictæ, Junii fine aridus nobis collectus & poſtea virens etiam Novembri ad Quercus Lindanæ ſilvæ, rariorum plantarum proventu non minus nobilis, alibique ad ſaxa etiam virens. *Moriſonus* aut *Bobartus* flores eum aliis perfectiores Majo menſe proferre ait, ſeſſiles, ex quatuor vel quinque petalis ſubviridibus conſtructos, apice flavo e medio ſe erigente, donatos, qui ſummitatibus æque ac geniculis inſideant; quos nos etiam poſtea prioris floribus ſimiles cum copioſis folliculis obſervavimus. Quamvis vero Muſcorum horum flores perfecti fere videantur, ſtamina tamen & apices deſunt, nec farinam ecs ſeminiferam ferre conſtat, cujus proin uſum granis iſtiusmodi denegandum non cenſemus, ita ut floris munera in hiſce diviſa exiſtant. Non fuit ſemper otium nec apparatus microſcopiorum ad manus erat, nec forſan opinio nobis nata tum, cum eos primum reperiſſemus, fuit analogiæ materiæ horum corpuſculorum & farinæ ſpermaticæ, quam perfecti fundunt flores, ut curioſius in illius materiæ, quam ſimilem eſſe non dubitamus, figuram inquireremus, at poſtea doctiores & perſpicaciores facti, experimentum ſumſimus in Filice mare vulgari, in Polytricho, in Ruta muraria, in Lycopodio & Muſco polytrichoi-

de anguſtifolio, caule tenui reclinante *Mor.* aliisque, quorum farinam ſemen creditum microſcopio examinantes ſimilem vidimus antheræ Liliorum alborum & farinæ julorum Coryli apicumque Malvæ, Delphinii, Martagonis miniati, Balſaminæ feminæ, Piloſellæ Indicæ *Cornut.* aliarumque, quarum utriusque generis icones, microſcopio auctas, depictas damus. Quo omnino datum eſt nobis ſuſpicari, uſum hujus materiæ in his plantarum generibus non diverſum eſſe. Sed deeſt ſemen, cui fœcundo faciendo inſerviat. Vidimus in Capillaribus (occaſione obſervationis *Columnianæ* de Lunaria) radices evulſas diligenter & examinavimus curioſe, atque in Filice mare vulgari, aliisque ejus ſpeciebus, ſequuturi anni ſpiratim convoluta & muſcoſitate multa contra frigoris tempeſtatumque injurias provide præmunita advertimus folia plura, jam cum ipſis membranulis & ſeminum aut globulorum floriferorum potius rudimentis ſpecioſe, immo ſpecioſius quam in adulta planta, ornata. Quo fides fit *Plinio* L. 17. C. 6. (ubi de agro & extirpanda noxia iſti herba) dicenti: biennio mori Filicem, ſi frondem agere non patiaris. Nam cum materiæ iſtius ſeminalis præſentia ad hujusmodi plantarum propagationem radicalem omnino neceſſaria ſit, cauſſa ejus rei evidens eſt, & ſimul ratio patet, cur, ſi germinantis præcipue rami decutiantur, vegetare amplius nequeant; cui accedit, quod radices, in Filicis maris præcipue ſpeciebus, foliorum abſcedentium pars & reliquiæ ſint, non, ut ille exiſtimavit, quod ſuccus ex præciſa defluens, illas necet. „ In Lunaria vero, quæ ut Osmunda materiam illam in ſureulis peculiaribus Globuliferis gerit, „ (e qua ſata nullas prodiiſſe plantas curioſiſſimus *Columna* advertérat, alii vero minus obſervationem iſtam attenderant) obſervavit (verba *Raji* ſunt Hiſt. Pl. p. 126.) nunquam ſatis laudandus *Columna* Annot. in Res Med. N. Hiſp. in hac ſpecie omnes plantas in imo petiolo ſupra radicem folliculum habere quendam veluti citri florem exiguum, in quo plantulam exiguam veluti fœtum complicatum extare vidit, intra folliculum „ uteri vicem gerentem, integram, folioſam tantum, quæ race-

„ mis

„ mis vidua erat, poſt annum proferendam, & quæ racemoſa
„ cum ipſo exiguo ſed integro racemo convoluram: & hoc mi-
„ rum, inquit *Columna*, naturæ inſtitutum. Alias plantas ſimi-
„ li modo infra terram uterum gerere agnovimus, & ſuo tem-
„ pore proferre, ſed non anno integro, & forſan nec medio, ve-
„ rum a nova ipſius radicis extumeſcentia, ut in bulboſis quibus-
„ dam, in quibus intra bulbum ipſum ſpicatum cauliculum,
„ (quod Neotericinunc quidam, Auctorum lectione minus ver-
„ ſati, pro novo invento aut obſervato tradunt) obſervavimus,
„ ſuo tempore proferendam. Nobis, ut diximus, occaſio inde
nata eſt, in hujus generis plantarum ortum curatius inquirendi,
nec omiſimus obſervationem *Columnianam* ipſi facere, comperi-
musque in ima caulis ſupra radicem (non tamen adeo follicu-
loſa) parte plantulas adeſſe binas ſeminales, quarum utrinque
folium jam ſatis perfecte formatum ſine microſcopio obſervari
poterat, racemulum vero aut ſurculum floriferum, nec in ma-
jore, nec in minore plantula nudis oculis diſtincte videre pote-
ramus, eo tempore, quo planta defloreſcebat, ut ſuſpicio ſit, *Co-
lumnam* eam ſerius (quod tamen in ea herbæ hujus ſubitanea
diſparentia minus in proclivi) examini ſubjeciſſe. Nobis ergo
probabiliſſima videtur opinio, Capillarium ſeu Hypophyllosper-
marum (hoc enim nomen priori) & Epiphylloſpermarum
genus non ſeminibus, non ſtolonibus, ut nec alia adhuc
nota & obſervata propagandi aut multiplicandi ratione,
ſed radicibus propagari, ita tamen ut novellæ plantæ
in his actu formentur, ſed aſſurgere nequeant, ni pulve-
re foliorum genitali fœcundentur, idque, quantum ego hacte-
nus obſervavi, in iisdem plantis. Immeniæ ſane hujus generis
plantæ longævitatis ſunt, & inferiore plantæ trunco & radicum,
quod foliorum reſtibiles nodi in iis clarum faciunt, annuo de-
ſcenſu, immortalitatem aſſequi videntur. Proveniunt certo ejus-
dem & eximiæ ſæpe magnitudinis ſtirpes bi ſingulis annis, iique
perennes, qui brevi temporis ſpatio explicatis, quæ priori anno
jam ad radicem habebant convoluta, foliis, juſtam magnitudi-
nem acquirunt, nec ultra aſcendere conſpiciuntur, nec novellæ

junio-

junioresque adeo plantæ juxta has obſervantur, quod fieri deberet, ſi a tam exiliſſimæ magnitudinis pulvillis (quod nulla ratio comprehendere poteſt) ortum eæ ducere debeant. Ne memorem neceſſitatem, quæ impendet, ingentis & infiniti prope plantarum numeri, ex tot ſubtiliſſimis & copioſiſſimis ſeminibus oriundi, & obſervationis præterea defectum, qua herbas haſce ex iſtiusmodi ſeminibus ortas fuiſſe certo conſtaret; nam quod de ſpecioſa iſta & inaudita hactenus planta, Filix Emuyaca, pinnis proliferis mire ornatis *Muſ. Pet.* 402. Fil. non ramoſa maxima Chinenſis, plantulis plurimis e foliis enaſcentibus, eorumque ſuperficiei denſis agminibus incumbentibus *Raj.* Suppl. p. 84. dicta, ſcribitur, curioſiore & rigoroſiore examinatione ſtabiliendum videtur. Ac fortaſſis hujus ſingulari modo e pinnis propagatio, farina ſpermatica maſculinum aut fœcundantem uſum retinente, non minus prompte, immo facilius fieri poterit, quam in aliis Capillaribus, quarum imum caulem & radices tangere neceſſe habet; tantum forte abeſt ut indubie, quod *Rajus* vult, ſeminalis ortus inde conficiatur. Quibus occaſio fuerit, obſervent ejus tempus, ætatem atque ſtaturam, & inquirant præterea, an hæc planta annua? vel non ut aliæ perennis ſit? & an novellæ plantulæ deciduæ quotannis factæ terræ matri committantur? & quanto temporis ſpatio, ut alias progignant, aptæ fiant? & an propagatio talis in iisdem plantis tantum peragatur? an vero ſexu diſtinctæ ſint? aliaque? quæ nos nunc non recordamur. Hæc eſt ſuſpicio noſtra, quæ Muſcorum propagationi non minus favere poterit, quamvis, quod ingenue fatemur, radicalem præparationem & formationem in iis nondum obſervaverimus, licet nec adhucdum in eam curioſe ſatis inquiſiverimus. Puſillæ enim eorum radices atque caules ſunt, nec ut in Capillaribus abſcedunt, (videlicet eorum ſummitates) quin per brumam potiora augmenta capiunt. Id mihi conſtat, quotannis eos & plus ſane quam Capillares terræ immergi, & cauliculos eorum radicum naturam aſſumere. Forte cum continuo vireant plerique, ſummitates eorum tantum pulvere genitali & fœcundante opus habent

habent, quod uda & gelida, qua potiſſimum creſcunt & capitula proferunt, anni tempeſtate & conſtitutione iis naturali ordine contingit. Porro obſervatione mihi compertum eſt, Polytrichum aureum majus *C. B.* poſtquam Novembri pediculos pro capitulis novos produxerat, operculo longiuſculo vaginaceo & villoſo tectos, & capitula Majo aucta & viridia atque quadrata facta eſſent, æſtate Junio videlicet & Julio Polytrichum hoc, non tamen idem, ſed ab iis ceſpitibus, qui capitula producunt remotum, alia comparuiſſe facie; cauliculorum enim ſummitates in extremitatem craſſiorem ſtellatam abibant, ex qua Auguſto menſe cauliculi novi ſurgebant. Capitula hæc ſtellata, ſi probe premebantur, obtulere aliquid ſeminibus ſimile, oblongum, tenue, quaſi ſerratura ligni eſſet. Quas tamen particulas ſerraturam ligni æmulantes, pro veris ſeminibus nondum habere poſſum, tum quod eæ ſimiles omnino non ſint, tum quod ſi vera ſemina forent, ratio dari nequeat, cui uſui novus caulis ex veteri ſurgat, vel non potius plures, ſi ſemina in ipſis caulibus & conceptaculis, ſi modo talia obſervari queant, germinent, enaſcantur. Videtur igitur vetus caulis fœcundus factus novum emittere, ipſe vero munere annuo defunctus folia amittit, quo nervus medius radicis faciem aſſequitur, immo hujus naturam aſſumit, terræ ſe inſinuat & ſub ea ſe abſcondit. An quæ hoc anno capitula producit, altero ſurculoſa fiat planta, vel an hæc munia in peculiaribus & diſtinctis plantis peragantur, ita ut & mas & femina hic reperiatur? mihi obſervando nondum conſtat. Saltem extremitatis caulium ſtellatæ aut radiatæ inſignis etiam uſus videtur ad farinam capitulorum ſeminiferam arripiendam ac melius retinendam. Similem ſed aliquantum maturiorem propagationem in Adianto aureo minimo *Merr. Pin.* ſeu pileolo villoſo minimo *Raj.* Suppl. 34. obſervavi. Simillimi ſunt globuli, quos microſcopio examinati exhibent pulveres capitulorum Muſcorum, vaſculorum Capillarium ſeu Hypophyllоſpermarum & florum apicum: figura eadem; exilitas ubique fere eximia: natura utrisque ſulphurea, ita ut julorum Coryli pulvis (hic tamen mitiorem & placidam magis) & Filicis fari-

na non minorem ac Lycopodii ad candelam flammam ediderint. Apicum farinam ob parcitatem experiri non potuimus. Colore plerumque variant genitales isti globuli, pelluciditatem omnes obtinent, plus minusve intensam. Non diversa fructificatione gaudere nobis videntur Equiseta, quæ proin minus recte Herbis flore staminco præditis jungi videntur a *Rajo* in Meth. novissima editione. Semina enim aut vascula seminalia, quæ in Equiseto silvatico tenuissimis setis *C. B. Car. Preston.* vidisse voluit, nec in hoc, nec in aliis Equiseti speciebus ego saltem adhuc observare potui. Plantæ vero illæ Equisetis annumerari solitæ, quæ pyxidata insertione non conjunguntur, neque, quantum quidem constat, reliquorum instar clavam ferunt juliferam, veræ Equiseti species non sunt, ad quas propterea distinguendas Hippuridis nomen usurpari posset, licet diversum quid, quam Equiseti, id non adeo significet. Hujus species erunt Equisetum fœtidum sub aqua repens *C. B.* Equisetum non fœtens, sub aquis repens *Prest.* apud *Raj.* Suppl. 104. Hippuris exigua fluviatilis petræa nuda Virginiensis D. Banister *Pluk.* Ph. Tab. 193. Fig. 7. Hippuris coralloides *Ger. Em.* Equisetum sub aqua repens ad genicula polyspermon *Sher.* apud *Raj.* Suppl. 104. Equisetum Indicum mansu arenoso simile floreseens *Pluk.* Mant. Alm. p. 68. seu Hippuris aquatica, Orientalis, polyspermos *Petiv.* Act. Ph. n. 274. Hippuris muscosa sub aquis repens in Hibernia *Pluk.* Phyt. Tab. 193. Fig. 6. cui similem in fodinis argillaceis ante silvam Gissensem Septembri cum granulis, quæ nondum matura videbantur, reperimus: Hippuridem muscosam, setis per extremum stellatis nominavimus. Cauliculos aut fila, quam Hippuris coralloides *Ger. Em.* habebat tenuiora, setas breviores, per extremum in minores multo stellatim desinentes, intra quas granula minuta sedebant, flavicantia, sub dentibus scruposa. Tota planta etiam altior erat, & non repens, sed erecta, coloris magis viresceutis, & muco copioso limoso undique obsita, ita ut negotium facessat priusquam ab ea liberetur, ut melius contemplari possit. Ad singulas distinctiones setas utplurimum sex habebat,

bebat, quæ in ſetas minores incerto numero definebant. Altitudinis erat pedalis & ſesquipedalis, ſimili alias modo ac prior, (Hippuris coralloides *Ger. Em.*) flexilis, ſuccoque analogo repleta. Hippuris vero coralloides *Ger. Em.* quam etiam circa Giſſam, juxta pagum Annerodt, Majo ſub aqua aliquando reperimus, ſi inflectatur, non arcum ſed angulum facit, unde *Rajus* valde fragilem dicit, qualis tamen revera non eſt, nam huc illuc intorta reſilit, & in teretem figuram reſtituitur, quod a ſucco viridi viſcido, membranulas filorum lentas diſtendente, provenit. *Plukenetii* Hippuris in eo a noſtra, quam ad vivum depictam damus, differt, quod ei non ſetarum ſolum extremitates, ſed & earum caulisque intermedia ſpatia crebris ſtellulis effigiata ſint, totaque planta craſſior videatur. Aliam porro, quam ſecunda icone exhibemus, vidimus in lacunis pratorum juxta Aquarium publicum, **Daubentränck** dictum, ſitis. Coloris erat, atro virentis, ramuli & ſetæ eandem cum Hippuride coralloide conſtitutionem habebant, læves enim erant & ſimili ſucco repletæ; fœtore carebat; ſetæ ad ſingula genicula ſenæ utplurimum aderant, per extremitates bifurcæ, unde Hippuridem ſetis bifurcis nominavimus. A pedali ad bipedalem fere longitudinem protendebatur in aqua fluitans, pluribus ramis aggregatis & invicem innexis. Ab Hippuride coralloide magnitudine & ſetarum figura, ab Equiſeto fœtido, odore, quo deſtituebatur, & ſetarum formatione, & quod magis lævis eſſet, differebat. Septembri invenimus juxta Equiſetum fœtidum, nudum ſeu nullis granis præditum, quibus tum Equiſetum fœtidum grave erat. Hæc vero grana, primum lutea, per maturitatem vero nigra, cum duriuſcula ſint, & in Hippuride coralloide ſub dentibus ſcrupoſa, quid proprie ſint, determinatu difficile eſt, ſemina tamen verius quam pulverulenti flores videntur. Ex terreſtribus & aquarum dulcium alumnis non alias novimus plantas flore ſemineque carentes, præter Confervas, quæ quantum præ Muſcis ad herbaceam conſiſtentiam magis accedunt, tantum utriusque, floris videlicet & ſeminis, defectu ab iis ſuperantur. Earum ſex di-

versas observavimus species : Algam nimirum viridem capillaceo folio *C. B.* quæ in aquis passim & rivulis minoribus occurrit & horum ductum sequitur : Algam fontalem trichodem *C. B.* & Algam in tubulis aquam fontanam ducentibus *Ejusd.* quæ ex sententia *Raji* cum trichode eadem, in rivulo Biberæ ad molendinum Heuchelheimense in ductibus, qui aquas ad rotam molariam deducunt, obviam : Confervam reticulatam *Doody* apud *Raj.* Hist. App. p. 1852. *Pluk.* Ph. Part. 1. T. 24 F. 2. cui Alga bombycina *C. B.* Pin. & Pr. eadem nobis videtur : Confervam geniculatam minimam *Pluk.* Ph. T. 84. F. 9. in aquis pigrioribus & in fossis pratorum Aa alibique per æstatem & auctumnum conspiciendam : & Confervam geniculatam lubricam majorem & minorem a nobis primum observatam, a prioribus insigniter differentem, admirabilique structura constantem. Prima filamentis, aut ramulis potius, quam priores brevioribus sed crassioribus constat, basi sua aut ramo quodam crassiore ligno saxove fontes investienti adhæret, hinc in plures alios dividitur, & hi rursus in alios minores venarum ep̄atis instar ramificantur, omnes vero rami creberrimis interno-diis aut annulis verius velut lumbrici terrestres geniculantur ; tota pellucida est, coloris fusco-nigri i. e. murini, & ex substantia gelatinosa constare videtur, hinc fit, ut non sine artificio & cautela aqua extrahi queat, lubricitate ejus manuum quamvis sedulam operam facile eludente. Ob dictam substantiam nobis sæpe animalis aut insecti cujusdam spermatis specie imposuit, fidem facientibus, tanquam totidem ovulis, punctulis innumeris, quæ si vitro aqua pleno indatur lucique obvertatur, conspici possunt, donec tandem cogitarem, quod, si animalis cujusdam fœtura foret, certo saltem & forsan verno tantum tempore comparere debeat, cum tamen æstate & auctumno præcipue conspiciatur. Curiositas nobis fuit plantam hanc aqua fervente perfundere, verum tantum abfuit, quod sperabamus, ut mucaginosa ejus substantia inde diffluueret, ut potius in eodem statu persisteret, & color in virescentem transiret, quo ipso vegetabilem natu-

ram,

ram, quam vel cuivis intuenti dissimulabit, omnino propalavit, ut non memorem odorem ejus muscosum, quem cum calidis aquæ evaporationibus de se spargit. Altera priore multo minor est, ita ut, cum illa digiti longitudinem plerumque æquet aut superet, hæc uncialem longitudinem raro excedat; minus quoque ramosa est & coloris (auctumno saltem, æstate enim prorsus viret) ex cinereo virentis. Speciosæ hæ duæ Confervæ tum lubricitate sua, tum ramulorum brevitate, & quod priorum instar in glomerem insignem non congregentur, aut longe, vulgaris instar, protendantur, ab aliis facile discerni possunt. Aquis putioribus & limpidis gaudent, illamque in amplis istis & præstantibus fontibus juxta pagos Alten & Grossen Busek / multa scaturigine erumpentibus, æstate & auctumno sæpius reperimus, hanc vero in pusillo glareosi soli fonte juxta lucum carnificis horæ spatio Gissa distante, dicto tempore observavimus. Nulla nobis adhuc dum semina aut flores aut materiæ spermaticæ vestigia in omnibus hisce Confervis observata sunt, non tamen omnino deesse censeri ideo debent, cum vel brevi aliquo tempore in iis comparere, aut tantæ exilitatis esse queant, ut non adeo facile conspici possint, exemplo Lenticulæ palustris, cujus flores & fructus ad perspicacissimum usque *Vallisnerium* latuere, &, licet ab hoc in apricum deducta sint, non a quovis perquiri & conspici possunt. *P. Bocconem* Confervas ex unctuositate quadam, seminis vices subeunte, & per juxtapositionem partis ad partem, non vero ex semine generari existimare in Observatione illa Eph. Nat. Cur. Dec. 3. A. 4. subnexa p. 142. & Tuo honori dicata, Tu, Illustris *Schræcki!* me vel tacente recordaberis.

Ab imperfectioribus, aut inferioris saltem ordinis Vegetabilibus, ad perfectiores & superioris ordinis plantas pedem proferre, atque e Planipetalis lactescentibus novas aliquot nondumque, quantum quidem novimus, descriptas brevibus hic exhibere liceat. Chondrillæ notas si cum *Tournefort* (referente *Rajo* in Meth.) statuas calicem cylindricum, ad basin usque in plures partes dissectum, & hæc planta iis accensenda venit, atque ob florum nascendi ordinem Chondrilla cichoroides dici poterit.

E radice longa, lignoſa, extus nigreſcente, intus lacteſcente, caulis ſurgit tortuoſus, bicubitalis & tricubitalis, foliis alternis, ad radicem eleganter inciſis, ſuperioribus integris, oblongis, brevibus per margines & in dorſo ſpinulis dentatis, cinctus. E foliorum alis & pediculis ex his egredientibus, ſingulari in hoc Genere ratione, flores egrediuntur, ſimili prorſus ac in Cichorio modo. Flores vero lutei ſunt, & ex decem undecimque plerumque ſemifloſculis componuntur, inque pappum candidum ſericeum abeunt; Singuli ſemifloſculi in quinque exiles lacinias dividuntur, & ſinguli ut in aliis hujus Generis, ſtilum obtinent membranula oblonga, farinam, ubi ea ad corniculorum ſtili egreſſum & revolutionem deſcendit, luteam emittente, circumdatum; ſinguli porro ſingulis inſident ſeminibus, quæ cinerea ſunt, Lactucæ ſeminibus paria, ſed minus lata. Calices cylindrici, ſimplices, ad baſin usque in plures partes diſſecti. Radix inciſa lac gummoſum dulce fundit, & folia etiam, quæ dulcia potius quam amara, ut alia hujus generis ſunt. In agris illis pinguibus montis Weddenberg / ubi numismata antiqua ſæpe eruunt agricolæ, verſus ortum ſitis, neque uspiam alibi facile circa Giſſam Julio inter ſegetes hiemales floret; in eorundem agrorum marginibus acclivibus inter fruteta etiam reperitur. Plantam fecit pictor minus, quoad florem accurate, unde noſtra manu pictum florem adjecimus.

Hieracium caulibus aphyllis, glabris; nusquam etiam nobis apud Auctores occurrit, niſi forte fuerit Hieracium minus, Dentis leonis folio ſubaſpero *C. B.* Folia habet Taraxaci, ſed minora, uncias tres longa, ſemunciam lata, plurima per terram ſparſa, ſinuata & hirſuta; caules ex eadem radice plures, aphylli & non ramoſi, plurima parte glabri, ad radices ſaltem leviter hirſuti ſurgunt, virides, tandem ad ſeminum maturitatem rubeſcentes, ſolidi & rigidi, qui unicum in ſummo ſinguli florem luteum geſtant; ſemina longa, gracilia, fuſca, ſtriata, calice hirſuto circumdata. Locis gramineis Julio floret.

Hieracii fruticoſi anguſtifolii minoris duplex varietas nobis occurrit, minor una & altera nonnihil major. Illa palmum longi-

longitudine non multum ſuperabat, folia minora habebat, ob longo-rotunda, & unicum plerumque in ſingulis caulibus florem: hæc folia longiora, magis acuminata, ſed minus hirſuta obtinebat, plures uno in ſummo flores gerebat, & ad pedalem & ſeſquidodrantalem altitudinem aſcendebat. Utriusque vero flores parum differunt, & pro plantæ ſtatura ſatis magni ſunt, lutei, & ſemifloſculis in quinque lacinias diviſis conſtantes. Calices ſquamoſi ex viridi nigricant, læves, quod huic in Fruticoſis peculiare, folia vero hirſuta & piloſa, integra, aut, in Majore præſertim, leviter & rarius ſinuata, ad radices plura, per caules rariora, alterna. Radix tenuis non multum fibroſa profunde deſcendit, inſigniter amara, folia vero potius dulcia. Utraque varietas nobis obſervata in pratis udis & ſpongioſis um den Wald-brunnen: in alneto, pratis minus udis & in ſilva Giſſenſi Major tantum, cujus his in locis folia tandem fere glabra evadebant, & inferius ſaltem leviter hirſuta manebant. Auguſto & Septembris initio floret.

Huic, miſſis jam aliis, quarum plures partim plane novas, partim deſcriptas quidem, ſed nondum iconibus diligenter exhibitas, in plantarum fertiliſſimo Giſſenſium agro obſervatas obtinemus herbas, ſubnectimus jam Genus plantæ novum, Radiola nobis, ob capſulas rotatim radiatimque diſpoſitas dictum. Flores ejus exigui, Tetrapetali, Regulares ſunt. Vaſcula, in octo cellulas diviſa, ſemina fundunt, per ſingulas ſingula, exilia, luteſcentia. Calices in lacinias, præ exilitate vix numerandas, multas dividuntur; a decem ad duodecim nobis numeraſſe viſi ſumus. Figura Alſines petrææ minimæ *Tab.* quam ſub Alſine minore Lini Capitulis locat *C. B.* in Pinace, noſtræ ad vivum naturalemque magnitudinem diligenter factæ non congruit, alias eandem putaſſemus. Vaſcula inaperta, aperta cum floribus & capſulis, ſeminaque microſcopio aucta depinximus, & Polygonifoliæ *J. B.* florem & ſemen naturali magnitudine depictum pro utriusque differentia cognoſcenda adjecimus. Radiolæ nomen, quod non veremur, ſi diſpliceat, Linocarpos, & forte aptius, quam Linum ſylveſtre catharticum, appellari poſſet. A nemine notatam

tam existimabamus plantam, at, postea a *Rajo* in Historia sub „Alsinis tetrapetalis accurate descriptam reperimus: Millegrana „minima *Ger.* minima seu Herniaria minor *Parck.* Polygonum „minimum seu Millegrana minima *C. B.* ibi dicitur. Suis verbis „*Rajus* eam ita describit: Radice nititur parva, alba, simplici. Cau„lis digitalis aut altior, simplex, rotundus, valde ramosus. Ramu„li prætenues, rubentes, foliis vestiti Thymi aut Alsines minimæ „figura, sed multis numeris minoribus, absque pediculis imme„diate adnatis, ex adverso binis, glabris. Tum caulis, tum etiam „ramuli bifariam dividuntur & subdividuntur sæpius. Ex ipsis „ramulorum divortiis aut divaricationum angulis oriuntur flo„res singulares, pediculis pro plantulæ ratione satis longis, tenui„bus insidentes, Tetrapetali, albi, minutissimi, quibus succe„dunt vascula seminalia rotunda; semina præ exiguitate vix con„spicua. Æstate in ericetis sabulosis & humidioribus præsertim „viget. In Supplemento ad dictam Historiam pag. 132. ad pag. 215. Plant. 9. quæ est Polygonifolia per terram sparsa flore scorpioidis *J. B.* notat: Huc refert *D. Tournefort* Hist. Plant. circa „Paris. Polygonum minimum seu Millegranam minimam *C. B.* „*Lob.* ic. cujus florem & fructum sic describit: Flos quinque fo„liolis albis, ovalibus $\frac{3}{4}$tas lineæ longis componitur. Calix sim„plex est, lineam unam longus, in quinque apices viridiusculos, „extremo albicantes, introrsum recurvos divisus, qui floribus „prætritis pro involucro inservit grani unius fusci, duri, subro„tundi, quod microscopio examinatum propemodum trianguo„lare apparet. Hinc patet plantam hanc ad Monospermas Gymnospermas referendam esse. Enimvero *D. Tournefort* Polygonifoliam per terram sparsam flore Scorpioidis *J. B.* pro Polygono minimo seu Millegrana minima *C. B.* describit, sequutus procul dubio *J. Bauhinum*, qui eam cum sua Polygonifolia conjunxit Hist. Pl. T. 3. L. 29. C. 127. ast minus recte: *C. Bauh.* inquit „ibid. in Synonymorum recensione, qui aliquando sine nomine „nobis misit, in Phyt. Polygonum 7. sive minus, & Millegranam „minorem vocat: *Dobel.* cujus icon in Ic. Plant. pag. 422. minus

„placet,

„placet, Millegranam minimam. Certe *Caſpar* Polygonifoliam, quam fratri *Joanni* miſerat, intelligere, nec Millegranam minimam, cum vulgari Herniaria ſeu Millegrana ipſius majore major multo ſit, minimam vocare nequivit: Qui factum ſit, ut Polygonifoliam *J. B.* in Pinace Frater omiſerit, ignoramus: de *Lobelii* icone, quam non vidimus, dicere nihil poſſumus: jure quidem *J. Baubino* placere non potuit, quoniam ſine dubio aliam & diverſam plantam ſignificat: *Rajus* præter omnes erravit, quod exceptis vaſculis accurate notatam & deſcriptam a ſe in Hiſt. plantulam, ad alienum in Curis poſterioribus ſeu Supplemento ad dictam Hiſtoriam tranſtulerit locum: *Tournefort* confuſioni omnem anſam dedit. Simili ac eodem, quem ei *Rajus* tribuit, ſolo ad Pinaſtretulum, inter viam Annerodtenſem & Steinbachenſem ante ſilvam Giſſenſem, exiguis limitibus circumſcriptam reperimus hanc plantulam, æſtatis fine, juxta Alſinen paluſtrem minimam, floſculis albis, fructu Coriandri exiguo *Mentz.* Si curioſus alias *Plukenetius* iconem ſaltem *Mentzelii* Pug. ſummitates, ob foliola denſius aggeſta, quaſi ſtellatas exhibentem, & fructum rotundum apicibus (qui flores videntur) donatum, quodque is folliculis deſtituatur, & ſolitarie e foliorum alis egrediatur, conſideraſſet, cum in Portulaca arvenſi *C. B.* quacum ſynonymice eam jungit idem Phyt. T. 7. F. 5. fructus in ſummitate latior ſit & calice (quanquam erronee a *Mentzelio* omiſſo) donatus, ſtilo vero deſtituatur, & non ſolitarie, ſed confertim e ramulorum ſummitatibus dependeat, ſi hæc, inquam, *Plukenetius* tantum, ut floris & vaſculi diverſitatem non memorem, advertiſſet, non utrasque confudiſſet, non tantum ſpecie, ſed & genere diſtinctas plantulas. Herbula ſui generis vacuum Centunculi forte non inepte occupabit nomen, locumque inter Vaſculiferas flore Monopetalo donatas plantas. Flores ejus exiles admodum ſunt, & in quatuor minutas lacinias dividuntur. Tum diviſura, tum ſtructura & Regularitas eorũ fere ſine microſcopio detegi nequeunt, nec in Radiola etiam, nec in aliis quibusdam, quas nos ſæpe obſervavimus, plantis. Licet vero notæ plantarum characteriſticæ ob-

viæ, manifeſtæ; & cuilibet facile obſervabiles eſſe debeant, ubi tamen nulla oculorum acie obſervari eæ poſſunt, ut microſcopio detegantur, neceſſe eſt. Nos alias hactenus iſtiusmodi inſtrumentis facile caruimus, quamvis plura forte circa florum & floſculorum ſtructuram perviderimus, quam alii armatis oculis perſpexerunt. Sed ut ad Radiolam noſtram, cui locus nondum aſſignatus eſt, revertar, ea ſecundum Methodum τῦ πάνυ J. *Raji* ad Herbas flore Tetrapetalo Anomalas, referenda erit. Subjungitur earum Genus Herbis Tetrapetalis ſiliquoſis, Anomalæque vocantur, quod nec inter ſe, nec cum Tetrapetalis Siliquoſis ullis fere in partibus, præterquam numero petalorum in flore conveniant. Enimvero cum Anomalarum nomen multis nec ſine ratione moleſtum & odioſum ſit, nec ratio appareat, cur ſenſum noſtrum prædicto Generi tantum alligare, & Herbas hasce priorum modulo metiri debeamus: Novum potius inde Genus erigamus, & id rejiciamus ad calcem Generis Leguminoſarum, vel ſi eæ vere Pentapetalæ fuerint (ita enim, quas alibi dabimus, non vanis rationibus exiſtimamus) hic, poſt Tetrapetalas Siliquoſas videlicet, ei locum concedamus, titulo: Herbæ flore Tetrapetalo Vaſculiferæ, Miſcellaneæ. Hoc Genus inane non erit, nec generibus ac Speciebus deſtituetur, cum & alia in ſocietatem ſuam recipere queat, quæ alias ſedem certam & locum convententem non obtinent. Notæ ſunto: florem habere Tetrapetalum, & ſemina vaſculis, nunc ſimplicibus, nunc in locu-lamenta diviſis incluſa, iisque aut brevibus, aut longis & in ſiliquam productis; quod certe Genus huic Methodo addictus nemo reprobare poterit, qui Genus X. Herbarum Flore perfecto ſimplici &c. admiſerit, cum hoc idem omnino ſit in Gymnoſpermis, quod præſens eſt in Enangioſpermis. Species aut Genera infima ſequentes hactenus comperimus herbas: Rutam videlicet, Radiolam, Alſinen montanam capillaceo folio *C. B.* Saxifragam gramineam puſillam, flore parvo tetrapetalo *Raj.* (quibus aliæ Alſinæ tetrapetalæ jungi & Alſinellæ vocari poterunt) Millefolium aquaticum floſculis ad foliorum nodos *C. B.*

Papaver

Papaver & Chelidoniam, Lysimachiae siliquosas, a quibus Lysimachia Chamænerion dicta ob flores ejus Irregulares sejungi & Onagra vocari poterit, Fumariam vulgarem & bulbosas. Tithymalum ad Vasculiferas flore Monopetalo referimus, Plantaginem cum consortibus suis Psyllio & Coronopo ad Genus novum Herbarum flore Aggregato præditorum rejicimus, quodsimul Corymbiferis affines in societatem suam commode assumere poterit.

Ignoscite, quæso, Viri Celeberrimi! extravaganti & ad ἀλλοτρια fere prolapso. Vestro omne, quod de Plantarum propagatione protuli, stabit caderque judicio. Quodsi, quod humanum est, alicubi erravi & a recta semita deflexi, non erit grave, immo jucundum, in rectam viam reduci. Cui fini me satis prospexisse spero, quando Vos mihi rectores atque duces eligendos censui, i. e. Viros doctrina & judicio magnos, & multo rerum usu catos, non solum in illa Medicæ artis parte, quæ salutarem opem ipso opere præstat, sed & ista præcipue, quæ ad id præstandum viam sternit, theoretica videlicet, cujus non infimum locum occupat ea, quæ Herbariæ scientiæ latifundia aperit. Tu, cum Illustri *Schrœckio*, Amplissime *Waldschmidi!* cum in laudata Dissertatione, ut se hac in causa res habeat in plantis imperfectis vulgo dictis, aliquam in posterum operam Te impensurum pollicitus fueris, non gravabere me erudire, & quid observando compereris, me certiorem reddere. Quodsi suspicionum nostrarum quasdam Vobis non reprobari intellexero, non me spes vana tenet, aliis placere posse, quin debere, quod tantis non displicuit Viris. Utcunque res cadat, in rebus non prorsus facilibus & voluisse sat erit. Valete, Viri Illustris & Excellentissime! & in favore & benevolentia Vestra me quam diutissime conquiescere patimini.

Scribebam Giss. pridie Nonas Decembr.
Ann. æræ Christianæ 1715.

EXPLICATIO FIGURARUM TABULAE.

1. Sperma julorum Coryli; coloris est flavescentis.
2. Sperma apicum Liliorum alborum, lutescit.

3. 4. 5. Sperma Malvæ ſilveſtris folio rotundo & ſinuato *C. B.* itemque Malvæ roſeæ *Ejuſd.* penitus candet ubivis.

6. Sperma Lyſimachiæ luteæ corniculatæ *C. B.* Globuli decuſſi in pyramides exiguas, filis tenuiſſimis annexas congreguntur; flavicant.

7. Sperma Adonidis hortenſis flore minore atro-rubente *C. B.* fulveſcit.

8. Sperma Campanulæ pyramidalis *Cam.* flavicat.

9. Sperma Bugloſſi vulgaris; hoc, licet nullius globuli obſcuri ſint, cryſtallinæ eſt pelluciditatis præ aliis omnibus.

10. Sperma Filicis vulgaris *Trag.* coloris fuſci.

11. Sperma Filicis tenuiſſime & profunde denticulatæ Montbelgardicæ *J. B.* una cum globulis ſeu vaſculis (ſicut in priore) diruptis, per quorum dorſum ſemina minutiſſima locata videntur; coloris fuſci.

12. Sperma Rutæ murariæ *C. B.* coloris fuſci.

13. Sperma Polytrichi minoris; coloris virentis.

14. Sperma Polytrichi aurei medii *C. B.* coloris flavicantis.

15. Sperma Muſci trichoidis viridiſſimi holoſericei; ex luteo viret.

16. Sperma Muſci cupreſſiformis ramoſi *C. B.* viret.

17. Sperma Lycopodii; albeſcit.

Quo pateat analogia materiæ utriuſque, omnia hæc miſcroſcopio (quod magnitudinem naturalem decies aut duodecies circiter augebat) depinximus.

18. Hieracium caulibus aphyllis, glabris.

19. Radiola.

20. Flos Polygonifoliæ *J. B.* naturalis magnitudinis.

21. Semen ejusdem; naturalis & auctæ magnitudinis.

22. Flos Radiolæ; microſcopio depictus.

23. Capſula ſeminalis aperta; auctæ magnitudinis.

24. Semen ejusdem auctæ & naturalis magnitudinis.

25. Capſula nondum aperta; auctæ magnitudinis,

Tab. IX. Append
pag. 67.

1 Chondrilla cichoroides.
2 Floris exactior figura.

DE V

PLANTARUM

PROPAGATIONE DISSERTATIO EPISTOLARIS ALTERA,

QUA

PRIORIS ASSERTA ULTERIUS EXPLICANTUR ET FIGURIS NOVIS ILLUSTRANTUR;

Præter RADIOLAM etiam, superius descriptam, duo Genera Plantarum nova, CENTUNCULI, nimirum & CAMERARIAE, designantur,

VIRO

VIRO

EXCELLENTISSIMO ET AMPLISSIMO

DN.

RUDOLPHO JACOBO CAMERARIO,

MEDICINAE DOCTORI ET IN ACADEMIA TUBINGENSI PROFESSORI CELEBERRIMO

Salutem plurimam dicit

JOANNES JACOBUS DILLENIUS. M. L.

VIR
EXCELLENTISSIME ET AMPLISSIME!

IN Dissertatione epistolari, quam de Plantarum, maxime Capillarium & Muscorum propagatione, Illustris *Schrœckii* & Amplissimi *Waldschmidii* honori ante novem fere menses dedi, suspicatus fui, id genus herbas perennes, si non sempiternas, hujus saltem mundi esse: earum regerminationem fieri subtilissimo illarum pulvere, quem Capillares pleræque in foliorum dorso, aliquæ earum tamen, ut Osmunda, Lunaria & Ophioglossum, peculiaribus furculis a foliis distinctis gestant, & maturitatis tempore tenerrimæ farinæ instar de se spargunt, non ut semine, quod, ceu ovula femellarum, prodituri partus partes jam delineatas, si non actu formatas, obtineat, sed tanquam sperma-te auraque genitali masculina, ita tamen, ut fecundantem vim non in semina, quæ hic nulla adsunt, sed super radices Capillarium foliaque extrema Muscorum effundat. Nunc hac ætate maturationis terminus talis apparuit, ut Capillares, quæ folia amittunt, breviori tempore eum attingant, ita ut, antequam marcescunt, genitalem illum pulverem super radices, ubi sequentis anni jam formata & pulchre rudimentis futurarum partium ornata delitescunt folia, multa contra frigoris tempestatumque injurias provide præmunita muscositate, emittant, at quæ semper virent atque per hiemem folia sua retinent, quales Ruta muraria & Polypodium, lentius eum assequantur, & harum globuli floriferi non nisi vere sequenti, ut novella mox prodire queant folia, rumpantur; quo lento pede procedunt etiam Muscorum capitula in maturanda farina, quam conclusam habent, de quorum tamen foliis suspicio nobis est, ea singulis annis non omnia simul abjici, sed longius durare, quamvis quolibet novo anno nova ii assequi videantur. Atque inferioris ordinis Vegetabilia hæc seminibus carere adhucdum existimamus. Analogia, quam habent farinosa Capillarium & Muscorum corpuscula cum ma-

teria

teria apicum in floribus non minus quam floſculis florum compoſitorum, inque Apetalis etiam, hanc nobis ſententiam pepe-
rit, cujus nec adhucdum pœnitet; ſed fere pœnituiſſet, cum *Joſephi Pitton Tournefort* Inſtitutiones Rei Herbariæ nobis antehac nondum viſas nacti, omnem iſtum ſeminalem in Capillaribus apparatum jam obſervatum & curioſe, immo curioſius quam a nobis, depictum reperiremus, ni mox advertiſſemus figuras iſtorum corpuſculorum depingi ibi magis, quam eorum uſum deſcribi & intelligi. Ita enim ille Inſt. pag. 55. „ Folia vero, „ flores & fructus in pluribus plantis deſiderantur. Tubera ipſa, „ pleræque Fungi ſpecies, foliis & caulibus carent. Filici, Capillo veneris, Polypodio, Linguæ cervinæ, Muſco & ceteris id „ genus plantis flores denegavit natura. Semina ſingulis ineſſe, „ naturali quodam judicio adducimur ad credendum; quam„ vis fruſtra explorentur in pluribus Muſci & Fungi ſpeciebus, „ tum & herbis in fundo maris naſcentibus. Et in Præfatione „ Claſſis XVI. ait: Plurimis plantis natura flores negavit, ſemi„ naque tribuit, quæ viſum pæne fugiunt, quapropter earum „ notæ a foliorum forma peti debent. Quæ ſpecialius expli„ cat pag. 538. ubi docet, Filicis maris vulgaris fructus foliis in„ naſci bino plerumque ordine pinnulis affixos clavi ope altera „ parte retuſi: detracta autem vel corrugata membrana illa „ convexa, quæ ferri equini formam habet, ſeſe oculis objicere „ numeroſam congeriem veſicularum ferme ovatarum, annu„ lo, elaſtica vi donato, munitarum, cujus contractione rumpan„ tur illæ ſeminaque fundant minutiſſima. Quæ Tab. 312. depingit eadem ſtructura ac nos fecimus in Diſſertatione dicta, ſed majora, microſcopiis procul dubio melioribus inſtructus. Quo loco ſimul *Cæſalpinum*, qui ex furfuracea lanugine, quæ in averſa foliorum Filicis parte apparet, alias Filices enaſci ſtatuerat, recte redarguit, & hanc lanuginem ab earum ſemine, quod ipſe exiſtimat, longe differre ſtatuit. „ Lonchitidis fructus, pergit „ pag. 539. Filicis fructum plane æmulatur, & p. 540. Tab. 315. „ Trichomanis fructus foliis innaſcuntur, capſulæ ſcilicet mem„ brancæ,

„ branaceæ, globoſæ ferme, ſquamis obvolutæ, annulo , elaſtica „ vi donato, munitæ, cujus contractione rumpuntur ſeminaque „ fundunt tenuiſſima ; quibus congruunt Rutæ murariæ fru- „ ctus p. 541. Tab. 317. & Adianti p. 543. Tab. 317. Polypodii „ vero capſulæ membranaceæ ſphæricæ in acervulos congeſtæ „ annulo carent, quæ fibrarum contractione rumpuntur p. 541. „ Tab. 316. Aſplenii pars prona ſquamis obducitur, e quibus „ velut e ſinubus propriis emergunt capſulæ ſphæricæ annulo „ elaſtica vi donato munitæ, cujus contractione rumpuntur ſe- „ minaque fundunt minutiſſima p. 544. Tab. 318. Linguæ cer- „ vinæ ovales ſunt, alias congruunt p. 546. Tab. 320. Osmundæ „ capſulæ ſimiles ſunt Polypodii p. 548. Tab. 324. Ophioglosſi „ fructus lingulatus eſt in plures cellulas bino ordine per longi- „ tudinem diviſus, quibus ſponte diruptis utrinque denticulatus „ fit, & *Camerarii* obſervatione tenuem pollinem effundit pag. „ 548. Tab. 325. Agmen iſtius Claſſis claudit Lichen, cui p. 548. „ Tab. 325. fructum tribuit pelviformem quodammodo, polline „ ſeu ſemine tenuiſſimo fetum. Lichenes vero vocat, qui *Ra-* *jo* Muſco-fungi dicuntur , ii præſertim qui cruſtacei ſunt ſeu licheniformes, & qui ſucculentiores ſeu herbacei etiam magis apparent, ubi tamen ſteriles vulgo habitos tantum recenſet , Lichenes fertiles & veros, qui tales proprie dici merentur, omittit, neque ullam eorum neque hic neque alibi in Inſtitutionibus mentionem facit. Nos nullos in Muſco-fungorum peltis globulos ſeminales adhuc obſervavimus, quamvis eas etiam nondum ſatis curioſe examinaverimus, cavæ enim ſeu vacuæ ſunt , & ſi quo pulvere ſeminali donantur, nudum eum & diſperſum proferre videntur, ut de ejus præſentia ſuſpicionem capere minus in proclivi ſit. Ceterum ſive tali donentur ſive tali careant, Capillaribus tamen, a quibus toto habitu immenſum diſtant, accenſeri non poterant; Muſci enim ſunt & ab iis ſeparari nullo modo poſſunt. Ipſe porro Muſcos male omnino ad XVII. Claſſem transfert, ubi flores & fructus vulgo deſiderari notam fecerat, & ubi præter Muſcos, Fungos etiam, Fucos & Algas, Marinasque

reliquas, quarum ſemina ignorantur, tradit, cum ſecundum ſua principia Capillaribus accenſere, licet nec id bene, ab omnibus enim plantis foliis formæ ſingularis differre p. 550. aſſerit, debuerit, ſimili enim ac Capillarium vaſcula pulvere fœta ſunt Muſcorum capitula. Quod nec ipſi omnino ignotum eſſe potuit, dum „ p. 556. obſervat Muſci fructus alios calyptra obvolvi, alios „ nudos eſſe: ſub calyptra cucullata latere fructum plerumque „ quadrangularem, pulviſculo fœtum tenuiſſimo, in alis vero fo„ liorum clavæ adeſſe capſulas reniformes, quæ ſponte rumpan„ tur ſeminaque fundant tenuiſſima, quæ omnia microſcopio „ aucta & Tab. 326. elegantter depicta ob oculos ponit. Licet vero id ipſi conſtitit, Muſcos tamen plerumque fructu carere ipſum exiſtimaſſe conſtare poteſt tum ex verbis, quæ ex p. 55. ſupra recenſuimus, ſemina ſcilicet fruſtra explorari in pluribus Muſci & Fungi ſpeciebus, tum ex Muſcorum ad hanc Claſſem relatione, tum quod ſemina Muſcorum clavatorum, Lycopodii videlicet, ubi ea valde obvia atque Officinis etiam nota ſunt, & Adianti aurei tantum recenſeat, aſſeratque præterea capitula plerumque quadrangularia eſſe, quod de hoc, Adianto nimirum aureo, tantum obtinere poteſt, quantum nobis quidem notum eſt. Utcunque vero Generum horum diſpoſitio apud ipſum ſe habeat, de materiæ iſtius pulverulentæ uſu tam frigide ſentire non oportebat. Potuit ignoſci veteribus Botanicis, quod Dioſcoridem ſequuti iſtiusmodi herbis & florem & ſemen denegarunt, *Dalechampius* tamen, quando in Dryopteridis deſcriptione eos nugari exiſtimat, qui in Filicis averſa foliorum parte quaſi vermiculos, dum flavi adhuc hærent, florem eſſe, dum nigricantes decidunt, fructum, & ſemen jam ſuo tempore, licet ſimultaneo uſu non adeo bene, putabant, excuſari nequit: potuit & ignoſci recentioribus Botanicis, quibus apicum materia minus cognita erat, quod Capillarium pulverem ſemen exiſtimarint, *Turnefortius*, a quo materia, quam ſtaminum apices fundunt, accurate notata & depicta fuit, laudem non meretur, quod ex ſimilitudine figuræ utriusque generis corpuſcu-

puſculorum uſum nullum producere valuerit. Sed ipſe forte cenſura nulla dignus eſt, cum apicum materiæ fecundantem vim non adſcribat, quin potius ei denegare videatur. *Malpighii* e-
„ nim, quem tacet, ſententiam amplectitur, quando p. 68. exi-
„ ſtimat, flores eſſe veluti viſcera quædam, in quibus alimentum
„ primum multiplici circuitu pro tenellis feminibus præparetur,
„ cujus, quoniam id ſincerum eſſe debeat, nec primum ejus im-
„ petum ferre queant embryones, impuritates a ſtaminibus in
„ apices velut in cloacas deponantur. Pag. 69. tubam piſtilli in
„ Corona Imperiali cavam advertit, uſus ignarus. In Cucurbi-
„ taceis, ubi flores in eadem planta fructibus partim adhæreant,
„ partim ſeparentur, ſi conjungantur cum fructu, alimentum illi
„ ſine intermiſſione ſubminiſtrare, ſi disjungantur, renum, ſi ita di-
„ cere liceat, munus præſtare, alimentum a partibus alienis pur-
„ gando: in plantis autem, quarum aliæ ſpecies flores, aliæ
„ fructus producant, rem forte aliter ſe habere. An, quærit, cor-
„ puſcula, quæ fluunt ex floribus in teneros fructus procul na-
„ ſcentes feruntur, ut veluti e corpore ad proprium incremen-
„ tum excitentur? Quemadmodum vulgo de Palmis mare &
„ femina poſt *Theophraſtum*, *Pr. Alpinum* & ceteros affirmatur.
„ Se cum in Hiſpania Bætica, Palmarum feraci, a prudentioribus
„ viris hac de re ſciſcitaretur, certum nihil accipere potuiſſe, ſed
„ virum præclarum *Hadgi Muſtapham* Agam Legatum Tripo-
„ litanum ad *Regem Chriſtianiſſimum*, ſibi non ita pridem (Ca-
„ lend. Junii 1697.) Pariſiis declaraſſe, ramulum floris Palmæ
„ maris, quam Dokkyar anokhal vocant, in ſpatham palmæ fe-
„ minæ, quæ Nakhla appellatur & fructus profert, inſeri, quo
„ tempore ſpatha hiare ſolet; florem enim explicatum pulve-
„ rem fundere, ſine cujus affectione dactyli acerbi forent & in-
„ ſuaves, immo & oſſiculis carere (hæc namque ſæpe ita areſce-
„ re, ut deeſſe videantur) camelis tantum & jumentis exhibendi.
„ De Lupulo ſe certius locuturum: etenim in Horto Regio Pa-
„ riſienſi luxuriare quotannis fructibus onuſtum, qui vero flo-
„ bus gaudeat non occurrere, niſi in Inſulis Sequanæ & Matro-

„ næ longe distantibus, in Horto Regio tamen semina proferre.
„ An igitur, quærit, uterque sexus requiritur ad fructus perfectio-
„ nem? an altera species hujuscemodi plantarum alterius nequa-
„ quam indiget? an flores emunctorii vices gerunt in specie-
„ bus, in quibus insunt? capillamenta vero vel foliola, quæ
„ tenero fructui adhærent, floris locum tenent in aliis, quæ flo-
„ ribus vulgo dictis destituuntur. (De Nuce, Corylo & ceteris id genus plantis intelligendus auctor, ubi floris partes dispergi, & stamina nucamentis, petala tenero fructui innasci statuit; at hæc stili sunt.) „ Pag. 70. Si, pergit, apices desint, capillamenta
„ dicuntur, ut in Centaurio majore, Dente leonis, Astere, Petasi-
„ tide &c. quorum idem officium, superfluis aut noxiis alimenti
„ partibus per eorum meatus abeuntibus, & sæpissime interiori
„ vaginæ faciei glutinis aut pulveris instar adhærentibus. Api-
„ ces in duo loculamenta bivalvia aperiuntur, & eorum valvæ
„ a congestis excrementis deducuntur. Pistillum varium: in plan-
„ tis, quarum fructus flori subest, vasis excretorii munere fungi-
„ tur: in omnibus suprema ejus pars seu fistulosa seu solida cras-
„ sescit, meatibus, vesicis, aut tubis admodum exiguis obsita, per
„ quos alimenti pars ineptior vacuatur. Tab. 2. 3. 4. & 5. fari-
„ nam apicum & tubulorum in floribus compositis, & Tab. 353.
„ & 355. ex Abietis & Pini conis depingit, atque p. 585. Abietis
„ apices in duo loculamenta dividi, & transversa dehiscere, pul-
„ veremque fundere minutissimum, sæpe lunatum microscopii
„ ope apparentem. Mirari subit tanti nominis Botanicum de usu florum, flosculorum, eorumque partium, staminibus nempe, apicibus atque stilis tam frigide, si non & inepte, sensisse, neque, quem tanquam præclarum virum adducit, Barbaro videlicet, sed experientia gravi magis auscultasse. Patet enim nec antiquam observationem experimento contrario affici, quin potius confirmari, nec quod producit purgatorium munus probabili ulla ratione, ne dum experientia firmum reddi, quamvis ipse dubius sibi non adeo constare videatur. 'Quis enim con-

cepe-

ceperit delicatiſſimæ texturæ flores excrementis, quæ egeri debeant, adeo abundare? quasnam ſordes ſtamina evacuabunt in Apetalis? quas ſtamina numeroſa in floribus ſtaminoſis ſeu ſtaminibus abundantibus & plerisque herbis Gymnopolyſpermis fæces eliminabunt, quæ ipſis a paucis numero nec magnis petalis ſuppeditari ſufficienter nequeunt? an ſordes exterminant Coryli, Nucis &c. capillamenta, quæ ſtili ſunt & farinalem auram a nucamentis mutuo accipiunt? quis in ſtilis florum, quos ipſe piſtilla vocat, aliquid niſi globuloſam illam farinam, quam manifeſto apices emittunt adhærentem, aut quis aliud præterea quid in illis vidit? quodnam & quale ratiocinium in Cucurbitaceis? an quas & cui bono, tanquam rences, ſeroſitates ſecernent, aut quale alimentum purgabunt horum florum ſteriles? Ita enim ipſe curioſe alias p. 104. Cucumis, Melonis, Peponis & Cucurbitæ flores alios ſteriles nulli embryoni adhærentes, alios fecundos embryoni inſidentes obſervavit, verum autem florem eorumque partium uſum excrementis ſuis inſigniter fœdavit potius quam illuſtravit.

Nos ſane exiſtimaremus potius petalorum uſum præcipuum eſſe, ut delibatæ ſubſtantiæ materiam præparent & ſtaminibus eorumque apicibus, quod cum prope petala aut ex his ipſis etiam oriantur, facile omnino fieri poteſt, pro fecundandis ſeminibus communicent, ni Apetalæ obſtarent herbæ, licet teneriores in his calices ſuccenturiati eſſe poſſent, ni nobis porro conſtaret Sparganii & Platani forte etiam flores ſeu ſtamina prorſus nuda eſſe, (ubi ex *Turnefortio* aut ejus aſſeclis quæro, cujus ea excrementa per numeroſa ſtamina & apices emittant, & ubinam præparetur primum, ceu lac quoddam, pro tenellis ſeminibus nutrimentum?) & in Malvaceo genere apices e piſtillo egredi, nec cum petalis communicationem habere; quamvis accuratius examinanti, poſtquam hæc ſcripta eſſent, conſtiterit, ſtamina e membrana tantum piſtillum multifidum involvente oriri, quæ ab eo ſeparata ipſis petalis cohærere & in ea produci obſervabatur. Prudentiores magisque in re Herbaria verſa-

versati judicent, an hae aliæque forte dubitationes & exceptiones tantæ esse possint, ad hunc petalis usum denegandum. Nos quidem Sparganium solum sollicitos adhuc tenet. Lupulum sæpius procul mare fructibus onustum vidimus, an fecundis? dubitamus. Si Lupulus aliæque sexu distinctæ plantæ ab omni maris consortio vere remotæ nihilominus fertilia ferant semina, palmam dabimus; nunc experimentum nauci est. Demum dubio, quod moveri posset p. 69. ad finem respondet: Quærunt, „inquit, alii, qui fieri possit, ut flores, qui fructui nascenti immi„nent, Rosæ v. g. Valerianæ, Pyri, Coroneæ alimentum ipsi præ„beant, cum ab hoc potius ad illos fluat. Respondendum exi„stimat: alimentum a pediculo per fructus cutim, sive illa cras„sior sive tenuior sit, ad flores pervenire, ab his præparari, in„deque circuitu quodam ad fructus per vasa deferentia redire, „& seminibus, quæ centrum ejus occupant, distribui. Si quidem vasa illa deferentia demonstrata essent, res salva foret. Ego vero scire aveo, quodnam alimentum præparare possint ii flores, qui post fructus formationem demum comparent, ceu id in Tithymalis & Lysimachiarum siliquosarum genere contingere solet, & quodnam ii flosculi aut ea petala ad tenellum fructum alendum conficiant, quæ a flore longe remota sunt. Tales vero sunt ex nostra observatione Gnaphalium montanum flore rotundiore *C. Bauh.* & Gnaphalium montanum longiore & folio & flore *Ejusd.* quorum illud floriferum, hoc vero stilodes tantum & seminiferum est, adeoque tota planta ab invicem removentur, ut hæ herbæ non amplius specie, sed sexu tantum distinguendæ sint, & spina cervina etiam, ubi qui frutices baccas laturi sunt, calicem, non vero petala, nec etiam stamina, obtinent & his conclusum baccæ rudimentum, cui stilus insidet quadrifidus, at floriferi tantum præter calicem (*Tournefortius* calicem pro flore habuit, unde ipse florem Monopetalum Infundibuliformem p. 593. Instit. pronuntiat) qui ubique in quatuor segmenta expansus est, stamina etiam habent, quibus apices inhærent herbacei cum petalis (quæ hic tantum adsunt, licet ana-

logum

logum quid, ſed non petalodes ad baccas occurrat) coloris, nullus vero ſtilus nec fructus principium conſpicitur, ex ipſius vero *Turnefortii* animadverſione ejusmodi ſunt Xanthium, Ambroſia & Gnaphalodes. Bryoniæ etiam flores, tribuit idem *Turnefortius* Inſt. p.660. geminos, alios ſcilicet ſteriles, ex quatuor petalis amplioribus & anguſtioribus compoſitos, alios vero Roſaceos, ex pluribus (5. pingit T.442.) petalis in orbem poſitis conſtantes, qui deinde in fructum abeant trigonum &c. Bryoniæ flores *Raji* obſervatione ſexu diſtinguuntur, & *Turnefortio* porro, quod jam ſupra diximus, advertente Cucumis, Cucurbita, Melo atque Pepo flores alios ſteriles nulli embryoni adhærentes, alios fecundos embryoni inſidentes habent, quamvis non flores aut petala, ſed ſtamina tantum a piſtillo & fructu in his removeantur. Quasnam vero comminiſci attinet ferositates, quæ ab horum floribus ſterilibus ſecerni debeant? Sed forte ii magis fertiles dicendi fuerint, cum nobiliorem, maſculinum nempe uſum obtineant, auram videlicet genitalem & fecundantem ſtaminibus præparando, nec dubius is reddi poſſe videtur a florum ſeminibus atque piſtillo in his adhærentium præſentia, cum hi minores longe & minus ſpecioſi ſint in Bryonia; in Cucurbitaceis vero, ubi nulla fere inter utrosque, nec in colore nec in magnitudine, differentia obſervatur, ad auram ſeminalem capiendam & ſeminibus communicandam ii inſervire queant, qui fructui innaſcuntur & ſtaminibus carent. Quod enim apicum materia omnino ad plantarum propagationem neceſſaria ſit, probare poteſt ipſius ubivis apud perfectiores & floriferas plantas præſentia, cum in his non paucæ occurrant, quæ perianthia non habent, multæ vero floribus & petalis deſtitutæ, ex quorum numero Sparganium calice ſimul caret. Nec apparatum hunc ſtaminoſum ad ornatum tantum & elegantiam, aut utilitatem etiam, dum puriſſimum hoc vegetabile ſulphur apes colligunt & femoribus appenſum domum ferunt, & alia etiam inſecta multa inde alimentum petunt, aut alibi medico maxime inſervit uſui, factum eſſe exiſtimandum eſt, cum jam pridem longe nobilior farinoſæ,

rinosæ istius materiæ usus innotuerit, spermaticus videlicet & genitalis, seu talis, qui ad seminum augmentum & fecunditatem saltem omnino faciat aut requiratur. Equidem non id ignotum fuit Veteribus, dum *Theophrastum* aliosque forte, quorum scripta ad nos non pervenerunt, sequutus *Plinius* L. XIII. C. IV. diligentissimos naturæ observasse refert, arboribus herbisque omnibus utrumque sexum esse, quod in Palmis præcipue ipsis clare constitit, ut sine maribus feminæ non gignant, & his (maribus) excisis ipsæ viduæ sterilescant. Quod post singularem virum *M. Guilandinum* (vid. *Joh. Bauh.* Hist. Pl. T. I. L. III. C. CLIX.) *Pr. Alpinus* postea, similiter ut prior αὐτόπτης, Libro de Plantis Ægypti curiosius animadvertit, ubi narrat, Ægyptios huic rei singularem operam impendere, quando maris florem atque pulverem supra feminarum ramos atque cor spargant, talique copula ipsas fecundas reddant; licet innumeræ Arabiæ desertæ Palmæ artificiosa isthac venere non indigeant, cum afflatu & ventorum beneficio feminæ marium pulverem genitalem recipere queant. Quibus insignem lucem fidemque affert doctissimus & solertissimus peregrinator D. *Engelb. Kæmpferus* in Observationum exoticarum opere, quod Amœnitatum Exoticarum titulo nuper publici juris fecit. Postquam enim pag. 673. ex semine Palmam utriusque sexus gigni, ex radicibus vero propullulantem sobolem matris aut patris sexum retinere, atque vel dactyliferam vel floriferam manere curiose observasset, p. 696. spadices utriusque sexus pro obsoniis & excitanda libidine a dactylophagis assumi, pollinem tamen maris, drachmæ pondere assumtum, majorem quam embryonem ad ciendam libidinem efficaciam præstare notabiliter advertit. Relat. 6. Fasc. 4. p. 706. & seqq. docet: vim istam, quam marium flores in feminas flore destitutas fundat, rem esse popularis notitiæ, ita ut Turca Basrensi ad Tigridis ostium urbi inhians consilio Principis, Palmas masculas delendi, repressus fuerit, sed consilio, quod & ipsis incolis calamitosum foret, non executo, revocatum fuisse, & excussum Dominum pœnas negligentiæ dedisse; siquidem ex messe dactylifera populi

illi

illi ſuſtentare vitam non minus debeant, quam noſtra gens ex frugifera, qua irrita declinari fames nullo conſilio poſſit: Itaque ne indeclinabili & non poſſeſſoribus modo, ſed & ipſis provinciis calamitoſo abortu Palmæ feminæ fructuum rudimenta dimittant, Palmicolas ſpathas maſculas flore tumentes, ubi maturitatis ſignadederint, excidere & ſpathis feminis imponere, quem in uſum ſtudioſe colligantur, ut pretio etiam veneant aliisque, quibus maſculæ deficiunt, vendantur: immo, quod mireris, diligenter collectas & aſſervatas non modo ad præſentes thalamos aptos eſſe, ſed in futuros etiam ſequentis anni aſſervari. Fecundandi efficaciam in eo poſitam eſſe, ut rudimenta fructuum ſeminali floſculorum polline, vel ejusdem ſubtiliſſimis & inſenſibilibus particulis perfundantur, & actum inſerendi peculiari phraſi, ambaar daden i. e. implere ſeu conferre plenitudinem, eleganter denotari: in deſertis (in Palmis Silveſtribus) etiam ad majus annonæ augmentum quandoque celebrari, & ſpontaneam ſeu ultroneam fecunditatem etiam fieri auræ ventique beneficio, unde maribus proximæ feminæ negligantur, nec copula iis ſuccurratur: Unicam phœnicem florentem, ſi varius faveat flatus, ut ſeminale pollen juſte circumferatur, integrum fecundare poſſe nemus; ſpadices enim floriferos p. 698. floribus admodum abundare, ita ut in ſingulis eorum numerus ad duodecim millia accedere videatur, cum feminarum ſpadices minore multo granorum aut fructuum tenellorum numero ſtipentur. Cum vero p. 709. dactylorum proventus res ſit magni momenti, in tantæ expectationis negotio fecunditatem ab aura, ſi adverſi venti ſpirent, expectare rem eſſe periculoſæ aleæ, malleque longa experientia edoctos palmicolas fructuum rudimentis non deeſſe, ſed immediata inſertione, conjugali quaſi nexu, ſpem felicis annonæ promovere: exiſtimari feturas alius generis arborum ſoſpitari ſpadicibus palmarum maſcularum, ideoque malis citreis & aurantiis a multis inſeri, incerto tamen eventu; ſed de palmeo fructu rem extra omne dubium eſſe. Noſtro vero tempore, (ubi jure ſperni debent quorundam hoc in ſtudiorum genere

minus versatorum de sexu plantarum dubitationes & controversiæ levidenses: *Helmontii* in Pharm. & Disp. mod. *Jo. Sperlingii* Inst. Phys. L. VII, C. III. *H. Meibomii* Coroll. XVII. ad Disp. de Incubatione in fanis Deorum &c. atque *Chr. Langii* in Misc. Cur. Med. n. XXVII.) *Neh. Grevv*, qui primus globulos apicum pulveris vidit & descripsit, usumque accuratissime definivit; dein *Morlandus*, Celeberrimus *Waldschmidius* & Tu, Excellentissime & Amplissime *Camerari*! id clarius asseruistis, atque ejus veritas ulterius a Te, Vir Celeberrime, experimento peculiari demonstrata est, quando in Ricino & Mayz, quæ plantæ præ aliis huic operi commodæ sunt, recisis staminibus semina nulla sequuta fuisse comperisti. Et quamvis Tibi postea experimenta quædam, quæ dubium aliquem reddere queant, nata fuerint, dum in Mayz semina, minori licet numero, in Cannabe vero satis copiosa nequicquam excisis staminibus succedere, an tamen semina istæc sationi & propagationi idonea fuerint, dubitari multum potest, atque tum quidem si istiusmodi semina irrita & sterilia satio comprobarit, non opus erit nobis, vel a ventis, quod tamen, si aliæ hujus generis herbæ florentes non ita longo intervallo remotæ sint, facile contingere potest, allatam auram genitalem, vel quandam quasi seminis confusionem accusare, dum aliarum vicinarum, diversi licet generis, florentium herbarum præsentiam in subsidium adducere vellemus. Neque enim, quantum ego quidem capio, spirituosæ hujus materiæ necessitas id sibi vult, quasi sine hac fructus produci non possint: in Tithymali enim & Lysimachiæ siliquosæ aliorumque forte genere fructus ante flores formati conspiciuntur, sed ea tantum ad seminum perfectionem & fecunditatem requiritur. Nam & in nobiliore multo Animalium genere aves bene multæ sine omni maris insessu ova pariunt, sed subventanea & infecunda, & in piscium genere ova edita mas insequens vitali lacte aspergit & in motum concitat. Quibus aliud videtur, considerent absonum admodum videri, Naturam ostentationis aut ornatus tantum gratia, qui tamen in his exiguus apparet, tanta moliri, dum non solum omnibus floriferis

riferis plantis, quo & capillares & Muſcos nunc referimus, de ſtaminibus, aut horum loco, ut in floribus Compoſitis, folliculo aliquo farinam ſpermaticam continente, adeo ſollicite proſpexit, ſed in multis etiam, Graminibus videlicet & Cerealibus aliisque, Lapathis nimirum & Acetoſis, ſingulari plane modo ſtilos formavit, qui ſæpe multiplices ſunt, & ad melius ſuſcipiendam & retinendam farinam illam volatilem eleganti & mirabili modo in cirros & cincinnos fimbriasque criſpantur & diviſi ſunt. Nam quod Gramina concernit, latent horum ſtili in glumis, apices vero extus locantur & ex ſtaminibus propendent, alibi etiam, ut in Cyperoide, longius removentur, ut verendum fuiſſet, ne genitura aut non aut parcius per ſtilos, ceu Tubulos utriculorum, ut *Malpighius* ſtilos omnes vocat, ad ſeminum & granorum rudimenta derivari potuiſſet, niſi ſingulari hac formatione proſpectum fuiſſet, quod in aliis, quorum farina propius locatur, & expeditius accedere poteſt, non neceſſum erat; Quamvis in iis, quorum piſtilla aut ſtili ſtaminibus non ſubjiciuntur, ſed longitudine pares ſunt, ut ſpermatica materia minus prompte in eos delabi potuiſſe videatur, ad materiam hanc recipiendam & retinendam criſta quædam villoſa obſervata fuerit a *Morlando* in Act. Phil. Angl. No. 287. Anno 1703. Quæ me, poſt rationes a laudatis viris adductas, potiſſimum movent, ut in hac ſententia, nec inepta nec inconcinna, ſed potius curioſa & ad Vegetabilium propagandi rationem multum lucis afferente, perſiſtam. Sunt obſervationes aliquot circa plantas quasdam enatæ, quarum florum ſtili excuſſam ab apicibus farinam avide recipiunt & adhærentem oſtentant; ex quarum numero ſunt Nicotiana, Campanula, Rapunculus, Piſum, ſed præcipue Ruta, cujus ſtamina, quæ octona ſunt, alternatim ſupra vaſculum erigi huicque imponi, donec farinam omnem ſuper hoc emiſerint, poſtea quaſi munere ſuo functa iterum recedere & exareſcere jucundo ſpectaculo obſervavi, & quilibet obſervare poterit, cui volupe fuerit florentem inſpicere Rutam. Sic & Ketmiæ illius ſpeciei, Alcea veſicaria *C. Bauhino* dictæ ſtili, qui

per extremitates villis purpureis crassiores fiunt, staminibus & apicibus immerguntur, quo farina crocea imprægnantur & elegantem de se speciem præbent. Nec minus Acriviolæ seu Cardamindi stamina, quæ primum incurvata propendent, postea Rutæ instar supra stilum eriguntur farinamque spermaticam, minus forsan, ut in prioribus etiam, subtilem & spirituosam, immediate ipsi committunt. Plura observabunt alii. Præterea flores pleni hanc sententiam multum confirmant, sunt enim infecundi seu steriles, quoniam apicibus destituuntur; & licet Caryophylli seminibus propagari queant, non alii tamen id præstant, quam qui apices tulerunt, quorum flores semper rari magis & non ita pleni, quam ii, qui apicibus carent, & non fecundi seu pleniores sunt. Ac tandem, quod Apetalas concernit herbas, cui usui fuisset ex eodem semine nasci plantas floriferas aut seminiferas tantum? cui bono numerosi apices & farinæ fecundantis copia non in his modo, sed Gymnopolyspermis etiam, ubi numerosiora & majora semina manifesto eam necessariam pronunciant? Cur in Apetalis eandem aliquæ cum impetu spargunt & elastica staminum vi projiciunt, eæ præsertim, quæ flores a fructu remotos ferunt, ex quibus Urticæ nunc memoriæ occurrunt? An non id singulari Naturæ instituto, quod nimirum materia spermatica ad semina fecundanda eo certius appellat, fieri videtur? Enimvero concinna hæc & valde probabilis sententia non levem a floribus compositis difficultatem patitur; horum enim aut flosculi, aut semiflosculi, qui farinam fecundantem non in staminibus & apicibus gerunt, sed peculiari membranacea vagina, quinque crusculis innexa concludam habent, non locis a seminibus, ut in aliis, distinctis, sed iisdem, immo super ipsa (quod & in iis præterea floribus simplicibus, qui supra fructus hærent, observatur) & ex ipsis seminibus oriuntur, ut materiam, quam a seminibus acceperunt, frustra omnino his redditura videantur. Ex qua difficultate ut nos brevibus expediamus, *Tournefortii*, qua alimentarium florum usum firmaret, supra allatam rationem hic, ac forsan felicius quam ipse, amplectimur, & per semi-

num

cutem,

cutem & membranam, florum ſtaminumque materiam, quæ indigent, allabi ſtatuimus; quod porro in floribus ſimplicibus per fructuum integumenta & calicum radices aut productiones craſſiores facilius fieri poteſt.

E noſtra & prioris Diſſertationis re fuit viſum, hæc ad Te, Vir Celeberrime! qui tam præclare in eodem argumento quondam verſatus fuiſti, perſcribere, tum ne fundamento inſtabili ædificaſſe videremur, tum ut appareat, quantopere Turnefortiana a noſtra aliena ſit ſententia, non in Capillarium modo ſemine, ſed florum etiam ejusque partium, ſtaminum præcipue & apicum uſu determinando, & quam parum is ſententiam vulgatam de ſexu plantarum (quidam enim ex Recenſoribus Lipſienſibus, an in Actis Erudit. vel Atrio librario? jam non recordor, exiſtimo tamen in poſteriore, tradit eam falſi convictam a *Turnefortio*, quod nos ante hujus auctoris lectionem plurimum dubios & ſuſpenſos tenuit hactenus) attigerit, nedum confecerit.

Supereſt, ut figuræ in annexis tabulis exhibitæ brevibus illuſtrentur. Primo loco ſiſtitur ſperma Graminis pratenſis tomentoſi, panicula ſparſa *C. B.* cujus globuli non exacte rotundi, ſed aliquantillum anguloſi & ex flavo albicantes ſunt; in quo Gramine curioſum fuit obſervare, ſtamina a ſtilis tota planta removeri, ita tamen ut utrisque ſemina ſuccedant, quod accurate notatis floriferis ſeu ſtaminiferis & ſtiliferis plantis mihi innotuit. Paniculæ etiam utriusque lanugine, quæ menſtruo fere ſpatio poſtquam floruit, ad ſeminum maxime maturitatem apparet, ornantur. Exiſtimabam ſtiliferas forte ſemina tantum prolifera, ſtaminiferas caſſa & inania proferre, verum utrisque examinatis materiam ubique ſeminalem adeſſe & augeri conſtitit, an vero omnia fecunda ſint? dubitari poteſt. Satione veritatem explorare conſultum duximus, verum poſt menſtruum & amplius temporis ſpatium, poſtquam ea terræ udæ mandata & continuo irrigata eſſent, nihil nobis ex neutro horum enatum eſt, nec id præter expectationem noſtram, cum peculiare

non tantum paluſtre, ſed & ſimul ſpongioſum ſolum planta hæc cum aliis eadem terra gaudentibus, Rorella, Menianthe aliisque quæ nullatenus, quantum nobis conſtat, hortis implantari poſſunt, depoſcat. Figura 2. Tabulæ I. pulvis exhibetur Graminis hirſuti capitulis Pſyllii *C. B.* cujus globuli ejusdem magnitudinis & coloris ac prioris, ſed rotundi magis ſunt. Fig. 3. Violæ martiæ inodoræ ſilveſtris *C. B.* eſt, cujus corpuſcula ovalia candida ſunt: Fig. 4. Naſturtii pratenſis magno flore *C. B.* ejusdem magnitudinis & figuræ ſunt, ſed coloris flavi: ſimilia ſunt Imperatoriæ, ſed rurſus candida. F. 5. Populaginis *Tab.* globuli flavicant: F. 6. Ranunculi pratenſis erecti dulcis *C. B.* flavi etiam ſunt: ejusdem magnitudinis ſunt Borraginis, ſed egregiæ pelluciditatis & candoris: F. 7. Dentis leonis latiore folio *C. B.* globuli flavi item ſunt & ut prioris exacte rotundi: F. 8. Bellidis minoris ſilveſtris *C. B.* non minus flavi & rotundi, quibus ſimiles ſunt Hiſpidulæ globuli, & Rapunculi eſculenti, ſed candidi: F. 9. Salicis vulgaris arboreſcentis albæ *C. B.* globuli flavi ſunt. F. 10. Ornithogali exotici magno flore, minore innato *C. B.* farina penitus candet & columellarum ſpeciem præbet, quibus ſimilia ſunt Ornithogali vulgaris corpuſcula. In Diſſertatione priore Lilii albi vulgaris farinam rotundam pinximus, ex apicibus ſiccis, prout in Officinis aſſervantur, at nunc columellas etiam, plane ut prioris ſed flavas eſſe, in recentibus apicibus deprehendimus. F. 11. Tulipa minor lutea Gallica *C. B.* ſimiles habet flavi coloris columellas, quibus conveniunt Trifolii paludoſi ſeu Menianthis corpuſcula, ſed lutei coloris, & Iridis ſilveſtris luteæ, lutei etiam, atque Martagonis ſilveſtris, quæ crocei, ut & Martagonis miniati, quæ rutili & ignei coloris per microſcopium apparent. F. 12. Tulipa præcox rubra *C. B.* corpuſcula rotunda obtinet, violacei coloris; qua etiam magnitudine conſpiciuntur, ſed magis anguloſa & coloris ex flavo albicantis, Tulipæ præcocis luteæ *C. B.* & Tulipæ præcocis luteæ variæ *J. B.* pulviſculi. F. 13. Quercus farina non exacte rotunda, flavo prædita colore eſt. Cum vero hujus materiæ ſufficientem

cientem quantitatem collegiſſem, eam ad candelæ flammam Lycopodii inſtar ſatis flagrare deprehendi, quod ob hujusmodi pulverum defectum in priore Diſſertatione me experiri tum non potuiſſe monui. F. 14. Ob oculos ponitur genitura, quam fundit Equiſetum arvenſe longioribus ſetis *C. B.* Capitula florida Equiſetorum conica plerumque ſunt & ex clavis numeroſis in coronam diſpoſitis conſtant, quibus circumcirca cohærent ſex ſeptemve utriculi, farina viridi repleti, quæ excuſſa ſuper manum in vellera & lanas quaſi coit & intumeſcit: F. a. clavum monſtrat, quem *Turnefortius* Inſt. p. 532. T. 307. ſtamen vocat, b. & d. utriculos de latere & infra, ubi ſe aperiunt, exhibet, c. vero pileum membranaceum denotat; *Turnefortius* omnes haſce partes apicem fungiformem denominare videtur, & Inſtit. p. 72. Equiſeto ſimiliter ac Sparganio flores nudos tribuit, cui, quod Equiſetum concernit, aſſentiri non poſſumus. Globuli hujus Equiſeti ex luteo vireſcunt & innumeris candidis filamentis cohærent, nonnulli tamen ſeparatim aliquando, ut abſcedere queant, conſpiciuntur: F. 15. Equiſeti paluſtris longioribus ſetis *C. B.* globuli etiam exhibentur, qui virent & filamentis magis criſpis cohærent. Poſtquam hanc materiam aliquantum exſiccaſſem, cum ſtrepitu eam ad candelæ flammam ardere conſpexi. Fructus, ait *Turnefortius* Inſt. p. 532. Equiſeti ſpeciebus innaſcuntur, quæ floribus carent: grana nempe auctore *Cæſalpino* L. XVI. C. XV. nigra, aſpera & farcta; & Equiſetum ſilvaticum tenuiſſimis ſetis *C. B.* referente *Rajo* in Meth. Em. ex obſervatione *Car. Preſton* ſemina profert rotunda, alba, Muſci cujusdam ſeminum æmula, pediculo ſemunciali tenuiſſimo & plane capillaceo, e foliorum geniculis exeunte, ſuſtentata, de quibus ipſe dubitat *Rajus*, & cum *Turnefortio* ſolenne ſit fructus juxta cum floribus depingere, hos vero omiſerit in iconibus ſuis, magis ex *Cæſalpini* quam ſua mente & obſervatione loquutus videtur. Nemo ſane ex peritioribus & induſtriis reliquis Botanicis de ſeminibus Equiſetorum quicquam memoriæ proditum reliquit. Suſpicati ſumus in priore Diſſertatione ſimilem

Equi-

Equiſeta cum Capillaribus herbis propagandi rationem obtinere, & conſiderandum hic proponimus, an non pro eo fine ſingulari hoc genituræ iſtius mechanismo Natura utatur, ut nimirum capillamentis illis globuli genitales irretiti & colligati minus in auras evolent, ſed aquas, quibus Equiſeta gaudent, eo promptius ſubire & eorum radices inque his abſconditas forte plantas juvenes, ad ſequentis anni regerminationem diſponere, & idoneas reddere debeant. Nos ſane poſtquam hæc cogitavimus, Equiſeti caules ſubter aquas pervagati ſumus, verum in ipſorum cavitatibus nil niſi vacuum & inanitates reperimus, at poſtquam eos a limo caute mundaſſemus, in Equiſeto paluſtri longioribus ſetis *C. B.* gemmam conicam, tanquam plantam juvenem ſequenti anno proferendam, facile conſpeximus, ceu eam in Tabula IX. F. 1. depictam damus: Litera a. gemma hæc, prout Julii initio apparet, b. vero ut Auguſti fine, cum jam caules arefcere inciperent, nobis conſpecta fuit, exhibetur. Alia certe ſemina ſi Equiſeta obtinerent, comparere profecto non longo tempore poſt flores deberent. At nihil tale hactenus obſervatum, ſaltem non indubie deſcriptum, minus depictum a quoquam eſt. Equiſetum arvenſe longioribus ſetis *C. B.* gemmam annotinam non habere videtur, profert enim contra aliorum normam eodem anno julum floridum nudum ab ſetaceo & ramoſo diſtinctum, ex eadem tamen, ut nos opinamur planta, unde poſt aliquot ſeptimanas gemma ejusdem anni oritur, & Equiſetum ſetaceum evadit, quod vere hujus anni ipſi etiam obſervavimus, ſed non ſatis eo quidem tempore intelleximus. Neque ex perfectioribus adhuc plantis deſunt, quæ hanc per gemmas bulbosque quaſi propagandi rationem aſpernantur; notum enim eſt, Biſtortæ & Dentariæ quasdam, Allii vero, ſilveſtris maxime, plerasque ſpecies hujus propagandi modi avidiſſimas eſſe. F. 16. Tab.... comparet farina Graminis cyperoidis, foliis caryophylleis, ſpicis e rarioribus & turnidioribus granis compoſitis *Raj.* cui ſimilis prorſus eſt Graminis cyperoidis paluſtri majoris ſpica compacta *C. B.* quæ ſimiliter ut Quercus farina flagrant:

F. 17.

Tab. X. Append. pag. 82.

Fig: 30 Ranunculus. Alsine palustris minima, flosculis albis; fructu Coriandri exiguo Mentz.
Fig: 31 Camerania arvensis, Portulaca exigua Camer: arvensis, C. Bauch.

Fig: 32 Camerania aquatica. Alsine aqualica furrectica J. Bauch. Reliquorum explicatio ex ipsa Dissertatione sci potest.

F. 17. Juniperi globulos, qui albi ſunt & placidius quam Quercus conflagrant, exhibet : Fig. 18. Pœoniæ genitura apparet cujus corpuſcula flava & oblonga ; cui ſimilia ovataque ſunt Tithymali helioſcopii, Rutæ & Veronicæ pratenſis ſpicatæ, ſed ſubalbeſcentia : F. 19. Lapathi unctuoſi ſeu Boni Henrici globuli ex flavo albicant : F. 20. lit. a. ſtamina Orchidis morionis feminæ *C. B.* quæ in ſingulis floribus bina folliculis incluſa jacebant, & farinam peculiaribus, ut nobis videbatur, membranis incluſam obtinebant, deſignat ; farina vero coniformis erat, coloris albidi, quam ſolita reliquis magnitudine, ſtamina vero & apices ſextuplo tantum majora depinximus. Uſi vero ſumus microſcopio ad hæcce deſignanda melioris notæ, quod vigeſies circiter augere conjectabamus. Cynoſorchis latifolia hiante cucullo major *C. B.* ſimiles ſed minus cuſpidatos obtinebat conos : Ophris corpuſcula rurſus rotunda habebat, albida, ejusdem cum 13. magnitudinis. F. 21. Lyſimachiæ Chamænerion dictæ latifoliæ *C. B.* genitura varie & multiformiter anguloſa erat, coloris ex viridi albicantis : F. 22. Polytrichi aurei majoris *C. B.* ex viridi flaveſcit : F. 23. Filicis maris vulgaris genitura exactius depingitur, cujus globuli fuſci erant, vaſcula vero membranacea, pellucida ; cingulum quod per eorum dorſum decurrit, annulum vocat *Turnefortius*, elaſtica vi donatum, cujus contractione veſiculæ disrumpantur. Per microſcopium ſemina iſto annulo quaſi concluſa videntur, nunquam tamen annulum ea emittere obſervavi ; forte neceſſario membrana durior eſt, quo magis veſiculæ membraneæ tenuiores, ideoque debiliores, rumpi queant, quam vim craſſiora & duriora facta ipſius ſeminales globuli ei communicare videri poſſunt. Globuli vero quos fundunt fuſci ſunt, ut diximus, qui capſulis ſuis intermixti ad candelæ flammam luculenter & cum ſtrepitu deflagrant. Prioris Muſci & Polytrichi aurei minimi montani *Mentz.* farinam etiam collegimus & ad candelæ flammam ſimiliter, ſed placidius & ſine ſtrepitu flagrare comperimus. Similes obſervavimus Dryopteridis globulos & vaſcula F. 24. exhibita. Tab.

vero II. F. 2. Filicis maris vulgaris radicis partem, prout Julio, ubi pulverem ſuum folia demittunt, apparet, ob oculos ponimus: a. caules aut foliorum pediculos ejusdem anni, b. vero ſequentis folia convoluta & muſcoſitate obvoluta denotat, quorum ramulus aut folium explicatum lit. c. exprimitur, in quo jam foliorum pinnæ diſtincte obſervari poterant; exanthemata ſeminalia & florida eo quidem tempore nondum comparebant, nec poſtea etiam, & tum oculis nudis, tum microſcopio armatis nec membranulas nec globulos floriferos, quos in priore Diſſertatione meminimus, & obſervaſſe nobis tum videbamur, conſpicere poteramus; nihil enim, poſt accuratius examen, niſi ſpecioſiorem & teneram candidam lanuginem aut muſcoſitatem, quam folia prodeuntia poſtea fuſcam oſtentant, deprehendere potuimus, quæ idcirco memoratorum corpuſculorum ſpecie antea impoſuerat. Alias Filicis maris ſpecies ſimili ratione formari ſuper radices ulterius advertimus, quarum figuras, ne aes fruſtra radatur, omittimus. Id prætermittendum non videtur, folia illa convoluta floreſcentiæ tempore explicatu longe faciliora eſſe quam poſtea, quando genitalem auram hauſerunt, ubi compacta magis comparent, nec citra fragilitatis metum tractari poſſunt. Lit. a. radices ipſas & earum fibras denotat. F. 3. Lit. a. Dryopteridis radicem deſignat; b. pediculus ejusdem anni, c. prioris marcidi ſunt; d. folia ſequentis anni in dentes compacta, quæ Lit. e. magis explicata cernuntur, exhibet, f. vero radicis fibræ ſunt. Ceterum muſcoſitate pauca obvolvuntur folia iſta dentata, nec vero ea admodum indigere videntur; profunde enim ſub ſaxis demerſa deliteſcunt, quorum vallo caloreque, quo donantur, foventur, ut minus aëris frigoriſve externi injurias perſentiſcere queant, quam Filicis vulgaris aliarumque magis expoſitæ radices. F. 25. Polytrichum aureum minimum montanum *Mentz.* exhibemus, & ſurculum etiam Polytrichi aurei majoris *C. B.* ſine pediculo & capitulo, Lit. nempe a. quod nos propagativum nominamus; b. eſt Polytrichum aureum minimum montanum *Mentz.* quod *Merretus* nomi-

nominat Adiantum aureum minimum, *Rajus* vero Adiantum pileolo villoso, minimum, *Tournefortius* autem Muscum capillaceum minorem, calyptra tomentosa vocat; c. denotat idem propagativum, d. & e. vero idem etiam est, prout apparet foliis contractis & non expansis seu humore madefactis. Capitula tenuissimum fundunt pulverem Julii initio, quem in priore Dissertatione depinximus, quo etiam tempore foliola nova ex stellatis extremitatibus surgunt, videnturque corpuscula illa, quæ ibidem memoravimus, serraturam ligni æmulari, non nisi foliorum mox proferendorum rudimenta esse. F. 26. Bryoniæ flores magis quam apud *Tournefortium*, qui utriusque diversitatem post *Rajum* etiam agnovit, perfecte & accurate depicti exhibentur: Lit. nimirum a. steriles seu mares facie antica & postica, b. calix, qui ita adhæret tam in mare quam in femina, ut a floribus separari nequeat, nec ab eo diversus videatur, c. apices cum fimbria farinosa lutea, quæ d. per microscopium aucta comparet flavi coloris, e. feminæ, f. pistillum, g. baccæ. Femina per microscopium petala filamentosa & valde pilosa exhibet, pistillum vero tuberosum & multis valleculis inæquale apparet, nec ullam spermatis masculini aut farinæ istius præsentiam monstrat, cumque mas & femina satis ab invicem non raro distent, argumentari liceat, non ipsa ista corpuscula, sed, quod Grevvius etiam agnovit alias, auram, quam ea spirant, esse id, quod femina imprægnat & fecunda facit. Id porro de Bryonia reticendum non est, quod flores steriles vulgo ita dicti seu imprægnantes tota æstate & ad baccarum usque maturitatem conspiciantur, indicio manifesto istorum præsentiæ necessariæ ad semina imprægnanda & fecunda facienda. Cucumeris asinini stamina, apices & farina similiter formata sunt: Cucumis vulgaris F. 27. corpuscula rotunda, pellucida, candida habet in apicibus aliter non nihil figuratis, quibus conveniunt Cucurbitæ apices & pistilla, globuli vero flavicant & sequentis magnitudinem obtinent. Ubique pistilla tuberosa & valde rugosa sunt. Flores vero steriles, qui stamina tantum, & fertiles, qui pistilla tantum habent

habent, in iisdem plantis, per genicula ab invicem removentur, nec, nisi Bryoniæ, colore & magnitudine differentiam sensibilem ostendunt: pistilla etiam nullam farinam adhærentem habent. F. 28. Malvæ roseæ globuli exhibentur.

Denique cum plantas aliquas in Dissertatione priore descripserimus, sed iconibus non illustraverimus, hic id præstare consultum duximus. Sistitur vero F. 29. Lichen parvus in corticibus arborum humidis repens, foliolis subrotundis squamatim incumbentibus *Raj.* Suppl. ubi a thecam bivalvem, b. florem, c. granum, denotant, & F. 30. Muscus muralis floridus, foliis subrotundis, creberrime imbricatim dispositis, sive Muscus muralis platyphyllos *Mor. H.* & *Raj.* Suppl. F. 31. est Alsines palustris minimæ, floseulis albis, fructu Coriandri exiguo *Mentz.* quam cum portulaca arvensi *C. B.* quæ F. 32. comparet, erronee jungi a *Plukenetio*, monuimus supra. Nostra figura, Mentzeliana in Pugillo exhibita, aliquantum accuratior. Vascula ejus a simplicia sunt, semina b. plura parva, quæ e vasculo horizontaliter rupto dilabuntur; calix c. vascula ambit in quatuor, plerumque vero in quinque angusta segmenta ad basin usque divisus; flores d. (ubi 1. calicem vasculum & florem, qui plerumque clausus, conjuncta, 2. eundem separatum & explicatum exhibet) exiles admodum summo quidem vasculo insident, & ad basin usque in 4. (ad calices etiam quinquefidos) lacinias dividuntur, postea tamen integri rursus fiunt, &, si probe advertas, ceu tubulo aut vagina quadam membranacea vascula involvunt & nunquam decidunt. *Centunculum* herbulam hanc nominari posse existimavimus, atque differentias supra diximus, quæ ex adjuncta Portulacæ arvensis *C. B.* icone ad oculum etiam patent. Quamvis enim in *Plukenetii* Phytographia curiosa Portulaca hæc satis nitide & accurate jam depicta reperiatur, eam tamen, maxime quod in paucorum manibus carior ille liber versetur, hoc loco omittere non debuimus, tum ad prioris, tum ad sequentis differentiam indigitandam. Nominatur planta hæc Fig. 32. exhibita

habita Alsine paluſtris Portulacæ aquaticæ ſimilis a *Rajo* Hiſt. p. 1035. & Synonymæ ejus cenſentur: Alsine aquatica ſurrectior *J. B.* paluſtris ſerpyllifolia *Ger. Em.* Portulaca arvenſis *C. B.* exigua *Camer.* exigua ſive arvenſis Camerario *J. B.* minima flore albo *Mor.* Pr. exigua Camerarii *Park.* Quo permoti unam & eandem plantam utramque hactenus credidimus. Alsine aquatica ſurrectior *J. B.* nobis pridem nota erat, Portulacam arvenſem *C. B.* non niſi ex icone *Plukenetii* noveramus, quæ, cum tandem etiam apud nos provenientem reperiremus, diverſa viſa fuit: conſpeximus eam in agris lentis argillaceis, & in ſilvis etiam ſub arboribus ſolo diverſo, nigro nimirum laxoque & magis fertili. Planta in totum ſimilis erat ei, quæ ex aquis provenit, ſed omnibus partibus præterquam flore & capitulo multo minor, ita ut uncialem longitudinem rarius æquaret aut ſuperaret. Florendi tempore, cum majorem menſtruo fere ſpatio, Aprili nempe & Maji initio, anteverteret, tempusque ejus virendi & florendi paucis diebus circumſcriberetur, quando altera tota æſtate in auctumnum usque flores & ſemina produceret, denſa magis ſerie (arvenſis enim non niſi ſparſim provenit) confertimque enaſceretur, potiſſimum differre videbatur. Neque porro eandem plantam in eodem ſolo terreſtrem atque aquaticam ſimul eſſe, immo ex ipſis aquis provenire, bene capiebamus, omnique demum dubio liberabamur, ubi non procul ab aquatica, ſuo tamen, maturiore nempe tempore, loco udo & rivuloſo minorem & arvenſem etiam reperiebamus. Bene ideo ac conſulto *J. Baubinus* utramque loco diſtincto diverſamque tradit, Portulacam nempe exiguam ſeu arvenſem *Camer.* Hiſt. Pl. T. III. L. XXXV. C. I. p. 678. Alsinen vero ſuam aquaticam ſurrectiorem L. XXXVIII. C. XIX. p. 786. ubi ſatis accuratam ejus, præterquam vaſculorum & florum, quorum partes vix Lynceum dignoturum ſcribit, deſcriptionem tradit, ipſius vero *Camerarii* ſatis etiam, floribus & vaſculis exceptis, (quorum neglectus illis temporibus, ob methodi botanicæ ignorantiam, non adeo mirus, in hiſce puſillis præſertim, viden debet) accuratam deſcri-

ptionem loco modo nominato adducit. Noſtra ſequens eſt: Dodrantalis eſt, major videlicet, & folia ex adverſo bina, pinguia, alſineformia habet, unde externa facie ad Alſinen pertinere videtur, maxime quod ejus etiam ſaporem habeat; ex alterutra foliorum ala pediculi aliquot ſemunciales exeunt, ſuſtinentes flores albos exiguos, Monopetalos, Irregulares, in quinque lacinias inæquales diviſos, quandoque etiam in quatuor, & tunc æquales vero invicem ſunt laciniæ; flores parte anteriore aperti, poſteriore clauſi ſunt; calix bifolius eſt, non tamen e vaſculo, ut in Portulaca, egreditur, ſed hujus baſi cohæret; vaſculum ſeminale turbinatum, trivalve, ſimplex ſeu unicapſulare eſt, & ternis ſeminibus rotundis, pullis repletur. F. 33. accuratius ea, quam a *J. Bauhino* deſignatur; a. flores, qui plerumque clauſi, hic ſeparatos & explicatos, b. vaſcula calicibus ſepta, c. ſemina denotat; d. flores plantæ adhærentes & clauſos deſignat. Secundum methodum *Rivinianam* ad Herbas flore Irregulari Monopetalo pertinet, proxime Lentibulariam locanda. *Tournefort* in Inſtitutionibus prætermiſit, qui ad Claſſem III. ſeu ad Flores Monopetalos Anomalos procul dubio reduxiſſet. Nos *Rajanam* ſectamur methodum, cujus cauſas peculiari brevique Schediasmate, ſi otium fuerit, mox dicemus, & hujus ductu ad Vaſculiferas flore Monopetalo Irregulari donatas referimus, cumque, quod *Rajus* jam recte monuit, qui eam tantiſper Alſines & Portulacæ ſpeciebus ſubjunxit, ſingularis & ſui generis planta ſit, peculiare etiam & proprium merebitur nomen. Ob externam cum Alſinis convenientiam non aptius quam Alſinaſtri nomen hactenus viſum fuit, quod cum nunc a *Turnefortio* plantæ generi calice monophyllo ab Alſine diverſo tributum reperiam, Turbinatam non inepte vocari poſſe putavi, ob fructus nimirum figuram, idque forte aptius, cum Alſinaſtri nomen herbam Alſinis ſimilem declaret, hæc vero foliis ei ſatis quidem accedat, & eorum etiam odorem & conſiſtentiam habeat, partibus tamen præcipuis, flore nempe & fructu ab ea diverſa ſit inſigniter, a quibus, juxta cum toto habitu, differentiæ plantarum generi-

cæ

nericæ desumi debent recte cum Recentioribus Botanicis; verum cum & alia plantarum genera, quorum fructus turbinati sint, reperiri dubium non sit, hujus præterea fructus exigui nec admodum conspicui existant, in honorem laudemque inventoris πολυμαθεστάτε, ad exemplum *Turnefortii* & *Plumierii* plantarum genera nova a nominibus, ut vocant, propriis denominantium, hoc genus novum, Tuo, Vir Celeberrime, qui inde genus ducis, indulcu, *Camerariam* posthac vocabimus; quo nomen id præclarum, licet id suopte merito ei contingat, cum planta ipsa quotannis renaturum, & quamdiu astra hunc mundum illuminant & fertilem faciunt, duraturum, immortalitati, quantum in nobis fuit, consecrare annisi sumus. Alii, qui laudatum nomen libenter assument, librisque ac Pinaci inferent, majora facient; nos plantam dubiam explicando & illustrando nomenque imponendo, nullam promeruisse, gratiam non speramus, cui Tuoque, Vir Excellentissime & Amplissime, favori nos nostrique memoriam quam optime commendatam cupimus. Vale.

Scribeb. Giss. Calend. Sept. 1716.

EPISTOLA
D. JOANNIS PHILIPPI BREYNII,
M. D. & Societat. Reg. Angl. Soc.
De Plantis & Insectis quibusdam rarioribus in Hispania observatis,
VIRO CELEBERRIMO,
Domino Hans Sloane, Med. Doct. & Illustriss. Societati Reg. Angl. a Secretis &c.
Joannes Philippus Breynius, J. F. S. D.

NUllæ quamvis ad meas Roma, ut Tuis & Illust. Soc. Regiæ mandatis morem gererem, ad Te datas, quibus præter nova quædam literaria, artem imprimis nostram spectantia, Alcyonii cujusdam

juſdam elegantiſſimi iconem & deſcriptionem, una cum mea de Alcyonii ſemine conjectura addideram: nullæ, inquam, quamvis mihi reddítæ ſint reſponſoriæ, ex quo minus forte eas ad palatum fuiſſe tuum, poſſem colligere; præſentes tamen iis ſuperaddere ſum auſus, ut ſi invitatorias a te ad ſcribendum obtinere non valeam, prohibitorias ſaltem, quæ calamo meo nimia prurigine forſitan tibi, Vir Celeberrime, gravioribus negotiis obruto, moleſta laboranti, altum imponunt ſilentium, extorqueam. Ut autem absque ulterioribus verborum ambagibus ad rem ipſam accedam, paucis dicam, me valedixiſſe Romæ elapſo menſe Januario, tranſiiſſe Loretum, Anconam, Bononiam, Ferrariam &c. tandemque non leviter rigidiori tunc temporis, quam mihi imaginatus fueram, bruma tentatum attigiſſe Venetias. Ut ut autem nihil de ſplendidiſſima hac Urbe literis hiſce inſerere conſtituerim, perilluſtre tamen Excellentiſſimi D. Chriſtiani Martinelli, Nobilis Veneti & ſummi, ut cæterarum bonarum artium & ſcientiarum, ita & Rei herbariæ Patroni Nomen, ob ferviſſimum, quo Botanicem proſequitur, amorem, & plurima mihi etiam non merenti præſtita officia, intactum relinquere, piaculum duxi. Poſt quinque hebdomadarum dimoram Venetiis Patavium me contuli, ad celeberrimam in arte Machaonia præſertim Academiam, quam etiamnum, licet Studentium numerus, illo, qui fuit quondam, longe ſit inferior, Clariſſimis in hac arte Profeſſoribus (quibus ex meliori luto finxit præcordia Titan, quique excuſſo miſerrimo auctoritatis jugo, vere rationalem, mechanicam puto Philoſophiam & Medicinam libere profitentur) ceu tot luminibus corruſcantem deprehendi. Sufficiet nominaſſe Gulielminum, Mathematicum & Theoreticum inſignem; Ramazzinum maximæ eruditionis Virum; Valliſnerium, ut in omni Medicinæ parte verſatiſſimum, ita in Inſectorum indagine, eorumque (ſecus ac plurimi hoc ævo faciunt, Inſecta collegiſſe, obiter deſcripſiſſe & depinxiſſe ſatis eſſe rati) generationis & Metamorphoſeon hoc ſeculo non agnoſcente paretem, quod præter ipſius ſcripta Italico Idiomate edita, Opera teſta-

bun-

buntur brevi edenda, & Illuſtriſſ. Societati Reg. conſecranda; quibus futilem eſſe ſpontaneam Inſectorum generationem ex putredine, contra nonnullos etiam Neotericos, qui haud parum in hac arena deſudaſſe exiſtimantur, non vanis ſpeculationibus, ſed ſolidiſſimis Præceptoris ſui M. Malpighii, immortali memoriæ Viri, veſtigiis feliciſſime inſiſtens, demonſtrabit experimentis & obſervationibus. Sufficiet, inquam, nominaſſe D. Abbatem Felicem Viali primi ſubſellii Botanicum, Viſcardum Anatomicum, Marchettum Chirurgum, denique D. Abbatem Fardellam vere Philoſophum, ut alios ſileam. Horum omni laude majorum Virorum humaniſſima doctiſſimaque conſuetudine (ad quam Hortus accedebat publicus, nec non ille Excellentiſſimi D. Joannis Franciſci Mauroceni, Nobilis Veneti & h. t. Oratoris ſereniſſimæ Reipubl. apud ſummum Pontificem &c. Mæcenatorum Rei Botanicæ Principis, qui uti me præſentem Romæ, ita jam abſentem Patavii variis cumulavit honoribus & obſequiis; rarioribus plantis Alpinis præſertim & Siculis ſuperbientes) adeo mox fui captus, ut in animum moras hic, & quidem longiores nectere induxerim, me totum & unice ſtudiis, a quibus varia itinera & alia hinc inde obſervanda me diverterant, redditurus; nec defuit propoſito ſucceſſus. In hoc autem ſuaviſſimo otio, in quo tamen ut verum Tibi abſque jactantia fatear, nil fui minus, quam otioſus, cum Ephemerides meas Hodæporicas qualeſcunque evolverem, incidi tandem in illum candido mihi ſemper notandum lapillo diem, quo me Hiſpanorum terram, fugitivo quamvis pede preſſiſſe per vitam gloriabor. Subiit mox animum meum cogitatio, me forte non, quod dici ſolet, oleum & operam perditurum, nec opellam tibi ingratam præſtiturum, ſi illius diei tibi & Illuſtriſſ. Societati Reg. brevem quandam exhiberem Σκιαγραφίαν, quam accipe ſequentem.

Anni elapſi d. 31. Auguſti Styl. Angl. potentiſſima Claſſis bellica Anglo-Belgica ventis adverſis & tranquillitatibus nimium retardata, jactis in ſinu maris, qui eſt prope parvulum oppidum Alteam in regno Valentiæ, anchoris, ut dulcium aquarum penuriæ,

nuriæ, qua laborare incipiebat, novarum collectione mederetur, certus mox militum nautarumque numerus Præfectorum juſſu, in littus, ad fluvii non quidem magni, ſed limpidiſſima & ſaluberrima lympha ex proximis montibus devoluta veloci curſu in mare ſeſe exonerantis deſcendit oſtia. Ego terram hanc, quam eminus videbam, cominus quoque accuratius incredibili luſtrandi flagrans deſiderio, die ſubſequente ante ipſum ſolis ortum & ipſe viſitavi littus, per integrum diem hinc inde, quantum limites a militibus præfixi permittebant, ſedulus oberrans. Regio erat alpeſtris, ſaxoſis elatiorum montium jugis in ipſum cœlum ſeſe quaſi abſcondentibus; mare inter tamen & prædictum flumen oppidumque planities videbatur ſatis ſpatioſa, arenoſa partim, partim argillacea, quæ poſtmodum in jamjam deſcriptos montes ſeſe extollebat, quæque frumento Saracenico ex parte conſita, maximam partem vero inculta, mihi certe ob rariſſimarum plantarum numerum longe a Natura cultior, & quovis horto gratior campus. Omnia cœleſti adhuc madebant rore, qui in hiſce Regionibus, uti noſti, eſſe ſolet longe liberalior, pluviarum, utpote rariorum hic æſtivo tempore defectum aliquomodo ſupplens; uti hoc tempore quoque eum ad digiti latitudinem ſolum penetraſſe obſervabam. Sed roridam hanc lympham brevi diſſipabat æſtuans Syrius, hoc die ferme intolerabilis, ita ut ſolum paulo ante dicta lympha tam benigna a Matre Natura perfuſum, mox quaſi ſquallidum & exuſtum ſpectantium ſeſe offerret oculis. Littus ipſum arenoſum erat, innumeris ſilicibus, variæ magnitudinis conſperſum, ſed quod mirabar præter nodoſas vilium algarum radices & paucas aliquot pilas marinas habebat nihil, ita ut ne unicum quidem fucum aliamve plantulam marinam, aut vix ullam conchamne vidiſſe meminerim. Nullos quoque, etiamſi quæſiverim, reperi lapides aliqua figura inſignes. Saxum vero, ex quo Montes maxima ex parte componebantur, coloris erat gryſei, nec uti baſiolabar inſignis duritiei.

Vegetabile regnum largiorem mihi præbebat meſſem, utpote quod,

quod, tam delectabili & tam rara oculos pascebat, nares & manus varietate, ut oculus in nullam plagam converti posset, in qua non rariorem mox deprehenderet herbulam; nares nullibi ab exhalationibus aromaticarum & odoriferarum varii generis plantarum per atmosphæram dispersis non ferirentur; manus vero licet nunquam feriarent, operi tamen impares essent. Sed ne dum multa dico, nihil dixisse videar, occupato in generalioribus calamo, en paucarum quarundam, ex multis a me observatis, stirpium tumultuario ordine congestum catalogum:

Nerion fl. rubescentibus, C. B. P. Oleander, Laurus rosea, Lob. Hujus quam plurimæ arbusculæ tres pedes vix excedentes floribus siliquisque onustæ supradescriptam planitiem decorabant.

Siliqua dulcis, C. B. P. cum fructibus maturis.

Lentiscus vulgaris, C. B. P. copiose cum fructibus in littore; raro 4 pedes superabat.

Pinus maritima minor, C. B. P.

Rhamnus Hisp. saxatilis, capillaceo folio, Inst. R. H. copiose baccis nigris gravidus inter saxa. Folia quidem non erant vere capillacea, sed tamen admodum angusta & longa.

Thymelæa fol. Lini, C. B. P. copiose.

Thymelæa tomentosa foliis Sedi minoris, C. B. P. Sanamunda tertia Clus. cum floscul is admodum frequens.

An præcedentis varietas foliis inferioribus Myrti incanis? An vero Thymelæa Hisp. foliis Myrti incanis, Inst. R. H?

Erica foliis Corios, multiflora, J. B.

Malus punica sativa, C. B. P.

Myrtus angustifolia, Bætica, C. B. P.

Palma, C. B. P. hujus unica arbor altissima plantata videbatur.

Palma humilis, spinosa, J. B. Inter saxa frequentissima, fructibus fœta maturis aurancei coloris. Hæc pumila erat admodum, utpote truncum vix emittens, nec folia ultra pedem & dimidium erigebantur; eam differre existimo a Chamæryphi, cujus excelsas arbores in Belgii & Italiæ hortis me observasse memini. Sapor fructuum dulcis est cum insigni adstrictione.

Convolvulus argenteus elegantiſſimus, foliis eleganter inciſis» Inſt. R. H.

Tithymalus Hiſpanicus, folio longiore cordiformi, Inſt. R. H.

Centaurium minus Hiſpanicum, floribus minoribus.

Centaurium minus, ſpicatum, flore rubro, Hort. R. Par.

Coronopus Siculus, fruticoſus, platyphyllos, Boccon.

Marrubium Hiſp. ſupinum, foliis ſericeis argenteis, Inſt R. H.

Roſmarinus Hortenſis, anguſtiore folio, C. B. P. naſcitur copioſiſſime in planitie.

Thymum incanum minus. An Thymum ſupinum, candicans, odoratum, Raji Syn. Stirp. ext. Brit.

Lavendula Hiſp. latifolia tomentoſa, Inſt. R. H.

Origanum Onites, C. B. P. Origanum Creticum, I. B.

Helianthemum Thymi folio, glabrum, Inſt. R. H. Ciſtus fol. Thymi, C. B. P.

Salicaria Hyſſopi folio anguſtiore, Inſt. R. H. Hyſſopifolia minor anguſtioribus foliis, C. B. Pin.

Helianthemum foliis Roriſmarini ſplendentibus, ſubtus incanis, Inſt. R. H. Ciſtus Ledon fol. Rorismarini, ſubtus incanis, C. B. Pin.

Hypericum tomentoſum, ſupinum, minus, ſive Monſpeliacum, C B. P.

Ciſtus mas, folio rotundo, hirſutiſſimo, C. B. P.

Ciſtus Ledon, foliis Roriſmarini hiſpidis, C. B. P.

Vulneraria Hiſpanica fruteſcens Ciſti Halimi folio incano, nunc ſimplici, nunc terno, flore luteo, ſpicato. Hanc novam mecum judicavit Cl. I. B. Triumfetti.

Dorycnium Monſpelienſium, Lobel.

Anonis non ſpinoſa, flore luteo, variegato, C. B. P.

Jacobæa Hiſpanica, Roriſmarini foliis, Inſt. R. H.

Polygonum maritimum, Hiſpanicum, caulibus longiſſimis, Inſt. R. H. Flagella ſæpius tres vel quatuor pedes adæquant, foliis ubi florent ut plurimum vidua.

Adiantum foliis Coriandri, C. B. P. frequentiſſimum ad rivulorum margines. Sed

Sed hæc, ne ſicca Graminum ſpecioſiorum licet, Cyperorum, Juncorum aliarumque Plantarum enarratione tibi ſtomachum moveam, ſufficiant. Itaque cum delectat varietas, ad Animalia tranſeo; ex quibus non Leones feroces, nec turrigeros tibi referam Elephantes, hos enim a me jam non expectas; ſed vilia & abjecta aliquot delineabo Inſecta, mole ut ut longe, non tamen artificio, jam jam enumeratis minora. Quod equidem non fugit tot ex veſtratibus Clariſſimos Viros, qui in eorum Hiſtoria componenda, tam anxie deſudarunt & adhuc deſudant. Ex immenſo igitur Locuſtarum ſcil. Papilionum, Phalænarum, Libellarum, Cochlearum, &c. a me in Hiſpania obſervatarum numero, pauca ſaltem annexorum Schematum ordinem ſecuturus delibabo.

Tabulæ XIII. igitur Fig. 1. Locuſtam exhibet, quæ an deſcripta ſit, nec ne, ignoro, certe mihi videbatur rariſſima. Coloris erat viridis elegantiſſimi, figuræ vero & magnitudinis, quæ in figura exprimuntur. Tarde ſeſe movebat alis deſtituta, quarum locum in tergo, immediate ſub clypeo duæ parvulæ, rotundiuſculæ, lutescentes occupabant membranulæ. Caput antennis ornabatur longiſſimis, & articulatis viridibusque pariter. Unicam ſaltem videbam Oleandro inſidentem.

Figura 2. adumbratur Inſectum, quod ab Aldrovando in Hiſt. Inſect. L. 4. T. 5. fig. 2. & 3. nomine Bruchi inſolentis figuræ depingitur deſcribiturque; ſed deſcriptio ejus manca eſt & Icon minime accurata. Caput huic meo Inſecto erat oblongum, ſuperne criſtatum, & duabus breviſſimis antennis anterius donatum. Corpus & Crura tenuiſſima, cauda vero latiuſcula, articulata, circumflexa ac in ambitu crenata, ſimili eminentia per medium excurrente. Quieſcens Corpus cum binis anterioribus cruribus complicatis erectum tenebat, progreſſum vero iis quoque ad ambulandum utebatur, quæ nihilominus pro arripiendo victu forcipum inſtar primario mihi videbantur fabrefacta. Color totius ex cinereo erat luteolus, maculis fuſco-nigricantibus interſperſis. Unicum duntaxat reperi inter gramina,

quod

quod postmodum per decem dies absque ullo alimento servavi superstes, donec tandem fatali vitæ ejus filum abrumperem acu. Ad hoc genus quoque referendum, quod Aldrovandus dict. libr. T. 3. f. 9. exprimit.

Figura 3. Insectum exhibet, quod Moufettus & Jonstonus nomine Mantes describunt & delineant. Ad quod genus meo judicio pertinent ex Aldrovando l. c. T. 1. f. 1. & 2. & T. 3. f. 10. ex Jonstono T. 13. f. 18. 21. 22. & præterea omnia Folia ambulantia dicta ex Indiis delata, quæ minime Vegetabilium folia in ejusmodi Animalcula transformata, uti somniarunt nonnulli, sed Insecta Insectorum modo producta esse, omnibus facilem accuratius examinantibus, nec tam faciles aures prodigiosis fabulosisque relationibus præbentibus patebit, opinor. Meum itaque hoc Insectum eandem exacte figuram habebat & magnitudinem, quæ in fig. 3. videntur. Quatuor instructum erat alis, quarum duæ superiores venosæ aridorum foliorum texturam habebant & similitudinem (hæc magis conspicua in Indicis speciebus, unde fabulæ origo) coloris ex flavo fusci; inferiores vero dictis majores quidem, sed subtiliores, nec ita venosæ, flavicantes, nigris maculis asperfæ: Ita ut superiores quodammodo thecarum vices gerere viderentur, ut in Scarabæorum genere observamus. Præterea notanda extremitas ventris bifurca, anteriora crura crassiora, serratæ, uti in Insecto antecedente, quæ etiam ad eundem usum a natura instituta. Corpus reliquum colore erat ex fusco luteum.

Cum binorum ultimorum Insectorum figuras Clariss. Vallisnerio supra laudato forte fortuna ostenderem, ipsi, pro summa, qua me prosequitur humanitate & benevolentia, mox ex annotationum suarum Thesauro sequentia de iisdem mecum communicare placuit. Scilicet ab ipso etiam esse reperta in Italia in Scandianis nempe, Regii & Coneglanis Collibus, sibi quoque missa ab amicis ex Marca Anconitana, Maurata, Liburno & Florentia; se tandem eadem fovisse in suo horto. Esse ejusdem generis Insecta, sexu saltem diversa, marem videlicet illud, quod

alis

alis caret Fig. 2. a me depictum, fæminam vero alatam Fig. 3. adumbratam. Ab Hiſpanis dici *Saltamonte*, a Liburnenſibus *Cavello verde*, ab amico ſuo D. Ceſtono *Grillo-Centaurum*, a ſe vero *Araneo-Locuſtam*. Se eadem aliquando obſervaſſe meis figuris dimidio majora, fæminam ſæpius coloris virescentis, unde *Cavallo verde* Italis dicitur. Eſſe porro carnivorum & jucundo ſane ſpectaculo prædam ſuam, ut Muſcas, Gryllos, Locuſtas minores, imo nec proprio ſuo generi parcendo, cruribus anteriobus venari, capere, brevique erectum, ut plurimum devorare; non leve ferociæ & Tyrannidis argumentum. Præterea fæminam unius noctis ſive 8. horarum ſpatio celluloſum ſuum extruere nidum, podice elevata totum opus perficiente, & reliquo corpore immoto. Antequam vero generationi aptæ ſint, fæmellas biennium attigiſſe opus eſſe obſervavit, tumque primum ſuum elaborare nidum nucis avellanæ magnitudine, qui anno ſubſequente nucem ſuperat & tertio tandem binas adæquat. Nidificationis tempus eſſe Autumnum, Menſe Majo vero vel Junio anni proxime ſequentis inde prodire prolem communis cum parentibus figuræ, ſed exiliſſimam, quæ centenarium numerum plerumque, ſubinde vero duplicatum, pro magnitudine nidi & matris ætate provectiori, attingit.

Nidi ipſius figuram ante oculos ponit Fig. 4. quam ex eo, quo me jam nominatus Vir donavit, deſumſi. Coloris eſt ex luteo cinerei, videturque compoſitum ex humore lenteſcente ex podice emiſſo & indurato. Ruſticis vulgo *Cicala ſecca* dicitur, qui eandem mortuam aridamque credunt cicadam.

Fig. 5. & 6. repræſentat Julum, qui admodum erat frequens in terra ſub plantarum foliis. Colore gaudebat albo, nigris annulis atroque inter annulum & annulum puncto diſtincto. Caput nigrum quemadmodum & pedes.

Et hactenus quidem de Inſectis a me in Hiſpania obſervatis, quibus ob thematis affinitatem, Animalcula tria marina, quæ non procul ab Inſula Yvica Maris Mediterranei, Menſe Auguſto, a Nauta quodam Mari tranquillo innatantia reperta ad me deferebant.

ferebantur, ſubjungere liceat. Omnia in Tabula XIV. delineantur. Et primum quidem ex Urticarum marinarum ab Auctoribus dictarum genere eſt, cujus fig. 1. partem adumbrat ſuperiorem; ejus limbus non nihil concavus coloris erat cœruleí amœniſſimi, medium vero orbis aliquantulum convexum, ſtriisque circularibus ac radialibus ornatum, coloris argentei. Radiorum inſtar eminentes Appendices a ſupina parte ortæ, quas ſatis celeriter remorum inſtar ſurſum & deorſum movebat, erant dilutæ cœruleæ & ferme diaphanæ, quarum extremitatibus minutiſſimi adhærebant ſubtiliſſimis ſuffulti pedunculis globuli ex nigro cœrulei. Hæ autem Appendices leviſſima abradebantur Minerva, ut totum adeo animalculum utpote valde molle & mucoſum deſtrueretur.

Fig. 2. exhibet ejusdem partem ſupinam, quæ præter Appendices jamjam deſcriptas, filamentis duorum generum exornabatur; primum genus circa marginem poſitum brevibus teretibusque conſtabat filamentis dilute cœruleis & glabris; alterum vero centrum occupans, breviſſima quidem habebat, aſt circa extremum orificio quodam hiantia, colore albo. Hiſce animal dubio procul aliis corporibus adhæret capitque alimentum.

Fig. 3. hujus demonſtrat Appendicem Microſcopio viſam. Cæteræ figuræ omnes naturalem habent ſuam magnitudinem.

Secundum, quod miri Hirudinis marini ſpecies & quidem lepidiſſima videtur, fig. 4. exponit ejus ſcilicet tergum, quod non nihil planum, ſtria in medio argentea longitudinali elegantiſſime pictum, lateralibus lineis obſcure cœruleis; cujus coloris quoque erant pinnæ argenteo intermixto, quas natando celeriter movebat. Latera colore gaudebant dilute cœruleo, prona vero pars ſive venter albo. Capitulum ei erat oblongum, duplici barbula binisque oculis inſtructum; os rotundum parvulum, quo variis ſe rebus, ſuctione ut puto, affigere ſolet. In latere ſiniſtro foraminulum conſpiciebatur, quod pro ano habebam. Hujus ſpeciei duo vel tria vidi Animalcula, quæ in vitro aqua pleno

Append. pag. 58.

App. pag. 62.

Tab. XIII. Append. pag. 101.

1 Hippuris muscosa, setis per extremum stellatis
2 Hippuris setis bifurcis
3 Conferva geniculata lubrica major,
4 Conferva geniculata lubrica minor

1 Hieracium fruticosum angustifolium minus.
2 Ejus Varietas major.

Tab. XIV. App. pag. 104.

Cochlea marina Ianthina Colum. Esc. Q. 26 XXVI. cujus figura ob Sculptoris incuriam inversa est descriptio autem testi desalis accurata est. Idem Auctor aliam ejus figuram habet cum Animali L. de Purpur. p. 13 ubi etiam describitur, ubi figura quidem satis laudabilis sed triplo mea major.

pleno paucas intra horas expirabant; dumque in Vini ſpiritu ſervare tentabam, mox ſummopere contrahebantur, colore cœruleo in luteo-ferrugineum mutato.

Agmen denique claudat Cochlea (fig. 5, 6, 7.) quædam colore, quam figura ſpecioſior, rariorque; cœruleo enim tincta erat ſaturo, aliquantulum, quamvis parum admodum ad roſeum quoque vergente. Cæterum erat tenuiſſima, lubrica & ſubtilis; animalculum abſcondens fig. 5. expreſſum, quod humorem fundebat ejusdem cum teſta coloris; ipſi adhærebat firmiter aliquid ad inſtar ſpumæ viſcidæ, qua mediante aquæ innatabat ſuperficiei. Et hæc Cochlea marina ob colorem ſuum cœruleum adeo rara eſt, ut nullam huic ſimilem vel deſcriptam, vel in Cimeliis repoſitam, me obſervaſſe meminerim. *Quin Doctiſſ. & Rev. Pater Bonannius libro cui titulus, *Recreatione dell' Occhio &c.* Part. 3. Probl. 35. ex eodem fundamento concluſerit non dari in rerum natura, nec poſſe dari ob rationes ab ipſo allatas, quæ loco citato fuſe videri poſſunt.

Præter deſcripta hic aquatilia coloris cœrulei omnia, frequentia quoque apparebant animalcula ab Imperato Vela marina ** dicta perelegantia, itidem cœruleo imbuta colore, quæ etiamſi accuratiori examine digna ſint, hic præteribo, ne navis meæ in hoc oceano fluctuantis vela, denuo horum commemoratione turgere incipiant, quæ lubens jam contraho. Supereſt ut prolixitatis literarum mearum a te petam veniam; utinam tanta in lectione earum perfundereris delectatione, quanta ego in rerum, quæ iis includuntur obſervatione; ſed hoc prohibent, tum materiæ ſterilitas, tum inconditus ſtylus, cui ut ignoſcas, meque & conatus meos qualeſcunque Illuſtriſſ. Regiæ Societati ulterius de meliori nota commendes, etiam atque etiam rogo. Vale, Vir Celeberrime, meque ut cœpiſti, ama.

Dabam Patavii pridie Calend. Aprilis 1704. Styl. nov.

* Poſtmodum eam deſcriptam depictamque reperi apud Columnam Ἐκφρας. p. XXII. & XXIII.

** Vela Marina Imperati eleganter deſcripta & depicta Vid. in Columnæ Ἐκφρας. p. XX. & XXII. nomine Urticæ Marinæ ſolutæ rarioris, Velella dictæ.

DN. D. WOLFGANGI CHRISTIANI,
Sereniſſ. Boruſſiæ Regis in Principatu Neo-
comenſi Helvetico
Medici Ordinarii,

MANES BAGLIVIANI

hoc eſt,

Obſervationes Methodo Bagliviana
in augmentum & certitudinem Rei
Medicæ continuatæ,
Et inprimis ad Noſographiam Helveticam
directæ.

Praxis

PRaxis Med. Bagliviana *Lib.* 1. *cap.* 9. §. *de Pleuritide:* Notabile ſingularis hujus commercii, quod eſt inter tibias & pectus, exemplum vidi nuper ſub finem Martii 1713. in perſona D. Capitanei De la H***. Hic vir quadragenarius circiter, obeſus, & belli laboribus haud parum fractus, ab aliquot annis affligi cœperat eryſipelate crurum œdematoſo; quod pertæſus abigebat neſcio quonam lavamento ſpirituoſo a Pharmacopœo ſibi exhibito, tam prompte, ut intra triduum crura ipſius ad ſtatum naturalem rediiſſe viderentur. Quid fit? vix triduum erat elapſum, cum Patiens corripitur febre intenſiſſima, reſpiratione laborioſiſſima, dolore ſtomachi tantum non intolerabili, vomitu bilis praſſino &c. Accerſitus ego mox accuſavi occultam hanc communicationem pectoris cum cruribus, ad quæ eryſipelas revocare tentavi veſicatoriis interiori tibiarum parti appoſitis, quæ vix operationem ſuam abſolverant, cum revocato in tibias eryſipelate, præcordia plane liberarentur. Idem parenti meo p. m. ſæpius memini contigiſſe. Imo conſtans eſt popularium noſtrorum obſervatio, vix unquam dispelli crurum œdema, quin ſuccedat cum præſentaneo vitæ periculo aut aſthma, aut pectoris hydrops, aut denique pulmonum inflammatio.

Prax. Bagliv. Lib. 1. cap. 15. §. 9. Juxta hanc normam ſit v. g. ſequens typus Noſographiæ noſtræ Helveticæ.

De Temperamento Helvetiorum in genere.

De Notandis in primo ortu hominis, id eſt conceptu, ætate, habitu, ſana aut morboſa conſtitutione viri, qui gignit, & mulieris, quæ concipit.

De regimine mulieris durante tempore geſtationis, præſagiis partus, & illis, quæ inſtantem hunc reddere poſſunt felicem aut infelicem.

De notandis in ipſo partu & agendis tam a parturiente quam ab adſtantibus, habito reſpectu ad ætatem, vitæ genus, locum Natalem &c.

De regimine infantis & puerperæ, habito respectu ad differentias modo indicatas.

Observationes generales de Diæta & vitæ genere Helvetiorum in Adolescentia, virilitate atque senectute.

Observationes speciales desumtæ

A sexu,
Ab aëre,
A Cibo & potu,
A motu & quiete,
A somno & vigiliis,
Ab excretis & retentis,
Ab animi pathematis.

His præmissis aditus fit ad PATHOLOGIAM sive doctrinam de morbis, ubi in proœmio explicatur

Onomatologia morbosa Helvetiorum, id est loquendi formulæ, quibus juniorem Medicum assuefieri oportet.

Hinc differitur

De Convenientia & discrepantia morborum nostrorum cum morbis aliarum Gentium, tam ratione Symptomatum, quam ratione Methodi medendi in genere.

De Morbis Helvetiæ particularibus, & quasi propriis v. g. Nostalgia, Heim-Wehe/ Arthritidis quadam specie, quam Ruricolæ vocant die Bussen; Intumescentia subitanea, quam vulgus vocat, in einen bösen Wind kommen / herniis, strumis & scrophulis.

De morbis particularibus variorum Helvetiæ districtuum eorumque causis, symptomatis ac medendi modo.

De morbis Urbicolarum,
De morbis Agricolarum,
De morbis Alpicolarum & Galactophagorum.
De morbis illorum, qui ad lacus & stagna habitant.
De morbis stationariis Helvetiæ.

De differentiis horum morborum omnium ab ætate desumtis.

De morbis Infantiæ,
De morbis Adolescentiæ,
De morbis Adultorum,

De morbis & incommodis senectutis.

De differentiis morborum, quoad vitæ genera & Professiones.

De morbis Litteratorum, Civium & Delicatulorum.

De militum morbis.

De morbis Operariorum & Rusticorum.

De differentiis morborum a sexu pendentibus.

Appendix.

De morbis a præposstera medendi methodo & irrationali medicaminum usu ortis.

Item schedula Monitoria ad Medicos & Ægrotos, de vero Medicinæ usu.

Pharmacologia.

De simplicibus Helvetiæ in genere, eorumque præstantia & sufficientia.

De vegetabilibus,

De animalibus,

De mineralibus; Item Thermis & Aquis Medicatis, earumque legitimo usu.

De Compositis aut Chymicis Medicamentis, quæ cum constitutione regionis & corporum nostrorum quadrant.

Appendix prima.

De quinque illis remediis Capitalibus plebis nostræ, nimirum Purgatione, Venæ Sectione, Scarificatione, Balneatione atque Herniotomia.

Appendix secunda.

Continens Observationes aliquot sparsas ad Historiam naturalem Helveticæ spectantes.

Collectanea

Ad Nosographiam Helveticam spectantia.

1. Certum est & aliquot seculorum experientia comprobatum, vulnera Capitis in Helvetiis facilius sanari quam alia quavis Gente; contra ulcera aut vulnera crurum difficillime. Inquiratur causa hujus phænomeni.

2. In regionibus montosis paulum elatioribus circa Juram & Alpes ditionis Bernensis *pleuritides* endemiæ sunt, & sub ini-

tium atque finem hyemis potissimum fere quotannis grassantur. Causa patet: Pecuarii sunt nostri Monticolæ, hyemem transigentes in hypocaustis humilibus & angustis, fornacum beneficio itaplerumque incalefactis, ut nonnisi indusio aut levi saltem amiculo tecti in illis commorentur. Hinc subito omni hora prosiliunt ad pascenda armenta in stabulis, ibique se exponunt ventorum niveorum gelidissimo flatui, qui poros apertos subintrans non potest non humores coagulare. In ejusmodi pleuritide ab injuria aëris orta venæ sectionem fere semper inveni exitiosam, quatenus nimirum aër (causa morbifica) primum est corpus, quod loco sanguinis extracti vasis depletis se insinuat. Hanc observationem præcipue feci in epidemica illa pleuritide, quæ diro illo hyemis gelu Anno 1709. urbem & agrum Bernensem per aliquot saltem dies aut hebdomadas depopulata est.

3. In tractu illo terrarum, qui lacus interjacet Neocomensem & Biennensem, circa oppidum Landeron grassatur interdum speciale quoddam *febrium malignarum* genus, haud absimile febri illi Hybernicæ, quam graphice depingit D. Gerard Boate „Hist. Nat. Hibern. sequentibus verbis: Ex horum (morborum „puta endemiorum) numero sunt febres quædam malignæ, Hi„bernicæ dictæ, quia omni anni tempore ibi terrarum communes „sunt, & non tantum indigenas invadunt, sed & advenas. Febris „hæc stipatur ingenti capitis atque ossium dolore, languore insi„gni, siti, nausea, inquietudine, torpore, interdum tendinum „subsultu, sed absque calore aut æstu magno & durabili. Curatu „difficilis est, neque qui hunc morbum noverunt, illum purgan„tibus aggrediuntur, quæ nullo unquam tempore adhiberi pos„sunt absque evidenti periculo, quoniam insigniter augent fer„mentationem humorum, qui causa morbi existunt & ægrum „debilitant. Neque venæ sectione utuntur, quæ vix succedit „nisi in principio, sed roborantia exhibent cordialia, quorum „usu cæterisque rite administratis plerique servantur, nisi se ad„jungat morbo malignitas quædam pestilentialis, quod interdum ab aliquibus annis contingit tanta cum violentia, ut quavis sollicitudine atque remediis quibusvis plurimorum interitus

„ante-

„anteverti nequeat. Sæpius etiam morbum lethalem fieri con-„tingit, dum æger cadit in manus Medici imperiti, dum negligit „remedia aut non curat præscripta; unde etiam hoc evenit, ut „illi, qui evadunt virtute temperamenti, lectum diutius ob extre-„mam imbecillitatem tenere cogantur, & non nisi a gerrime prio-„res vires recuperent.

4. *Strumæ* in nonnullis Helvetiæ districtibus endemiæ sunt, præcipue in Valesiorum regione, ac in illo ditionis Bernensis tractu, qui vocatur **Emmenthal** sive Vallis Emmana a torrente Emmen, qui illam irrigat aut potius vastat. Causa dubio procul sunt aquæ materia tophacea scatentes, ita quidem, ut si illam evapores, in singulis mensuris aliquot grana hujus materiæ sis reperturus. Non meram esse aquæ frigiditatem pro causa accusandam, inde patet, quod inter Alpes sublimiores v. g. in toparchiis sive præfecturis Interlœcken, **Siebenthal**/ Hasli, Sanen &c. ubi aquæ sunt gelidæ, strumæ & bronchoceles cessant esse endemiæ, quia scaturigines ex firmis & compactis prosiliunt rupibus, quæ de substantia sua nihil illis impertiuntur. Notabile est, non homines solum, sed & canes in his tractibus strumis laborare, quarum aliquas dum dissecui, inveni materia tophacea plane infarctas. Hæc de strumis Bernensibus: an Vallesianorum eadem sit ratio, nondum exploravi. Hoc saltem novi, strumas huic genti adeo esse communes, ut vulgo in dicterium abierit, Valesios non strumosos semel existimare membro decoro mutilatos. Idem alii Tyrolensibus applicant.

5. Vix ulla gens *herniis* magis obnoxia est quam Helvetiorum coloni. Causa facilis: vix enim datur gens, quæ tantos nedum majores in colendis agris sustineat labores. Absque sectione nullum memini me vidisse curatum colonum absque recidiva, impares enim sunt membranarum fibræ semel ultra modum expansæ sustinendis conatibus, quos miseri hi in fodiendo, arando &c. subeunt, neque est proportio inter horum violentiam & artificium constrictionis a medicamento factæ. Ob eandem fortè rationem in Nosodochio Bernensi usitata est & publica almæ

Facul-

Facultatis autoritate introducta herniotomia cum amputatione testiculi; quia neque punctum sic dictum aureum, neque Thevenini sectio, aut alius quicumque servato testiculo operandi modus visus est sine recidiva sanasse. Monendi porro sunt hac occasione Herniotomi, ut in ejusmodi ruricolis præcipue processum peritonæi ligent quam proxime fieri potest abdomini, ni cum opprobrio suo in ægris paulo post illorum dimissionem loco Oscheoceles videre velint bubonocelen.

6. Frequentissimæ sunt Neocomi, *Anginæ spuriæ* relaxationes atque tumores uvulæ & Antiadum. Dum causam quæro, non invenio aliam potiorem quam frequentiam ventorum, maxime Austri atque Favonii illius, qui a monte Jura descendit & idiomate loci *le Joran* vocatur, neque affectus modo memorati unicum sunt mali hujus corvi malum ovum: pectori inimicissimus est, oculis atque extremitatibus, insensibilem perspirationem momento quasi cohibens, de quo merito monendi sunt advenæ, nam non uni tantum exitialis fuit maxime æstate; hoc enim tempore solis ardor hic loci intensissimus est, & flatus hujus venti quotidie fere sub solis occasum spirantis gratissimus. Cave autem hunc avidis excipere ulnis aut hiante ore, nisi paulo post appropinquante hyeme vel autumno febris aut morbi alicujus catarrhalis insultus gestias experiri. Atque hoc unico fere vento infame est Novum Castrum, Urbs cæteroquin ex saluberrimis totius Helvetiæ.

7. Inter Aquas Medicatas Helvetiæ haud postremum merentur locum *Thermæ Wyssenburgenses* ditionis Bernensis prope pagum Erlenbach in præfectura Wimmis sitæ. Tractatulum de illis ededit sive potius catalogum morborum, in quibus cum fructu adhiberi possunt Anno 1696. Experientiss. D. Ritter Physicus Bernensis. Nonnulla quoque de illis notavit Celeberr. Scheuchzerus in den Natur-Geschichten des Schweitzer-Lands part. 2. num. 37. pag. 145. quibus saltem addo, me dum Anno 1709. valetudinis non minus quam curiositatis gratia illas visitavi, invenisse differentiam haud temnendam odoris atque saporis in loco, ubi

ubi ſcaturientes fornice colliguntur, & hoſpitio, ubi bibuntur. Ut enim de calore taceam, in ſcaturigine nares atque palatum feriet ſubtiliſſimus odor atque ſapor vitriolicus, qui in hoſpitio non amplius percipitur. 2. In ſcaturigine halitus quidam balſamicus poros pervadit; in hoſpitio non, aut ſaltem parciſſime. 3. Attendi meretur levis & lævis illa ſubſtantia ſpadicea, (quam Crocum martis eſſe mecum ſentit Clariſſ. Scheuchzerus, alii picem ridiculè eſſe malunt) adeo volatilis, ut in auras mox ſublimetur, & per totum ſpatium inter fontem & hoſpitium, quod horæ quadrantem minimum æquat, arborum ſive dumetorum ſupra ſiphonum juncturas propendentium folia incruſtet, & ſic magnam partem perdatur; Cum tamen in ipſa & ſubtili illo ſpiritu vitriolico modo memorato potiſſima, niſi omnis virtus ſita ſit. Lac Lunæ enim (cujus montes circumſiti omnes feraciſſimi ſunt,) effectus hujus aquæ minime valeret edere. Tandem memorabile eſt, quod mihi retulit idem D. Marquardus Wild, amicus communis, de quo D. Scheuchzerus ſe nempe, dum in balneo ſudaret, ſubito in ſemet percepiſſe ſuccini aut petrolei odorem, cujus tamen ne guttula quidem in toto erat hoſpitio; eundem odorem intenſiorem fuiſſe, poſtquam balneo egreſſus, in lecto ad requieſcendum ſe compoſuiſſet. Cæterum cauſam hujus phænomeni tum demum didiciſſe, cum in diffractis circa fontem ſilicibus guttulas aliquot hujus olei reperiſſet.

8. Inter Ruſticos Helvetiæ paſſim offenditur illud digitorum ulcus, quod a vulgo emphatice ſatis **der Ungenandte** / *La bête* vocatur. Autores hunc affectum non ſatis exacte deſcribunt: non enim eſt *Paronychia*, tum quia reliquos etiam digitorum articulos præter unguium radices occupat, tum quia non eſt inflammatorius atque doloroſus. Non ſpina ventoſa, quia oſſa primario & per ſe non afficit; ſed eſt exulceratio quædam anfractuoſe ſerpens juxta articulos manuum maxime & pedum, ſicca, parum aut nihil dolorifica: verbo, eandem habet faciem, ac ſi vermiculus aliquis ſubſtantiam roridam ſive chyloſam circa articulos hærentem abſumeret, ita ut tendines atque muſculi ſicci plane & in ſe contracti appareant. Interdum

cum nonnunquam sine tumore est, at semper præcedit tuberculum durum atque indolens. Confer cum hac descriptione, quæ leguntur de Indorum dracunculis & Americano illo insectorum genere, quod ignaris Europæis, dum primum illuc appellerent, & per arenas discurrarent, pedum articulos corrodit: nam 1. observatur, hunc nostrum affectum infantibus atque puerulis enasci potissimum tempore æstivo, dum in terra atque arenis ludunt. 2. exasperari incisionibus aliisque vulgaribus ulcerum remediis. 3. Referunt Empirici nostrates, qui ejus curam suscipiunt, adhærere Emplastris vermiculos, quibus extirpatis sanetur malum.

9. Vix ulla erit Mundi regio, in qua exactius coincidant morbi hyemales cum enumeratione Hippocratis, quam nostra Helvetia. In hac enim per totam hyemem Medicis fere nonnisi morbi Catarrhales, pleuritides veræ sive spuriæ, dolores lumborum atque articulorum &c. curandi obtingunt, omnes ex inclementia aëris & aquarum gelu oriundi. Circa hoc aquarum gelu specialem suppeditat observationem ancillarum nostrarum in concionibus hyemalibus tussiendi importunitas, præ qua ægre concionatores licet intelligere, quæque auditoribus cessat esse molesta, quam primum aquæ cessant congelari.

10. Inter ditionis Bernensis Ruricolas, illi *qui juxta torrentem* Emmen *habitant*, hincque Emmen-Thaler vocantur, extra omnem controversiam tardissimi sunt, stupidissimi, pervicacissimi, sola Anabaptistica nequitia celebres. Hæc tamen vitia non soli debent stemmati. Observati enim sunt sæpius in alienum solum transplantati, mores mutasse. Magnam partem aëri acceptam referunt, victui aliam: Ille fere perpetuo stagnans ob nemorum atque sylvarum frequentiam, non nisi in editissimis montium colliumve jugis ventilatur; hic copiosus ex solidissimis fere quibusvis eduliis, carnibus salitis, caseo, pane secalino &c. constat, in quibus omnibus recentes advenæ quandam prærogative solidam percipiunt lapiditatem, adeo ut illis paulo uberius pasti insolitos sentiant sopores, qua stupefactiva qualitate caro bubula hujus districtus eminet, ut taceam vinum illud, quod voca-

vocatur Reiffwein / quodque Genii huic in deliciis esse solet, sulphure crasso præ omnibus aliis Helvetiæ vinis turgere.

11. Mire ingenioſi fuerunt Avi noſtri in eruendis cauſis ſuperſtitioſis *fontium temporariorum, ſive periodicorum*, quorum plures forſitan in Helvetia noſtra extant quam ullibi terrarum, prout ex illorum catalago, in celeberr. Scheuchzeri Medici Tigurini ſcriptis contento, liquet. Citat laudatiſſimus hic autor aliquot Philoſophorum ſententias de cauſa periodici horum fontium fluxus, ſimulque optime docet, in qua ſit acquieſcendum: neſcio autem, an legerit itinerarium Indicum D. Bernier Medici Monſpelienſis; ſi legit, male omiſit illum locum hujus authoris, ubi tam clare & eleganter diſſerit de ejusmodi fonte temporario, qui in regno Kachemir ad radices Caucaſi extat. Ejus verba hæc ſunt. „ A l'egard des petits voyages que j'ay fairs dans „ divers quartiers de ce Royaume, voici ce que j'ay à vous en „ dire. Nous ne fumes pas plutôt arrivés à Kachemire, que mon „ Naval Danech mendkan m'envoya avec un de ſes Cavaliers „ pour eſcorte & un homme du pays à une des extremités de „ ce Royaume, à trois petites journées d'icy ſur le rapport qu'on „ luy fit que c'etoit le vrai tems pour voir les merveilles (car „ c'eſt ainſi qu'on en parle) d'une fontaine qui eſt de ce coté là. „ Ces merveilles ſont qu'au mois de May, tems auquel les neiges ne viennet que de fondre, cette fontaine environ l'eſpace „ de quinze jours flue & s'arrête réglement trois fois le jour, ſur „ le midy & ſur la nuit: ſon flux & pour l'ordinaire de trois „ quarts d'heure peu plus ou peu moins, & aſſez abondant pour „ remplir un reſervoir en quarre avec des degrez pour déſcendre jusques en bas qui a dix ou douze pieds de largeur ou „ environ & autant de profondeur. Aprés les premiers quinze „ jours ſon cours commence à n'etre plus ſi reglé ni ſi abondant, „ & enfin aprés un mois ou environ elle s'arrête tout à fait & „ ne coule plus le reſte de l'année, ſi ce n'eſt pendant quelques „ grandes & longues pluyes quelle coule ſans ceſſe & ſans regle „ comme les autres fontaines. Les Gentils ont la ſur le bord du reſervoir

„ ſervoir un petit Deüra ou Temple d'Idole de Brare, qui eſt un
„ de leurs Deütas ou fauſſes Divinités, & c'eſt pour cela qu'ils
„ appellent cette fontaine ſend brary, comme qui diroit eau de
„ Brare & qu'ils viennent là de toutes parts en pelerinage pour
„ ſe baigner & ſantifier dans cette eau miraculeuſe. Ils font ſur
„ l'origine de cette eau pluſieurs fables, que je ne vous rappor-
„ terai point, parce que je n'y vois aucune ombre de verité.
„ Pendant cinque ou ſix jours que je demeurai là je fis tous mes
„ efforts, pour trouver la raiſon de cette merveille. Je conſide-
„ rai attentivement la ſituation de la Montagne, au pied de
„ laquelle eſt cette fontaine. Je montay tout au haut avec
„ beaucoup de peine cherchant & furetant de tous cotez. Je re-
„ marquay qu'elle s'etend en long du Nord au Midy, qu'el-
„ le eſt ſeparée des autres montagnes, qui neantmoins
„ en ſont fort proches; qu'elle eſt en forme de dos d'A-
„ ne, que ſon ſommet qui eſt tres-long n'a guere que cens pas dans
„ l'endroit ou il eſt le plus large, qu'un des cotés de la Monta-
„ gne, qui n'eſt couvert que d'herbe verte, eſt exposé au Levant,
„ le ſoleil neantmoins ne le pouvant voir que ſur les huit heu-
„ res du matin, à cauſe des autres montagnes oppoſées enfin que
„ l'autre coté, qui eſt expoſé au Couchant, eſt couvert d'arbres &
„ de buiſſons. Tout cela conſideré, je me ſuis imaginé que la
„ chaleur du ſoleil, avec la ſituation particuliere & la diſpoſition
„ intericure de la Montagne pourroient bien être les cauſes de ce
„ pretendu miracle, que le Soleil du matin venant, à donner fort-
„ tement ſur ce côté qui luy eſt oppoſé l'echauffe & fait fon-
„ dre une partie des eaux gelées, qui durant l'hyver que tout
„ étoit couvert de neige s'etoint inſinuées au dedans de la terre
„ de la montagne; que ces eaux venant à penetrer & couler en
„ bas peu à peu jusques à certaines couches ou tables de roches
„ vives, qui les retiennent & conduiſent vers les ſources de la
„ fontaine, produiſent le flux du Midy, & que le même ſoleil
„ s'élevant au Midy & quittant ce côté, pour frapper de ſes ra-
„ yons comme à plomb ſur le ſommet qu'il échauffe, fait enco-
„ re fondre de ſemblables eaux gelées qui déſcendent de même

„ peu

„ peu à peu comme les autres, mais par d'autres circuits, jus-
„ques à ces couches de roches & font le flux du ſoir & qu'en-
„ fin le ſoleil échauffant de même le côté occidental eſt éloi-
„ gné de l'oriental ou eſt la ſource, ou parce qu'étant couvert
„ de bois, il ne s'échauffe pas ſi vite ou bien à raiſon de la froi-
„ deur de la nuit. Or je trouvois que mon imagination étoit
„ d'autant plus raiſonnable qu'elle ſemble s'accorder avec ce
„ qu'on dit, que dans les premiers jours l'eau vient en plus gran-
„ de abondance que ſur les derniers, qu'elle vient à la fin à s'ar-
„ rêter & à ne couler plus du tout, comme ſi dans le commen-
„ cement il y avoit plus de ces eaux gelées dans la terre que ſur
„ la fin. Elle ſemble encore s'accorder avec ce qu'on a remar-
„ qué qu'il y a des jours dans le commencement même qu'un
„ flux ſe trouve plus abondant que l'autre, & quelquefois à Midy
„ plus qu'au ſoir, ou au matin plus qu'a Midy ne ſe pouvant fai-
„ re qu'il ne ſe trouve des jours plus chauds les uns que les au-
„ tres, on qu'il ne ſe trouve quelques nuages qui interrompent cette
egalité de chaleur, & rendent par conſequent les flux inégaux.
Hactenus Bernier. Confer cum his, quæ de fonte *Engſtlano*,
„ ex relatione Paſtoris vicini refert *Clariſſ. Scheuchzerus Itiner. Al-*
„ *pin.* 1 *p.* 21. curſum fontis hujus maxime inæqualem eſſe, ſæ-
„ pe aquas ejus veſperi præſto eſſe & fluxum earum per inte-
„ gram noctem durare, mane ſequenti autem ceſſare, mox ma-
„ ne aliquando aquas profluere, ſæpe interdiu fontem curſum
„ redintegrare; ſæpe aquas ejus tres imo quatuor dies integros
„ perennare, ſæpe aliquot diebus non apparere. Fabuloſum au-
„ tem id plane eſt, mane ſaltem, meridie & veſperi ſingulis die-
„ bus fluere, quando armenta accedunt potum hauſtura. Ita
ſpero non amplius erit difficilis aut obſcura horum fontium Ætio-
logia.

12. Vix credo in toto orbe locum exiſtere aptiorem pro conficiendis *vinis Medicatis* Neocomo Helvetiæ, ita quidem ut ſi in vicinia hujus loci degiſſet Hippocrates, plane credam ipſum ſaltem cellam ſuam vinariam ibi conditurum fuiſſe. Reperias enim ibidem in quinque ſaltem leucarum ambitu omnes cujuscunque

cunque generis plantas, paludosas nimirum, campestres, pratenses, apricosas, nemorosas, &c. vina sive rubra sive alba ad delectum. In genere vina hæc temperata sunt, neque dulcia nimis, neque austera, neque violenta admodum, neque oligophora: turgent sale nitroso evoluto, quod linguam ferit & in simplicia infusa promptissime agit, ita quidem, ut vix ullum liceat reperire, cujus texturam brevi non subeant: hinc in affectibus chronicis nimium non possunt commendari. Ego saltem jam centum pene horum formulas collegi & adhibui successu eo minus pœnitendo, quod vinosa vehicula pauciſſimi nostratum respuant aut aversentur.

13. Licet Lumbrici ubique terrarum magnas edant Infantum strages, quin & ipsis adultioribus sæpenumero sint infensi; vix tamen ullibi in Helvetia nostra ferociores offendi, quam in hoc Neocomensi principatu, pro cujus salute vigilare me jussit officium ab augustissimo ejus Principe, Borussiæ inquam Rege, demandatum. Causam dum inquiro, vix alia occurrit frequentior aut propinquior, quam præmaturus atque intempestivus carnium fructuumque horæorum usus, qui omnibus fere lingua Gallica utentibus Helvetiis familiarior est quam Teutonicis. Adde his matutinum & diurnum usum panis crudi, a quo ægre se avelli patiuntur horum plerique, præjudicio occupati, frequentem nimis jusculorum aut eduliorum calidorum usum puerorum hebetare ingenia.

14. Vix in ulla Helvetiæ urbe tot virgines offendes *Chlorosi* laborantes quam Neocomi, maxime dum adolescunt, licet neipsæ quidem mulieres a bilia immunes sint. Porrigunt sibi manus ad hunc morbum producendum poros stringens ventus ille Juranus, cujus supra mentionem feci, abusus Caffée, & fructuum horæorum; tandemque vita nimium deses aut saltem sedentaria. Referunt unanimi consensu omnes urbis hujus seniores, morbum hunc olim non adeo fuisse familiarem, dum nobiles quoque virgines opera rustica, v. g. hortorum culturam aliaque hujusmodi exercitia non adeo in integrum, ut hodie fieri solet, subterfugiebant, neque omnem suum appetitum in Caffée locabant.

Ipse-

Ipsemet ego vitæ adeo modernæ vir, ut vix virilem attigerim ætatem, satis memini morbum hunc, dum severiorem adhuc vitam adolescentulæ nostræ degere cogerentur, minus fuisse frequentem. Imo hodieque Tiguri v. g. atque Basileæ, ubi mercaturæ operam navando strenue corpora exercent puellæ, minus morbis ejusmodi desidiosis tentantur. Adeo verum est, morbos plerosque nisi omnes nostra fieri culpa; perpaucos esse, si ullos, qui Diæta sanari recusent.

15. Sicuti vix ulli Genti quam Helvetiorum fertilior coitus, ita e quo negligi cœperunt antiquis Helvetiis cum Germanis communes circa matrimonium cautelæ, adulterari quoque cœpit natorum vigor.

De his cautelis ita *Cornel. Tacitus* de Moribus Germanorum. „Sera Juvenum venus eoque inexhausta pubertas. Nec „virgines festinantur. Eadem juventa, similis proceritas. Pa„res validæque miscentur, ac robora parentum liberi referunt.

16. A quibus causis viris inter Ruricolas frequentes fiunt herniæ; ab iisdem fere in mulieribus abortus, a quo tamen convenienti saltem motus regimine facillime præservantur.

17. Sicuti vix ullibi locorum frequentiores & copiosiores offendi hæmorrhagias a partu, aut etiam ipso gestationis tempore, quam hic Neocomi, ubi nunc dego, (quod tribuere soleo nitro copioso, quo vina atque alimenta ibidem nascentia turgent) ita facillime posset præveniri abstinentia, & venæ sectione, durante gestationis tempore frequentius instituta, quam vulgo fieri solet.

18. Quemadmodum de mulieribus Helvetiorum non minus vere prædicari potest, quam de mulieribus Hebræorum, quod sibi & naturæ suæ conatibus relictæ ut plurimum vel sine obstetricum adjumento possent eniti; ita festinationem obstetricum atque Chirurgorum, ad Galliæ imitationem ad partum vocatorum, non semel tantum funestam observavi, maxime ob supervenientes modo dictas hæmorrhagias, quæ quidem nonnunquam adeo sunt subitaneæ, ut ægras jugulent priusquam vel de remedio liceat cogitare.

19. Sicu-

19. Sicuti mulieres Helveticæ Germanicæ (illæ inquam, quæ lingua Germanica utuntur) præmatura & nimia lacticiniorum, præsertim vero pultis ingurgitatione, infantibus suis tormina atque flatus solent concitare: ita Gallicæ prærnatura carnium exhibitione alunt lumbricos, & viro febres accendunt biliosas, quætamen plerumque critica quadam scabie feliciter terminantur: cave autem variolas; quæ infantes hac ratione nutritos fere semper funesta diarrhæa solent jugulare; caute etiam & insidiose potius quam in faciem incesse lumbricos, qui carnibus assueti, nonnisi cum periculo ægrotulorum aguntur in rabiem, quam exerere solent in tenella instina, ea perforando antequam lethales aculeos medicaminum vi liceat obtundere.

20. Scorbutum aut saltem symptomata scorbutica in varii generis morbis haud multo infrequentiora inveni in regionibus Helvetiæ, quam esse solent in Belgio v. g. aut regionibus Borealibus. Observavi autem volatilia concentratiora in iisdem minus feliciter exhiberi in climate nostro, quam in illis, quæ magis sunt versus septentrionem; temperata da, aut saltem volatilia dilue, ubi illis carere non potes.

21. Qui pleuritides novit sanare, hydropes, colicas aliosque morbos aut dolores spasmodicos, dimidium saltem pensi in curandis *Alpicolis* & *Galactophagis* absolvit.

22. Qui crapulæ apte scit mederi, is inter Practicos *urbium Helveticarum* profecto semper & ubique haud postremum occupabit locum, quod quidem nemo causæ ignarus ipsi nationi tanto vertet vitio: neque enim potissimum nobis hic sermo est de sordida illa & crassa crapula, qua homo brutis fit inferior; sed saltem de honesta quadam libidine, quam natura atque Ratio si non probant, attamen tolerant. Certum, est aërem nostri Climatis appetitum stimulare: cui dum incaute satisfacimus (ecquis enim semper cum trutina mensæ accumberet) neque postea magis attente iis vacamus, quæ ad promovendam digestionem spectant, sed forsan maximam temporis partem terimus inter lusus atque compotationes, quid mirum si acerventur crudirates ex alimen-

tis

tis, quæ per se satis nutriunt, uti quidem nostrorum pleraque solent facere?

23. Helvetiorum plerique temperamento sunt Melancholico-Sanguineo. His numero succedunt fere sanguinei proprie sic dicti; sequuntur Cholerici: Phlegmatici autem exquisiti fere non dantur, nisi Diætæ vitio. Habitu corporis sunt toroso magis, robusto & firmo, quam promto aut agili, licet reperias aliquot, quos cultura omnino agiles reddidit. Staturæ paulo infra proceram, si peculiares aliquot excipias districtus, præcipue circa urbem Sancti Galli, ubi quam plurimos invenies infra mediam subsistentes staturam, forsan quia texturæ opificio nimis vacant. Ita *Incolæ montis S. Beati* prope oppidum Thunditionis Bernensis fere omnes sunt exilis staturæ, sed compactæ quasi & quadratæ, quia omni pene ob præcipitem viarum scabritiem jumentorum vectura privati, ipsimet austeræ suæ vitæ necessitates bajulando hinc illinc transferunt. Ingenio Helvetios carere qui scribunt, ipsimet Helvetiorum Helleborum non gustarunt; non quidem promicat in illis, fateor, fulgurans ille conversationis lepos, quo vicini pollent Galli & suo modo Germani, neque cum nativo ipsorum candore (aut saltem hujus reliquiis) versipellis Europæorum cultiorum astuties probe quadrat; ast qui se suaque bona norunt Helvetii, facile se vicissim in vita civili spectabiles reddent gravi dexteritate judicii, quo tanquam scuto solido haud adeo est difficile, dummodo jungas vigilantiam, excipere astutiorum tela. Porro Helvetiorum ingenia scientiarum cores non respuere, felix sæculorum aliquot experientia Reipublicæ Litterariæ satis probavit: tandem si in re tam difficilis decisionis tenellum propriarum observationum lumen liceat afferre, sane nulla mihi contigit, quæ me coëgisset recedere ab illa opinione, in qua dudum fui, nimirum (sit venia dicto, quod veritas invito extorquet) plurima inter Helvetios hodie reperiri ingenia otio torpentia, stupida pauciſſima.

24. Egregie profecto & verissime Magnus ille *Baco in Historia sua vitæ & mortis*, pro canone statuit curationem morborum

borum temporariis egere Medicinis; at longævitatem vitæ expectandam esse a Diætis. Sed inter omnis ætatis Diætas, illa potissimum huc spectat, quam in adolescentia tenemus. Hæc enim proprie illa est, a qua dependet corporis & robur & soliditas. Qui hanc molliter transigunt ætatem, nunquam firmam acquirent senectutem. Ita v. g. vix unquam vir militiæ aut rei rusticæ labores perferet, qui trigesimum inter molles urbium delicias attigit ætatis annum, neque vicissim durant inter hos, qui in nimium tenero ætatis flore ad eos tracti fuerunt, quod de Helvetiis præcipue notandum. Memini occasione hujus diætæ, specialis observationis, quam feci in incolis aliquot pauperculis pagorum vicinorum Bernæ, qui adoleverunt in magna illa annonæ caritate, quæ duravit ab anno 1690. usque ad annum 94. circiter. Hi cum diram cogerentur perpeti famem, vix ullus eorum ante trigesimum ætatis annum adolevit. Hodie tandem adulti præteritarum molestiarum effectus manifesto adhuc sentiunt: habitu enim corporis & facie Sabaudos potius referunt aut Hispanos, quam Helvetios; facilius quoque vicinis suis inediam ferunt, adeo ut malint hanc perpeti nycthemeri aut bidui spatio, quam assiduo labore sufficientem conquirere panis quotidiani copiam. Tanta est vis consuetudinis, quæ acquiritur in hac ætate. Porro alios offendi quinquagenarios aut sexagenarios, in laboribus rusticis aut cultura agri citius aliis fatiscentes, & malentes panem quærere mendicando, quam laborando. Primo quidem soli pigritiæ, aliorum more hoc attribui, & in pluribus pigritiæ effectum esse deprehendi, in aliis profecto non item, quos pulsus post labores exilis & sudores frigidi exhaustarum virium signa pathognomonica ab inertiæ ignominia vindicabant. Hi autem omnes adolescentiam transegerunt in egestate. Merebetur sane observatio hæc attentionem Magistratuum, non tantum ratione Charitatis, sed & ratione Politiæ; quatenus Adolescentum quantitate augetur subditorum numerus, qui vix tertia aut quarta ætatis suæ parte Reipublicæ inservire apti sunt, reliquo toto miseræ vitæ suæ tempore inutili sarcina illam onerant.

LIB. I. Cap. 15. §. 3, Liceat mihi saltem animi gratia & in transitu examinare analogiam inter aërem Romanum & Novi-Castrensem, quæ sane non est exigua. Aër Novi-Castrensis collibus undique intercluſus, nisi qua versus Meridiem lacus pater, natura ut ut acris, humidus tamen est & gravis, potissimum flante Austro, cujus humiditati arcendæ pauciſſimi ædium expositarum parietes sufficiunt. Gravitas maxime in stratis, quæ juxta ripam lacus vineas disterminant, percipitur. Salibus vitriolicis & aluminosis refertum arguunt plantæ, saxorum friabilitas, facilis vinetorum proventus & potiſſimum scaturiginum vitriolico martialium abundantia. Insaluberrimis austri Africi, atque Euronoti flatibus obnoxius, ab æstivis caloribus ultra morem reliquæ Helvetiæ exardescit, unde in tota Helvetia fere solus viperarum ferax est; pestilens procul dubio futurus, nisi quotidie fere sub vesperam a Borea Jurano (a monte Jura, a quo devolvitur quasi, sic dicto) repurgaretur, unde de hoc climate idem pene, quod de Austriaco prædicare liceat; nimirum aut ventosum illud esse aut venenosum. Incolæ urbis temperamento præditi sunt ut plurimum melancholico, minus tamen quam vicini Bernates, subfusco magis quam modo dicti vicini, & nonnulli subpallido cutis colore, habitu corporis pariter magis macilento quam accolæ præfati Bernenses; levi de causa capite afficiuntur, & iis potiſſimum subjacent morbis, quos aëris gravitas solet producere, quales sunt pulmonis vitia, febres malignæ, cachexiæ & pallores vultus (maxime in virginibus) incubus, tabes & consimiles. Porro aër Novi-Castrensis squalidus & insalubris magis est iis in anguſtiis & montium faucibus, quæ pigro atque immoto aëre sordescunt aut exhalationibus subjacent, quas saxorum rudera aut cryptæ naturales frequentiſſimæ emittunt.

Insalubritatem hanc, (nam & optimum aërem aliqua sui parte insalubrem esse quis neget?) urbani aëris fovet magna ex parte adjacens Nuithonia, quæ undiquaque corona montium circumcingitur, excepto tractu non admodum lato, quo ab oriente & occidente in planities paludosas desinit. In his autem pla-

nitiebus utrinque insaluberrimus observatur aër, exeunte præsertim vere, utpote circa Ebrodunum, Landeronem &c. quorum oppidorum Incolæ hac anni statione frequentissime corripiuntur maligna febre sui generis, & ab aliis febribus alias agnoscentibus causas summopere differenti, tam in methodo curativa quam in aliis symptomatis eandem concomitantibus; cum enim coagulationis signa in eadem appareant, observamus usum vesicantium & alexipharmacorum eidem summopere prodesse, sanguinis missionem contra esse quam maxime perniciosam. Cibi, qui in Novi-castrensi solo nascuntur (montoso puta) olera præcipue, fructus horæi, legumina ipsumque adeo triticum, nutrimenti sunt minus solidi, quam in vicina Helvetia Germanica; unde Massam sanguinis reddunt aliquantum vappidiorem & habitum corporis minus torosum. Ob hanc aëris humorumque constitutionem Incolæ Novicastrenses non æque voraci sunt appetitu ac reliqui Helvetii ipsorum vicini; estque constans sanio-rum & ætate provectiorum inter ipsos virorum traditio, se minus morbis obnoxios esse, e quo frugalius vivere cœperunt & comessationibus compotationibusque minus indulgere; præcipue autem pleuritides abhinc multum esse infrequentiores. Sane ipsemet expertus sum, oportere ex delicatioribus illos, qui laute prandere consueverunt, cœnam valde sobriam, & quæ libræ saltem medicæ pondus non excedat, instituere, & vesperi inprimis a carnium esu abstinere, ni cruditatibus & pravis humorum collectionibus ansam dare velint indelebilem. Iisdem inter cætera apprime conducit exercitatio, horis potissimum matutinis atque vespertinis, (cavendo tamen a gelido supra memorato vento Jurano) utpote quibus coctio ciborum peracta jam est, & secretio puri ab impuro incipit absolvi: experimento namque constat, quod si post lautius prandium non instituatur vesperi necessaria corporis exercitatio, gravitates capitis, lassitudines membrorum, labores circa hypochondria, cruditates, mærores insueti & reliqua hujus generis superveniant. Cum igitur aër ob innatam suam gravitatem parum conferat ciborum coctioni humo-

humorumque volatiliſationi, eos qui copioſis ciborum indigeſtionibus absque noxa indulgere cupient, vel multum exerceri, vel alvum bis terque in dies ſolutam habere oporte, ſiquidem uſu conſtat, cos præ cæteris cives bona frui valetudine, qui & ſobrii ſunt & alvo ſingulis diebus bene ſecedunt.

Ab Hygiæteticis hiſce obſervatis deſcendendum breviter ad Pathologica, id eſt ad ea, quæ ſpeciatim obſervamus in ægris circa remediorum uſum & medendi methodum. Incolæ urbis non adeo facile ferunt medicamenta ſpirituoſa & magnæ activitatis, qualia ſunt ſalia volatilia, ſpiritus, & in genere medicamenta multum aromatica aut acria, ab horum uſu non ſolum offenditur caput cum doloroſa gravitate & inſignibus nervorum affectionibus, verum etiam in ipſis viſceribus naturalibus tenſiones, ardores alvi, ſiccitates &c. excitantur; ſi tamen morbi alicujus indoles talia remedia omnino poſtulet; ſolemus ea, ne præfata incommoda inducant, diluentibus unctuoſis aliisque nimiam ipſorum activitatem reprimentibus temperare, quo pacto votis noſtris optime reſpondent. Porro remedia illa e genere ſpirituoſorum, quæ aliqua unctuoſitate ſimul pollent, & in primis liquor noſter vegetativus, ſive ſal volatile oleoſum temperatum, præ aliis ſolent eſſe felicia. Emetica vehementia nonniſi in extremis ſoleo præſcribere, & cum maximo delectu, ob gravia quæ nonnunquam ſequuntur ſymptomata: Idem dictum eſto de fortioribus purgantibus. In genere purgantia forma pilulari exhibita, hic terrarum non æque copioſe aut feliciter ventrem ſolvunt, quam forma potabili, cum tamen iis carere non poſſimus, incipiente eorumdem operatione, ſerum lactis aut juſcula copioſis atque frequentibus hauſtibus ſumenda imperare ſoleo, quæ non ſolum purgationem citius abſolvunt, ſed & diluendo omnia inhibent ſymptomata, quæ alias a purgantibus ſolent produci, ſitim nempe, tenſiones & labores hypochondriorum, nauſeam, vigilias ſubſequentes, ardores internos &c.

Sed ut rem breviter contrahamus, a nullo remediorum genere tantam percipiunt utilitatem Incolæ Novi-caſtrenſes, quan-

tam ab exercitio & prudenter repetito lenium purgantium usu. Quod mecum pensitans, ad imitationem Doctissimi Petronii comporere soleo Electuarium quoddam laxans, familiare mihi dictum, quod cum solum fere sit inter Electuaria purgantia fermentationis expers, mire hypochondriacis & Arthriticis nostris conducit hebdomadatim aut menstruatim, pro re nata, exhibitum. Idem modo memoratus Petronius elapso sæculo nobile dedit opus de victu Romanorum, in quo postquam aëris, aquarum, alimentorumque hujus Climatis commoda & incommoda varia diligenter adnotavit, quamplurima alia scitu digna circa medendi methodum & remediorum usum in curandis Romanorum morbis proposuit, quæ in hoc climate perfecte liceat imitari: inprimis huc trahi meretur, quod asserit se diuturna edoctum experientia observasse, tres potissimum esse morbos, qui Incolas Romæ perpetuo fere afficiant, scilicet continuam quandam capitis gravitatem, sive ut ipse ait, Capi plenium; secundo membrorum lassitudinem, & tertio alvi siccitatem. E quibus omnibus deducimus aëris gravitatem crassitiemque, nec non humorum inertiam & vappiditatem, ob vitriolicas & aluminosas particulas iisdem nimium adjunctas hic æque ac Romæ regnare. Postremo & id notandum, quod Helvetii omnes cum Romanis commune habent, ulcera nempe pedum fere incurabilia, ut & vulnera, præsertim si unguentariis urantur præsidiis; cum e contra morbi hi aut symptomata in capite facillime soleant sanari. Contrarium plane Gallis contingere, unanimis est expertorum sententia.

Prax. Med. Lib. II. c. 7. Desideratis in Arte nostra adjungo Historiam Certorum & Incertorum in Medicina, cujus Diatyposis hæc est:

Prolegomena de *Vero* & *Falso*, certo & incerto in genere, ejusque discernendi methodo.

De *Fontibus certitudinis*, Medicæ nimirum Exploratione per sensus, Demonstratione Mechanica & experientia constanti.

Exem-

Exempla ſingulorum.

De fontibus Incertitudinis Medicæ, Exploration is defectu, conſequentia falſa, hypotheſi, Experientia deſultoria & autho. ritatis idolo. Exempla ſingulorum antiqua & moderna.

De Certorum aut Incertorum differentiis & diviſione in talia, quæ certa ſunt aut incerta ſemper ubique & in omni ſubjecto, ac talia, quæ certa ſunt aut incerta aliquando tantum alicubi & in certis quibusdam ſubjectis. Exempla.

De Certis & Incertis Medicinæ per ſingulas ejusdem partes.

De certis & Incertis Phyſiologiæ, quorum illa ſunt potiſſimum, quæ ſenſibus patent & ſubjiciuntur, partium nempe magnitudo, numerus, figura, ſitus & motus; hæc vero nonniſi mentis acie attinguntur, v. g. Doctrina de Principiis & Elementis; item nonnulla circa uſum & functiones partium. Singulorum Enumeratio & Hiſtoria.

De Certis & Incertis Pathologicis, quorum hæc plerumque fixa ſunt in Doctrina de cauſis morborum maxime proxima & primo-prima, ut in ſcholis loqui ſolent; illa in Doctrina de Parte affecta & ſymptomatis, quæ ſenſibus apprime patent.

De Certis & Incertis Semejoticis, ubi in tranſitu demonſtratur, ſigna prognoſtica non minoris eſſe certitudinis, quam diagnoſtica, habito acris judicii delectu.

De Certis & Incertis, quæ ad Hygieinem ſpectant, ſive doctrinam de Conſervatione ſanitatis; quorum illa maximam partem reperiuntur in Doctrina de æquilibrio & uſu ſex rerum non naturalium juxta quantitatem, cujus ſchema v. g. nobis dedit Sanctorius in aureo ſuo de Medicina Statica libello, hæc in inquiſitione qualitatum aëris, nutrimentorum &c.

De Certis & Incertis *Therapeuticis*, eorumque inveſtigandorum ratione per ſerium Regularum Practicarum examen, ex Hippocratis aliorumque probabiliorum experientia.

De Certis & Incertis *Pharmaceuticis*, tam quoad ſimplicia, quam quoad præparata & compoſita,

De Certis & Incertis Chirurgicis; ubi in transitu evitur quæstio, an tanta sit Certitudinis Chirurgicæ prærogativa supra Certitudinem Medicinalem, quam vulgo putatur?

Nota ad Man. Bagliv. L. I. c. 15.

Pestilentem olim fuisse aërem Novi-castrensem, referente Rev. D. Choupard, V. D.M. docent hujus urbis Annales; salubrior autem fieri cœpit, e quo nemorum, sylvarumque extirpatio liberam ipsi concedit ventilationem atque purgationem.

Prax. Med. Bagliv. L. I. c. 9. de Apoplexia.

Inter signa prognostica Apoplexiæ haud postremum illud est, quod petitur a commercio mutuo inter cor & cerebrum. Quamdiu enim cerebrum solum opprimitur cum appendicibus aliquot particularibus nervorum linguæ, artuum &c. vegeto interim corde, omnino spes aliqua servandi per excitantia, evacuantia, revellentia &c. ægroti supersest inter continuum cordis nisum. Quando autem cor statim profunde affectum e pulsu exili, frigore extremorum &c. percipis, mortem præ foribus esse, audacter potes asseverare, prout inter alia exempla manifesto vidi in D. Pastore Prince de S. Blaise & Perochet Mercatore Neocomensi, quibus in vitam revocandis profecto neque vomitoria, neque venæ sectiones neque medicamenta spirituosissima paria fuere. Neque mirum. Quomodo enim novi generarentur spiritus, deficiente sanguinis circuitu? Quis esset excitantium atque vomitoriorum usus, affecto & alte obstructo nervorum pari octavo sive vago, quod spiritus per pectus & abdomen distribuit? Quænam denique medicamenta pertingerent ad omnes paris hujus radices atque propagines?

Ibidem ad Observationem Vallesii de pulsu magno Lethargicorum. Idem observavi ego Neocomi in persona D. J. J. Consiliarii Regii, defuncti mense Martio MDCCXIII.

QUA-

QUADRAGINTA
Circiter
OPERATIONES CHIRURGICAE
Quas
OCULIS LABORANTIBUS
administrat
docetque
In Collegio, vulgo dicto de l' Ave Maria juxta Eccles. Parochialem St. Stephani de Monte, adjunctam Abbatiae St. Genovefae in Vniversitate Parisiensi,
Dn. de Vuoolhouse, Prosapia Nobilis Anglo-Londinensis, Jacobi Secundi Anglorum quondam Regis Ophthalmiater, jam XXVII. Ann. degens Lut. Paris.

NOtet bene Candidus Lector, observetque, quod omnes & singuli articuli cruce sic insigniti † operationes ab ipso Vuoolhusio primum adinventas, aut saltem denuo renovatas, designant; cæteras vero chirurgiæ hujus subtilis species, seu ex Patre didicit Vuoolhousius (ipse vero etiam Vuoolhousii Pater editus fuit atavis ophthalmicis) sive alibi a Medicis & Chirurgis Ocularíis ubique terrarum Celeberrimis, edoctus multo labore, magnoque dispendio addidicit, accepitque Vuoolhousius hic noster

Oculus non potest dicere manui:
opera tua non indigeo.
1. Cor. XII. 21.

Cap. I.

Cap. I.

UNgulæ exciſio, & ſublatio, ſive oculi pellicula quadam externe laborantis (quam Græci pterygion nominarunt) detectio, ſeu extricatio. Galli (taye) nominant hunc morbum, qui (tela) latine dicitur, unde (toile) nomen Synonymum in linguam Galliæ vernaculam derivatur: Anglice etiam nomen (Web) quæ vox quoque latine tela ſonat, aliquando pro hoc morbo uſurpatur: aliquando & ſumitur (æque ac voces iſtæ Gallicanæ) pro caligine oculi, ſive exterius in cornea hærente, ſive interius in humore aqueo, ſita, & communiter ſuffuſio dicta ſeu cataracta innaſcens, quæ ſubapparet in modum telæ Araneæ. Ungula vero eſt excreſcentia quædam albicans & membranoſa, quæ ſenſim fit poſt plurimos annos, ex anaſtomoſi ſeu diapedeſi fibrarum adnatæ (lympha acriori corroſarum) quæ ſemper in declive ad puncta lachrymalia provecta, ibi impeditur a fibrillis productio & ſeſe earum ſucco miſcens nutritio, tandem abit in nervoſam quandam membranulam, conſimilis cum adnata coloris: Super corneam vero demum repangitur hoc corpus extraneum, plerumque in cantho majori (ex caruncula lacrymali prognatum) rarius in angulo minori, aliquoties autem ſubter hanc, aut illam palpebram, habens formam & colorem unguis humani, (vel ſicut volunt alii) ungulam beſtiæ bifidam referens forma, duricie ac colore. Græci appellarunt πτερυγοτόμον, inſtrumentum huic operationi dicatum. Hinc ſcire lubet, quod ungula & unguis duo ſunt multum inter ſe diverſi morbi ocularii. Unguis enim (ſive onyx ὄνυξ) eſt apud ophthalmicos, interna ipſius tunicæ corneæ ſuppuratio & abſceſſus ex parte, quem tum remediis diaphoreticis, 2 † tum inciſuris quibusdam ſubtiliſſimis, (corneæ lamellis plus minus inflictis ſecundum puris profunditatem) perſanat hic noſter Vuoolhouſius.

Unguis autem neglectus omnino, vel perperam tractatus, conflat tandem albuginem, Græcis dictam hypoulon, helcos, ὑπώλιον, ἕλκος, vel λεύκωμα, & Celſo ulcus ſupercreſcens; aliis ulcus ſubnaſcens, aliis cicatrix ſupereminens (maille gallice) Gale-

nus in Definit. dicit, quod Leucoma est cicatrix crassior & profundior, ab ulceratione: & Paulus Ægineta scribit, altiores cicatrices nominari Leucomata. Caeterum albugo est pus concretum intra tunicæ corneæ pelliculas, super iridem quod tandem in margaritæ resplendentis convexitatem prominet, ac quibusdam authoribus paralampsis παραλάμπσις appellatur. Sed differt Leucoma ab ἀλὴ, vel cicatrice, quod hæc solum oculi nigro seu pupillæ, illa circulo variegato, vel circumferentiæ Iridis oculi accidit. Differt etiam ab αἰγὶς sive αἰγίας aut αἰχλίη Hippocratis, eo quod αἰγὶς sit concretio albicans, & superficiaria materiæ viscidæ vel excrementi grannosi, super corneam inhærentis, externæ, atque ideo satis curabilis: aliis cicatrix subalbicans, aliis calx, seu albula, aliis cataracta externa appellatur; Calvus guttam albam nominat: quinimo Leucoma Tobiæ Senioris malum ocularium fuit, atque nullis est remediis curabile. Quod si volunt Theologi quidam, Tobiæ curam (a St. Raphaële Archangelo factam) non fuisse miraculosam, oportebit adhuc distinguere Leucoma in internum (incurabile) atque in externum, remediis propriis penitus cedens, quod idem erit atque αἰγὶς, aigias aut αἰγλίη Hippocratis: nihil autem obstat, quominus ista albugo aut albula Senioris Tobiæ sit vere externa; nam proveniebat ab avicularum stercore calido in oculos apertos illapso, & corneæ poros rectos obstruente, inurente, & corrodente, pro quibus accidentibus fella animalium, utpote specificæ virtutis, ab authoribus passim laudantur. Verum enim vero si Antonio Magistro Johanniculo admodum sum contrarius in his definiendis malis, saltem non est novitatis pruriginosæ gratia: erravit enim tota via Magister noster Antonius de his morbis, sicut videre est pag. 417. libri sui: Sed tempus jam est, ut redeamus ad ungulam.

Distinguitur porro ungula a panniculo seu panno, qui est aliud genus operimenti, carneum, rubrum, inflammatorium, vasculosum, (Sebel communiter dictum nomine Arabico) venis, arteriisque plurimis intertextum & refertum, semper a carunculæ lachrymali subortum, & paulatim serpens per totam bul-

bi fa-

bi faciem anteriorem, dolores satis molestos inferens, corneam ipsam non solum instruit ac obducit vasis suis capillaribus, sed etiam intimius penetrat, & perrepit, adeo ut hæc quoque oculi tunica transparens, ex pellucida plus minus rubescat, & opacetur. ʒ. † In hoc affectu Medicus noster ocularius venasque & arterias adventitias & factitias plane dissecat, & sic sanguinem copiose ex oculo mittit, plurimis simul in locis, usquedum flaccesserint, subsiderint, & evanuerint vascula hæc præternaturalia. Pannus vero plerumque hoc modo dispergitur, destruitur, perfundatur, nisi forte varicibus quibusdam insignitus, symptomata exhibet malignitatis, & carcinomatis (ut aliquoties accidit) naturam; atque tunc ocularius noster malum penitus inurit, (vid. cap. 25.) specillo non admodum candenti, sicut edocuit Cous senex libello suo (περὶ ὄψιος) de Visu, seu Oculo. Notatu vero dignum est, quod Magister Antonius (Maitre-Jean) huius phlebophthalmotomiæ nescius, (licet in Ephemeridibus Gallicis anno 1696. memoratæ) ei substituit siccum collyrium, in quo cum aliis commiscetur pulvis crystalli, cujus angulis acuminatis excoriari, comminui & absumi possint corpora hæc extranea, vid. Tractatum Gallicum de oculi morbis (par Monsr. Antoine Maitre-Jean) pag. 424. Pace vero Magistri Antonii, crediderim has tenues cuspides crystallinas ipsam corneam posse peredere, aut saltem illam, (æque ac conjunctivam) adeo posse perturbare, irritare, & compungere, ut corneæ pelluciditas ab eo offundi, & vel destrui etiam possit, atque conjunctiva maxime inflammari, præsertim cum & ipse Vuoolhousius observaverit sacchari candidi pulvillum (licet inpalpabilem) cæterosque id genus pulveres insperfiles usitatissimos & minus nocuos, pupillæ tandem induxisse caligines, nubeculas, albugines, cicatriculas, cæterosque corneæ rebelles affectus. Idem Author Antonius Maitre-Jean eodem capite pag. 429. declarat se duas solum panni seu sebel operationes perfeciſſe, cum jam librum suum in lucem ederet, se vero in his operationibus fluxionem sanguinis in oculo pulvere quodam astringenti inhibuisse. Si autem Dominus Magister Antonius (Maitre-Jean) hanc sæpius exercuisset

operationem, non amplius sanguinem cohibuisset in hac chirurgia, cum vero cessare ultro permisisset, plurima enim visui infert incommoda sanguis hic cohibitus, & capillaribus vasculis retropulsus, & repressus, aliquando in formationem novi panniculi, sicut Vuoolhousius aliquando observavit, atque ideo in omnibus his casibus, sanguinem ex oculo detrahi jubet Hippo-
„crates, usque dum non amplius sanguis splendidus exit, sed sa-
„nies cruenta & aquosa. vid. Hippocratis libellum de Visu.

Est etiam operæ pretium obiter notare, quod nullus usquam Hippocratis Glossarius nec Commentarius vim naturalem sensumque genuinum adhuc perceperit & exposuerit hujusce paragraphi, ubi admirabilis hæc operatio (Europæis jam dudum perdita, & Asiaticis hodie usitata) describitur. Van der Linden meus locum sic latine explicat.

„Quum vero palpebras oculi raseris, lana milesia, crispa, pura, circum fusum obvoluta, radito, ipsam oculi coronam vitando, ut ne ad cartilaginem usque peruras. Signum autem sufficientis rasuræ est &c. Græce ita se habet:

Ὅταν δὲ ξύῃς βλέφαρα ὀφθαλμοῦ, ξύειν εἰρίῳ μιλησίῳ ἄλῳ καθαρῷ περὶ ἄτρακτον περιειλῶν αὐτὴν, τὴν ςεφάνην τοῦ ὀφθαλμοῦ φυλασσόμενος μὴ διακάυσῃς πρὸς τὸν κόνδρον: σημεῖον δὲ ὅταν ἀπόχρη τῆς ξύσιος, ὅκ ἔτι λαμπρὸν αἷμα ἐξέρχεται, ἀλλὰ ἰχὼρ αἱματώδης ἢ ὑδατώδης.

Cæteri etiam omnes Interpretes pro ἄτρακτον, fusum exponunt, quod nunc dierum obsoletum, insulsum, & absurdum omnino est; tempore autem, quo florebat adhuc Hippocrates, nihil clarius, & emendatius dictum fuit, illo enim tempore atractylis, (cardui species aculeati) pro fuso agresti erat, atque ideo jubet Hippocrates illo uti ad specificam oculi scarificationem: cum autem fusus hodie alius quidem longe est, quam fuit illis diebus, loco fusi oporteret carduum atractylem dicere, instrumentum vere idoneum ad incidendum & scarificandum. Lanæ vero istius Milesiæ usus non erat solum, ut obstaret, quominus cardui spicula justo profundius oculum subintrent, sed ut ne digitos Chirurgi intimius pungant.

Nunc ad panniculum revertamur, dicamusque si quæ supersint

perſint adhuc bujus operculi relliquiæ fibroſæ, eodem quaſi tunc demum procedendum eſſe modo ac in Ungula; 5. pannique hujuſce tum inſtitui debere diſſectionem particularem & detractionem Anatomicam, caruncularam lacrymalem cautius vitando, ne comminuta hæc, punctum lacrymale ſuperius areſcat tandem, & omnino claudatur, & obſtruatur: caruncula enim hæc eſt ſicut agger, ad elevandam, evehendam & promovendam his binis oſculis lympham lacrymalem, atque ideo Vereres in deperditione ſubſtantiæ hujus carunculæ, quam in homine lacrymalem glandulam falſo putaverunt, morbum oculi, Rhyada nominatum, poſuerunt, cauſam pro effectu ſumentes: quod ſi foramina hæc lacrymalia non ſufficiant ad omnem abſorbendam lympham, quæ filtratur præter naturam a glandula vera lacrymali, (innominata olim dicta & in palpebra ſuperiore locata) tunc regurgitat, redundat, & ſuper genas plus minus fluit, ac refunditur lacrymalis lympha, & epiphora morbus dicitur, qui fit propter relaxationem vaſorum hydroblepharicorum glandulæ innominatæ; ſumunt vero hoc malum ignari pro fiſtula lacrymali, in Diagnoſi graviter errantes, ſicut poſthac in articulo de fiſtula lacrymoſa videbitur.

Oportet etiam panniculum hunc rubrum, ſanguineumque dignoſcere a morbo, quem Galenus Petiam, Avicenna alchadi, alii maculam rubeam, aliquot Veteres cruſtulam Sanguinis, & Græci νεφέλην αἱματώδην appellant: eſt vero hic affectus aliqualis vivida ſuffuſio aut tinctura ſanguinis in ſuperficie poroſa conjunctivæ inhærens, absque dolore, aliisve ſymptomatibus malis, ſubito etiam oritur, & cito absque ullis diſſipatur remediis, vanum timorem incutiens inſciis curamque inutilem exigens ob informe ſpectaculum incogniti mali, quod efficitur ab alicujus vaſis capillaris in adnata diſruptione.

Diſcriminantur denuo hi morbi ab hypoſphagmate ſive haimalopia, & ſugillatione oculi (ecchymomatis ſpecie) quæ provenit a contuſione & ruptura interiori quorundam vaſorum ſanguineorum, vi & dolore illata. Græci aliquot malum nominarunt hypochyſin, haimatoden; Dioſcorides ὑποδρομὴν αἱματὸν,

Avicen-

Avicennas Tarfathi, tarfe ſeu tarfen appellat; Galenus (lib. 4. topic.) nominat hunc affectum ὑποπίες ὀφθαλμές oculos ſuffuſos ſanguine; & Paulus Ægineta ὑποπόιες, ſanguine ſuffuſos, quæ duo vocabula aliud longe ſignificant quam ὑποπύες, id eſt purulentos, aut oculos hypopyo laborantes vel ſuppuratos.

Hæ porro Ægritudines diſtinguuntur ab omnibus ophthalmiæ ſpeciebus, ſive ophthalmia ſimplex ſit, ſive compoſita, ſeu continua, ſeu periodica, ſeu critica, ſeu ſymptomatica, ſeu ſcrophuloſa, ſeu venerea &c. Ophthalmiæ autem ſedes primaria eſt in conjunctiva ſeu albo oculi, cum rubore intenſo, dolore moleſto, fluentibus lacrymis, pertinaci vaſculorum ſanguineorum quaqua-verſum repletione, temporum pulſatione, capitis dolore, viſus impotentia &c.

Denique oportet hæc mala ophthalmica dignoſcere ab encauthide, quæ eſt ipſius carunculæ lacrymalis incrementum & intumeſcentia phlegmonoſa (morboRhyadi perquam contraria) oculum operiens & opprimens magna ex parte in modum membranæ iſtius nictatricis, ſeu palpebræ beſtiarum internæ, in cantho naſali ſitæ. 6. † Scarificat vero, & attenuat, abraditque ipſam carunculam ita auctam, productamque Vuoolhouſius, Xyſtri ſui ſubtilis acunculis, poſteaque collyrio aſtringenti, deterſivo & deſiccativo priſtinam fibris tenſionem reſtituit: in plerisque etiam aliis oculi gravibus affectibus 7. † ſcalpro hoc ſuo delicatulo mirifice bulbum ocularium interpolat, interſtinctum frequentibus interpunctionibus & inciſuris minutiſſimis, ſanguinemque corruptum ſtagnantemque inde detrahit noſter ophthalmiater Anglicanus: quæ operatio a phlebophthalmotomia Vuoolhouſii multum diverſa viſum magnopere recreat, & multorum malorum cauſam præripit, præciditque.

Cap. II.

†Exfoliatio, clarificatio, erogatio, & redintegratio tunicæ corneæ grano morbillorum, ſeu exanthematum laborantis vel hypoulo & ulcere ſubnaſcente, cæcoque ſeu Leucomate & albugine recenter apparentibus, ſicut & velis, nubeculis, nebulis, omni-

omnibusque maculis & cruſtis albis, cæterisque corneæ obſtructionibus, opacitatibus, & ulcuſculis atque cicatriculis cujuscunque generis, ſaltem in juvenibus accreſcentibus tam maſculis, quam femellis, qui non jam jam in oculum cauſtici aliquid & nimis aſtringentis remedii admiſerint, quod reddit malum prorſus immedicabile.

Cap. III.

†Repreſſio & reſtrictio, repoſitio vel repulſio tunicæ uveæ prolapſæ in omnibus ſtaphylomatis ſpeciebus; atque reductio herniæ ocularіæ recentis (cum viſus reſtauratione) in infantibus, aliisque omnibus, qui ad annos pubertatis nondum pervenerunt: iſta vero hernia ocularia, malum eſt adhuc pene incognitum, & conſiſtit in corneæ relaxatione quadam & protuberantia, contraque naturam protenſione & in tunicæ uveæ mollificatione & ſtrangulatione (ad inſtar glandis quercinæ in proprio calice,) ipſique corneæ adhæſione, absque vero ulla corneæ ruptura, aut perforatione, uti communiter ſolet accidere in omnibus ſtaphylomatis ſpeciebus, ſeu malum appareat in forma capitis muſcæ, ſeu in forma acini, ſeu in forma ſummitatis clavi, ſeu mori, certo autem elapſo tempore, nulla huic morbo ſolutæ continuitatis, curatio, præterquam palliativa reperitur. item

† Inhibitio, Emendatio, Reformatio, refectio, reſumptio difformitatis ocularіæ, quam nominare licebit oculum gibbum ſeu corneam, (& aliquoties ſcleroticam ipſam) incurvatam, relaxatam disruptam, & prominentem vel (ſecundum Veteres) melon, eſt malum, quando Cornea vel ſclerotica (cum adnata) protruditur, attenuatur, & abſcedens, enormisque facta, ſe extra palpebras foris exerit, in oculum ſanum fluxionem attrahens & ſpectaculum exhibens informe & horrendum videntibus: in hac cura palliativa, ſubſtituit plerumque Vuoolhouſius oculum artificialem, cum motu, decore &c. oculi naturalis, quod ſi nolit Ægrotus oculo uti ſuppoſititio, facit Vuoolhouſius, ut oculi perditi globus reſtet integer, plenusque cum omnibus ſuis motibus, forma, & venuſtate quaſi naturali.

Cap. IV.

Fistulæ lacrymalis, (cæcæ nascentisque) administratio, expurgatio depuratio, & persanatio absque ferro aut igne actuali vel potentiali: sive fit methodo novissime in ephemeridibus publicata, videlicet per foramina bina palpebraiia saccum lacrymalem ductumque nasalem explorando, mundificando & discludendo relinendoque, ac collyriorum propriorum injectione; sive ope emplastri cujusdam magnetici specificæque virtutis. Item fistulæ lacrymalis cum ossis carie manumissio seu per cauterium actuale sanatio. † Discussio, depressio seu suppressio, & dissolutio Anchylopis, seu tumoris duri & callosi in majore oculi cantho, qui justissime potest appellari Lacrymalis sacculi hernia: sæpissime vero hunc majoris anguli affectum pro fistula lacrymali formata falso præsumere solent Chirurgi quidam in hac re parum versati: sunt enim, qui sacculum lacrymalem ita relaxatum, induratumque per annos, plus minus viginti, absque ullo alio partis detrimento sustulerunt, quoniam ductus nasi non obstructus, ne dum ulceratus aut corrosus evasit, sicut in similibus plerumque oculorum fistulis accidit, quod etiam facile percipitur in comprimendo deorsum tumore, qui (si anchylops sit) saniem suam serosam in nasum atque sic in os ipsum velocius demittit; in Ægylope vero tam nascente quam formato, materia ista serosa semper per foramina lacrymalia utriusque palpebræ extruditur & regurgitat, quando digitis comprimitur malum sursum, deorsum: hoc autem innotuit semper Oculariis Medicis, atque Chirurgis, (si Dominico Anello placet, qui nuper librum justo grandiorem, & ex litteris plurimis doctorum compilatum de fistula lacrymali edidit Taurini) adinvenit autem Vuoolhousius instrumentum compressivum, multo facilius & utilius in hoc malo quam illud Aquapendentis Crinale (cujus meminit Sculcetus) ad retinendam & reprimendam hanc herniæ speciem.

Cap. V.

† Decisio, coactio, contractio, seu retractio, vel extenuatio encanthidis (vid. sup. capite primo articulo sexto) quando carun-

caruncula lacrymalis inflammatur, dilatatur, relaxatur & extumescit in hypersarcosim quandam visui admodum infestam, uncinulo quodam bifido levandam & scalpello falcato communiter dissecandam.

Cap. VI.

† INcisio sive apertura tumoris albidi seu folliculi majoris vel Apostematis in oculi membranis, qui species est materiæ purulentæ effusæ & collectæ intra conjunctivam & scleroticam. Sunt qui appellant hunc morbum suffusio tunicæ adnatæ, seu conjunctivæ tuberculum: alii hydrophthalmiam adnatæ nominant: morbus vero hic parum frequens est, & fit plerumque ictu quodam violento super oculum, vel plaga capitis, aut vomitu, partu difficili &c.

Cap. VII.

EXtractio corporum extraneorum cujuscunque generis & quomodocunque oculis infixorum; excogitavit ad hunc usum Vuoolhousius plurima instrumenta subtilissima, sicut volsellas, forcipes, specilla, & specula ocularia, cannulas, stylos, acus, syringas &c. diversarum formarum & variarum magnitudinum.

Cap. VIII.

Κενεμβάτεσις Kenembatesis Græcorum, id est vacui ingressus aut introitus, seu depositio, dejectio, eversio & submersio seu disturbatio cataractæ seu suffusionis per omnes suas species: insuper Dn. de Vuoolhouse hypochyma vel cataractam & Glaucoma oculo eximit & omnino detrahit, cum uveæ vel Iridis foramen pertransiens & intra corneam pupillamque jacens, visui est impedimento, ægrotoque multam molestiam, & Oculario multum facessit negotium.

† 2. Comminutio, dispersio, concisio, in plurima segmenta & particulas divisio. Item

† 3. Resupinatio, evolutio, subversio, exturbatio, decussio, dissipatio, aut præcipitatio cataractæ adhærentis, elasticæ, vacillantis, fluitantis, & renascentis &c.

 † 4. Collo-

† 4 Collocatio, occultatio seu abactio glaucomatis; videlicet quando humor crystallinus ex centro suo vel ex sinu vitrei humoris excutitur, & depellitur per modum curæ palliativæ ad abscondendam solum difformitatem ordinariam, quæ ab alteratione & opacitate seu glaucedine fulgida crystallini arefacti & indurati, provenit.

Cap. IX.

† Effusio, emissio, & reparatio humoris aquosi oculis quorundam laborantibus turbido & morbido humoris aquei statu & dispositione, seu renovatio & elucidatio visus, vel liquidatio humoris aquei per illius exitum, effluxumque, quandocunque humor hic vitiosus, & corruptus, evadit.

Cap. X.

PArakenthesis, sive punctio & pertusio oculi ad evacuandam & exhauriendam, absumendamque hydrophthalmiam, seu hydropisin ocularem, in qua membranæ hujus organi propriæ magnopere distenduntur, & visio tandem funditus destruitur. Dominus Vuoolhousius similem etiam operationem exercet in hydropisi blepharica, in qua serositates effusæ intra cuticulam & conjunctivam sub palpebrarum cuticulam sublevant, & attollunt in modum folliculi inflati: morbus autem hic alius est, quam hydatis Veterum, vel pinguedinis superiori palpebræ substratæ incrementum, quod glandulam innominatam comprimens, & lacessens fluxionem pueris potissimum, in oculos gravissimam inducit; cum autem Veteres glandulam hanc lacrymalem ignorarent, pro aqua intercute præsumebant hunc hydatis affectum, qui nihil aliud est, quam lacrymalis glandulæ intemperies unctuosa, pinguisque, quæ specifica curatur operatione quadam, palpebræ scil. incisione, & hujusce steatomatis ablatione &c. item perforatio phlyctænarum, pustularum, seu vesicularum, & tuberculorum, in oculi cornea vel conjunctiva eminentium & erumpentium ad eliciendum acre serum, quod oculos ulcerat & destruit.

Cap.

Cap. XI.

†Fissura seu incisura corneæ, quæ est corneæ fibrarum inter se discretio, & exploratio ad evaporationem & subductionem puris, ex ungue impacti intra lamellas & pelliculas membranæ istius transparentis, cujus ab hac stagnante materia, pori recti obstruuntur, opacitas & cæcitudo inducitur &c.

Cap. XII.

EDuctio, expressio seu subtractio hypopyi vel abscessus & Apostematis Iridis (quem oculum suppuratum communiter nominant) cum visus integra redditione & instauratione in priorem statum: quotidie autem videmus in morbillis, variolis, scrophulis, hypospbagmatis doloros is, ophthalmiis inveteratis & varicosis, cæcos penitus factos ab hoc morbo, ubi ista operatio Chirurgica admodum salutifera fuisset.

Cap. XIII.

†EXophthalmiæ seu oculi suspensi & prolapsi Revocatio seu Retroductio in suam orbitam: oportet vero ut hæc bulbi ocularii procidentia simulac supervenerit, remediis propriis adjuvetur, globusque ut remittatur & repellatur in receptaculum & domicilium suum naturale: cæteroquin malum pertinax, rebelle, & periculosum devenit &c.

Cap. XIV.

EXtirpatio, perustio, consumptio, seu colliquatio oculi cancrosi, qui vulgo dicitur fungus oculi carcinomatosus &c.

Cap. XV.

†EXpulsio puris orbitæ seu expositio abscessus, seu apostematis in orbita latentis, seu globi denudatio, & explicatio vel inversio: quando musculi ocularii ulcerantur, pinguedo funditur, periosteum plus minus corroditur, & ipsa ossicula, quæ orbitam componunt, summo jacent in periculo; incidit itaque hoc in casu Vuoolhousius conjunctivam, malum explorat, mundificat, detergit, consolidat, percurat.

Cap. XVI.

†Restauratio & restitutio visus deperditi in gutta serena sive nervi optici obstructione & paralysi, aut oculi defectione & exsolutione vel in certis Amavroseos speciebus simplicibus & recentibus: hic vero (pro re nata & symptomatum diversitate) varias exercet operationes specificas Ocularius noster Anglicus: nunc enim setaceum in Occipite facit perpendiculariter, nova quidem methodo, & suæ ipsius inventionis, nunc in eodem loco vesicatorium continuum applicat, nunc Trepano feliciſſime utitur, nunc aures perforat, nunc arteriotomiam vult fieri, nunc aquis thermalibus caput, sinciput, spinam dorsi &c. jubet imbrocari, nunc ex naso, nunc sub lingua, nunc ex jugulari sanguinem mittit, aut arterias vertebrales, secundum Hippocratis præceptum, atque ad os actualiter cauterisat, nunc ipsum cauterium in futuram coronalem inurit, nunc ptyalismum excitat, nunc vomitorium exhibet, nunc sudorificam ptisanam &c.

Cap. XVII.

†Blepharoxysis, sive suffricatio, levigatio, interpunctio & deputatio palpebralis (quam Hippocrates in libello de Visu tantopere laudat) in omni ulcerationis specie glandularum lacrymalium & Ciliarium, in trachomate, ectropio, cæterisque palpebrarum & tarsorum affectibus inveteratis, & rebellibus, qui communiter nullo remedio topico cedunt.

Cap. XVIII.

Resolutio, seu dissectio, enodatio, & exemptio tuberculorum, glandularumque cujuscunque generis in palpebris nascentium sicut atheromatis, meliceridis, steatomatis, chalazii, hordeoli, achrocordonis, vel verrucæ sessilis aut pensilis & prominentis &c.

Cap. XIX.

†Anarraphe ἀναῤῥαφὴ, sive futura blepharica, (quam certi Autores nominant abbreviationem, contractionem, collectionem & suspensionem palpebræ superioris:) operatio hæc feliciter langoe-

instituitur in phalangosi, prosi, πτώσει seu χάλασι superioris palpebræ relaxatæ, prolapsæ, promissæ, & contra naturam valde protensæ, sive præclusæ & paralyticæ, visumque omnino cooperientis; sicut etiam quando hæc ipsa palpebra stipata est, & inhorrescit pilis ciliaribus intus & extra erectis undique & ipsum oculi bulbum impetentibus, collectaque acu lacessentibus, & pupillæ claritatem nitoremque jugi cum dolore destruentibus. Cauterisat etiam levissime palpebram; exterius in his malis Vuoolhousius (his qui nolunt futuram pati blepharicam) ad coarctandam, succidendam & sublevandam celsius palpebram submissam dejectamque, ad pupillam discoperiendam, & ad cilia allidentia exterminanda & retrahenda ex oculo sic affecto.

† Evulsio & eradicatio sive exustio ciliorum supradictorum multiplicatorum, inversorum, retortorum, præposterorum & contra oculum (ordine naturali perverso) reflexorum & implicitorum.

Cap. XX.

†Explantatio, ablatio, abrasio & abstersio pladarotis sive parvularum carnis excrescentiarum mollium cruore sanieque profluentium (pisorum ad instar magnitudine) subter palpebras prostantium: aliqui nominant hunc morbum verrucam sanguinolentam, alii morum Celsi.

Cap. XXI.

Ciliorum commissorum disjunctio, palpebrarum cohærentium & coeuntium divulsio, solutio, apertio, sive genarum conjunctarum disunio: vel anchyloblephari & binarum simul palpebrarum tam inter se quam cum adnata & cornea, oculique pupilla conglutinatorum separatio, divisio, resignatio, aut disclusio: fit autem hic morbus tum ex ulceribus & abscessibus in morbillis, variolis &c. tum ex accidentibus aliis improvisis æque ac ab usu indiscreto topicorum impropriorum.

Cap.

Cap. XXII.

†Redactio, assumptio, Repressio glandulæ innominatæ inflammatæ, tumefactæ, dislocatæ, prolapsæ &c.

Cap. XXIII.

†Rectificatio, seu correctio & fortificatio oculorum in infantibus strabonibus: sive confirmatio musculorum distortorum antagonistarum in transversa tuentibus tenellæ ætatis pueris.

Cap. XXIV.

†Cicatrisatio, incarnatio, consolidatio fistulæ in Cornea. Vuoolhousius adinvenit methodum tollendi callositatem in hac delicatula & parum cognita fistula, atque reproducendi & regenerandi deperditionem & defectum corneæ fistulosæ, seu ad reparandam specifice corneam pertusam peresamque.

Cap. XXV.

†Cauterisatio & præclusio Uritidum sive inustio venarum & arteriarum tumidarum, lividarum, & varicosarum ægros minitantium carcinomate, cæterisque desperatis oculi morbis; hæc operatio Hippocratis non fuit Parisiis in usu ex Borelli tempore: qui ejus Chirurgiam & successum in plurimis oculi rebellibus morbis laudat quam maxime.

Cap. XXVI.

†Setaceum ophthalmicum trans oculi globum in secundis clastris factum pro curatione amblyopiæ, hydrophthalmiæ, cataractæ, & glaucomatis nascentium, atque in aliis plerisque bulbi ocularii morbis periculosis.

Ad

AD

VIRVM

ILLVSTREM ET EXCELLENTISSIMVM,

DN. CONRADVM BARTOLDVM BEHRENS,

MAGNAE BRITANNIAE REGIS

ARCHIATRVM, HILDESIENSIVM

MEDICVM AC SENATOREM et pl.

DE NOVIS ET EXOTICIS

THEE ET CAFE SVCCEDANEIS,

Botry Mexicana Ambrosioide, Ambrosia Artemisiae foliis Malab. Capraria Peruviana Agerati foliis, sive Thee de Lima, Herba de Paraguay, Cafe a la Sultane et Oleo Siree aliisque,

DISSERTATIO EPISTOLICA

MICHAELIS FRIDERICI LOCHNERI,

Archiatr. Caesar.

VIR

ILLVSTRIS atque *EXCELLENTISSIME.*

TAnta apud me est Nominis *Tui* veneratio, ea officiorum, vel potius beneficiorum. *Tuorum* in promovenda *Medicorum ex Statuis et Numis*, quam meditor, *Historia*, recordatio, ut nihil ardentius quam gratam mentem publice testandi occasionem optaverim. Cum autem maximum, quod nos intercedit, locorum intervallum, illam hactenus invideret, hoc quod nunc cernis literarium munusculum Nomini Tuo inscribendum constitui, ne diutius ingrati, vel saltem parum grati, animi merito postularer, aut neglecti cultus et officii jure arguerer. Nec convenientius ulli mittere possem, quam Tibi, *ERVDITISSIME BEHRENS*, eo quod *in Selectis Tuis Diaeteticis*, opere certe aureo, cui in hoc scribendi genere vix ullus Medicorum tam laudatas adhibuit curas, sectionem destinaveris peculiarem *assumptis voluptuariis inscriptam*, cui tanquam messi largissimae pagellarum mearum levidenses conatus adjici, vel si mavis operis *TVI* purpurae, lacinias has adjungi patiaris. Quae vero scribendi me impulerit occasio, paucis accipe.

Tab. XVI. App. pag. 147.

Katsubsiettipu Mal:

Epa zotl Mexic:

Capraria Peruviana
Ageratifoliis absque pediculis

Mserat huc e vicinae Bavariae Societatis Jesu Collegio Botanophilus ad Amicum, quo cum ipsi literarium intercedit commercium, Plantam, quam pro *vero Thee Sinensi* venditabat; cujus seminis ex hoc Regno a Missionariis laudatae Societatis inibi degentibus ipsi copia facta, quod terrae commissum plantam hanc produxisset. Cum rerum exoticarum studio me teneri nosset, qui plantam huc missam acceperat, ad aedes meas perlata, quid de incognita hac sentirem, sciscitabatur. Cum que ilsa plane nihil cum Thee Sinensi, cujus suboles esse credebatur, commune haberet, fucum ipsi factum esse referebam, quippe Botry similior, cujus semen uvae viniferae instar racematim caulibus adnatū.

Ne tamen soli mihi sapere viderer, ad amicissimum Volkammerum, qui hisce in dubiis mihi pro oraculo, mittebam, qui planta visa statim, risui vix sibi temperans, toto coelo aberrant, ajebat, qui Thee Chinense te credunt, et ex ejus semine productum volunt, quippe quod per aliquot tantum septimanas aptum, ut torrae mandetur, et progerminet, quo dicto plantam lacte in horto ejus propullulantem monstrabat, eamque remittens Ambrosiam pronuntiabat Mexicanam, sive potius Botryn Mexicanam Ambrosioidem Casp. Bauh. in Pinace, aut Atriplicem suaveolentem Americanam Morisonii. H. 2. quam foliis aemulatur Atriplex argentea dentata Curassavica solertissimi B. Hermanni Paradis. Batav. p. 100. uno verbo Epazotl Hernandez, sive atriplicem odoratam Mexicanam Nard. Ant. Recchi in Plant. Mexican. Historia Lib. V. c. 32. quam sequentibus descripsit et delineari fecit: Epazotl seu planta odorata herba est odora, folia ferens oblonga crenata et rubescentia; (Terentius in notis rubra pronuntiat et admodum similia atriplici sive Botryi) Caules cubitales, spicatum semen, ac radices furculose. Nascitur in calidis temperatisque regionibus, colitur que in hortis nonnullorum commoditatum gratia. Acris est, odora, et tertio ordine calefaciens; edulis etiam, cruda coctave; et adjecta condimentis corroborat.

Transmissa mihi alia sub hoc nomine, quam plantam jam flaccidam examini subjiciens, et corrugata folia profundius laciniata

laciniata explicans, ytzecum patli *Hernand. Mexic. Hist.* p. 446. foliis Artemisiae candicantibus, sive florem Artemisiae viridem deprehendi, forte Ambrosiam illam elatiorem foliis Artemisiae atrovirentibus asperis odoratis non lanuginosis, quam inter lapides prope fluvium, dey Rivier dictum, crescere necnon in aliis locis mediterraneis Insulae Jamaicae observavit *Illustrissimus Hans Sloane.*

Revocabant plantae hae hactenus recensitae, Botrys nempe Ambrosioides et Ambrosia Artemisiae foliis, illud *Dioscoridis* in animum: Cappadoces Botryn Ambrosiam, Artemisiam vocasse; *Pliniumque* pariter Ambrosiam cum Artemisia confudisse. Absit tamen, ut defendam, his Auctoribus aliquid de Plantis Mexicanis suboluisse.

Americanas et Mexicanas has plantas in orientali quoque India progerminare, testis est *Illustriss. Hort. Malab. Auctor* T. X. p. 89, Fig. 4. 5. sub nomine Katu-tsjetti-pu, quod barbaricum nomen, flavis interpretatur amplissimae dignitatis Commelinus. Datur quippe et Ambrosia elatior Artemisiae foliis inodoris, quam maritimam plantam e seminibus a D.D. Ciassi Venetiis transmissis, in horto Academico Lugduno Batavo productam, in ejus catalogo descripsit et delineari fecit Excell. Hermannus p. 35. Cum autem regium illud Horti Malabarici opus non in omnium manibus existat, et jam aliquoties Thee hujus novi gustui magis nonnullis abblandientis, Chinensi substituti, a variis injecta fuerit mentio, ne quod mihi primo intuitu factum, aliis quoque accidat, plantaeque exsiccatae folia nosci haud queant, non aegre quis feret, si ex opere isto mutuo sumtam hic inseram descriptionem.

Planta est quatuor quinque ve pedum arenoso gaudens solo. Rami virides, lignosi superiori parte, ubi teneriores viridi subcaerulescentes, nonnihil pilosi. Folia, quae in ramis ac surculis proveniunt, laciniata, crassiola, in adversa parte, ubi costulae eminent, villosa, odoris, ut et tota planta, grati, aromatici saporis subacris. Flores sunt plano-rotundi surculorum summitatibus insidentes,

quarum petala oblongo-angusta, in longitudine plicis striata, ac in illarum tractu, ubi diutius se aperuerint, se findentia, fl. va, quae singula stamine concomitantur flavo viridi, superiori parte furcato, quod ex pede folii theciformis emergit. CAPSULAE SEMINALES plano rotundae sunt ac virides, tarde se aperiunt, adeo ut quatuor quinqueve menses maneant clausae.

Hanc igitur *Botryn Mexicanam Ambrosiodem*, et *Ambrosiam Malabaricam Artemisiae foliis odoris fragrantis*, utriusque enim usus invaluit, in vicinis nostro circulis Suevico Bavaricoque, nomine Thee Romani expetunt, ejusque infuso indulgent nimium quantum, quo de Magnifici Dn. Praesidis nostri aeternum venerandi, qui et plantam et semen *Botryos Ambrosiodis* mihi benivole transmisit, literis ad me datis didici. Ante multos tamen annos Dantisci jam in Regio illo Olivae Coenobio, maximo in usu fuisse *Botryn Ambrosiodem*, retulit mihi amicissimus *Dietericus*, qui dum studiis ibi pharmaceuticis incumberet, incantamenti instar plantam hanc Arnicae Clusii junctam, et in cerevisia generosa coctam, in casu ab alto, aliisque affectibus, ubi ruptorum vasorum sanguinisque extravasati metus et suspicio erat, exhibitam, opem tulisse saepius expertus est, succedente utplurimum per alvum, viasque urinarias cruore congrumato. Firmat hanc amici experientiam externus et internus Plantae usus in India orientali Ambrosiae Malabaricae odorae: sic enim de illa Hortus Malabaricus l. c. *Oleo Zergelino seu Tzit-Elu et spiritui vini incocta planta Katu tsjetti-pu, partique affectae applicata, empyemata, et reconditos abscessus, antequam maturuerint, sanat, imprimis si ejusdem succus cum melle bibatur; cum vino adusto et Europaeo ac Malabarico Marrubio in formam Emplastri redacta, et dolenti imposita parti spasmo medetur; cum melle jejune deglutita hydropem solvit.*

Imprimis, qui Sinensi hoc Mexicanum Thee substituunt, vim antiscorbuticam, sanguinisque acrimoniam et visciditatem temperandi incidendique efficaciam praedicant, felicioribus successibus adhuc confirmandam, quod ex balsamicis aromaticis, et haud

levem fragrantiam ſpirantibus effluviis plantae haud difficulter hariolari licet. Stupendum, modo verum, quod hac de planta Malabarenſes jactant, nempe aegrotantis pulvinari illa ſubſtrata, vitae mortisque auguria captari; quod ſi enim inde ſomnum non capiat aeger, vitae periculum imminere. Radicis quoque uſus in Orientali India invaluit; ſi enim radix Oleo Sergelino incoquatur, poſtea panno inungatur et ſingulis XII. horis removetur, purgat exanthemata; cum lacteo Nucis Indicae ſucco decocta radix phagadoenica curat ulcera; idem praeſtat pariter radicis Cortex, affectae parti impoſitus.

Sed plus lucis cum die afferet continuatus Ambroſiodes *Botryos et Ambroſiae Malabarenſis* uſus. Dilabitur calamus in aliam Thee Sinenſi ſuccedaneam plantam, *Thee de Lima* dictam. Primam hujus notitiam mihi dedit Rev. P. Societatis Jeſu urbem noſtram tranſiens, meamque in arthritide anomala poſtulans opem. Cum nil mihi de novo hoc conſtaret exotico, ſiccaque et exſucca folia, cui plantarum claſſi accenſenda foret, prohiberent; animus noſcendi novum exoticum cupidiſſimus undique conquirebat fontes, vacuos tamen nullaque uspiam novi hujus Thee Peruviani nuper introducti nec vola nec veſtigium. Deſperans de notitia e ſupellectili literaria mea haurienda, incidi in librum noviter Pariſiis mihi allatum, inſcriptum: *Journal des Obſervations Phyſiques, Mathematiques et Botaniques du Pere Louis Feuillee, Religieux Minime, Mathematicien et Botaniſte de S. Majeſt. et Correſpondant de l'Academie Royale de Science etc.* Obtulit ſcriptum hoc optatiſſimum ἕυρημα, quippe Auctor Hiſtoriae naturalis ſcientiſſimus, ſolide exoticum novum hoc detexit, et ſub nomine *Caprariae Peruvianae Agerati foliis abſque pediculis*, expreſſit. Cum nec plantae effigies nec deſcriptio adhuc repertu detur, indictaque ſit planta Botanicorum choro, latiali toga induram exhibere, mecum, bona uti ſpero cum Lectorum φιλοβοτανῶν venia, conſtitui.

Arbuſcula haec ante Annum 1709. vix in Peruvia nota, aemula, Thee Sinenſi quoad vires, impulit poſtquam innotuit, Peruanos,

ruanos, ut relicta illa Indiae Orientalis planta, hanc penes se nascentem indigenamque experterent; cumque e regione illa parrarem abitum, tanta jam hujus exotici infusum ingurgitandi invaluerat consuetudo, ut vix fando quis audierit frequentius, quam de novo hoc Thee succedaneo, Thee de Lima dicto.

Diffunduntur autem fruticis hujus *Radices in fibras cirratas*, quae una cum radice, *cortice* tenuiori coloris gryfei, corpus lignosum, candicansque involvunt.

Scapus sive caulis paene sex pedum altitudinem, dimidii pollicis crassitiem attingit, in plura brachia se expandens, subdivisa in plures ramusculos, qui alternis foliis satis sibi contiguis instructi sunt. Structuram florum quod concernit, illis sunt quindecim lineae longitudinis, latitudinis tres, a basi ad mucronem usque percurrentes, ex uno latere inferne rotundatae, superne planae. Hoc latus undiquaque plures nervulos emittit, in ambitum et circuitum foliorum se diffundentes, latereque angulos efficiunt acutos, versus apicem se extendentes.

Unumquodque folium basi partem ramorum, cui adhaeret, ambit, circumferentia gaudet denticulata, inque acumen terminatur laevigatum, supra coloris laete viridantis, infra vero paululum hoc a colore discedentis, optime omnia cum figura in Tabula depicta concordant.

E Foliorum alis oriuntur postea ab uno ad tres usque pediculi rotundi, pulchre virideſcentes longitudinis linearum trium, crassitiei dimidiae, quorum quilibet, calice quinquepartito constat, e cujus fundo obtusus oritur tubulus, in quinque lobos circa aperturam distinctus, constituens florem album, cujus diameter quatuor linearum. Flore pereunte, quilibet lobus floris A inferne recurvatur.

Per floris centrum pistillus prodit C. figurae inversi pyri, flore deciduo tamen superstes; cum maturuit longitudine ad duas lineas cum dimidia accedens; in parte superiori ostendit stylum tubi instar cavum, qui secundum longitudinem in binas capsulas B. B. dirimitur, mediante materia albicante tanquam

quam ſepto intermedio junctas, quarum quaelibet ordine granulorum circularium in ſuis loculamentis. Grana ſunt perexigua, figura ovali, coloris circa maturitatem Boetici ſive fulvonigreſcentis.

Haec deſcriptio accuratiſſima novi hujus exotici *Thee de Lima*, a Regni Peruani regia dicti, quam ſedulitati viri βοτανικωτάτου Rev. P. Feuillee debemus. Differt tamen ab illo, quod per Regnum hoc, vicinumque Chilenſe conterminasque regiones expetitur, in quo non tantum Hiſpani, ſed et indigenae paene omnes delitias quaerunt, nec ſine illo diem tranſigere cupiunt. Vocatur vulgo *Herba* ſive *Thee de Paragauy*, loco nempe regioneque natali, miſſione Rev. PP. Societatis JEſu, quorum mero imperio terrae hic tractus ſubeſt, celebri. Herbam pariter St. Bartholomaei nominant, quoniam e vulgi traditione St. Apoſtolus hujus nominis Terram hanc adeundo, venenatam ante inſalubremque praeſentia ſua beneficam ſalutaremque reddiderit.

Cum in pulverem redigatur planta, et ſic extra natale ſolum deferatur, cujas ſit, et cui aſſerenda plantarum ordini *Thee de Paraguay*, haud liquet, nec ulli hucusque conſtitit. Rev. P. Sepp Tyrolenſis et Rev. P. Böhm Bavarus, bini Societatis JEſu Sacerdotes, in Relationibus de itinere in hanc regionem ſuſcepto luci publicae lingua vernacula commiſſis, tradunt, folia ſicca arboris cujusdam eſſe, quam tamen dicere muſſant, juramenti adſtricti fide. Sunt pulveri huic, quem ſolertiſſimus Pharmacopoeus *Dn. Dietericus* aliquoties conſpectui obtulit, fibrae foliorum duriores, quae ſatis arguunt, non tenellae plantae exiſtere folia. *Woode Rogers Anglus* in itinere inſcripto: *Reyſe naa de Zuidzee* p. 81. paluſtrium udoſorumque locorum, (*bet groyet in moeraſtige gronden*) ſubolem pronuntiat. *Dn Freſier* Gallus in hodoeporico hoc demum anno edito et inſcripto: *Relation du Voyage de la Mer du Sud*. T. II. p. 442. dum modum, quo Thee hoc de Paraguay hauriunt, exacte deſcribit, ingenue fateri coactus eſt: *comme on ne l'apporte que ſecchee, et presqu'en pouſſiere, je ne puis point en faire la deſcription.* Cum illi ipſi igi-

tur, qui his in regionibus extitere, nil certi hac de planta ſcribere audeant, quae qualisve illa ſit ; quis ὀπέχειν nobis vitio in re incertiſſima vertere velit, non video.

Nec mirum, Societatis prudentiſſimae Patres, uti in omnibus perſpicaciſſimos, circa hanc pariter herbam, quaeſtuoſiſſimam quippe illis mercem, plusquam lynceos eſſe. Si enim fides habenda illi Relationi, Itinerario Dn. Freſier in Belgica Editione annexae et Gallice inſcriptae: *Memoire touchant l'Etabliſſement des Peres Jeſuites dans les Indes d'Eſpagne*; hujus herbae de Paraguay commercium per annuum ſpacium ultra centena Millia illius monetae, quam piaſtres vocant, ſuperat; de quo ſummae dimidium in Miſſionis Paraguayicae Patres, penes quos monopolium, redundat. Fidem paene ſuperat, quae Auctor porro addit, ex aliis mercimoniis, (imprimis auri ramentis poſt eluviones fluminum torrentumque collectis,) quae Miſſionis provincia ſummo Societatis imperio ſubjecta ſuppeditat, quaeſtum tricies mille millium colligere. Hoc equidem ulteriori probatione non indiget, omnem impendere Patres hujus herbae collectioni opem et operam, ut ſubdin Indici fere huic onori ſuccumbant, modo vera tradit Anglus Woode Rogers loco jam citato. Sic *Dn. Freſier* annotavit, ultra quinquaginta millia *Arovarum* (pondo eſt viginti quinque librarum) e Provincia Paraguay, mediante flumine de la Plata et curribus in Regnum tantummodo devehi Peruanum. Magna praeterea copia in Chilenſem regionem conterminasque defertur, maximo aerarii Regii, cui vectigalia ſolvenda, emolumento.

Recenſentur autem binae herbae hujus ſpecies, una vocatur *Hierba de Palos*, altera melior guſtuique gratior, *Hierba de Camini*, quae ultima ſpecies tantummodo in Miſſionis terris colligitur. Inhiant autem herbae hujus Infuſo uſuique Incolae regionum hactenus memoratarum paene omnes, tam Hiſpani, regionum domini, quam Indi ad ſerviendum nati, et quidem tanta aviditate, ut *P. Seppio* pro manipulo herbae de Paraguay equos bovesque obtulerint vendiderintque, tanta illis in pretio

hujus Thee voluptas, ut ſervitii pariter intolerabile jugum mitiget.

Modum ſumendi nemo melius Domino *Freſier* deſcripſit, et quomodo a ſorbitione potus Sinenſis differat, docuit: nec enim illam, quam ex Thee Tincturam extrahit ſeparatam hauriunt, ſed poculo e cucurbita Indica Calebaſſe parato argentoque obducto, (quod poculi genus Mate vocant,) herbam de Paraguay ſaccharo addito immittunt, ſuperimfuſa aqua calida, nec longiori remorae locus, cum diuturnior infuſio nigricans inſtar atramenti evadat, ideo vix affuſa aqua ſtatim ſequenti utuntur modo. Cum in pollinem redacta herba, aquae utplurimum innatet, tubulo utuntur argenteo, in cujus extremitate ampulla parva plurimis pertuſa foraminulis, mediante qua liquor, qui ſugendo attrahitur penitus herbae pulverem a ſe demittit. Bibitur ſic per hunc tubulum in orbem, ac tantum aquae reaffunditur calidae, quantum bibentibus opus. Loco tubuli, lingua vernacula Hiſpanis Indisque *Bombilla* dicti, nonnulli pulverem Thee de Paraguay aquae innatantem, ſeparatorio argenteo plurimis foraminulis pervio removent. Taedium animusque Gallorum averſus in hunc cum unoquoque bibendi modum, in regione, ubi lues illa, cui India contulit nomen, endemia, cauſam dedit et inventionem uſus tubulorum minorum vitreorum, quibus nunc in Peruviae civitate principe, Limae utuntur, alacriusque et absque ullo infectionis metu ſorbent.

Per integrum diem antemeridianis pomeridianisque horis, hoc ſe recreant Peruviae incolae, ad minimum in die ſemel e cubili ſurgentes. Panaceae vices ſupplere creditur blandiſſima emeſi, qua nulla tamen ventriculo vis infertur, ſaburram e ventriculo eliminando, quod jam olim in eruditiſſima ad Academiam noſtram Relatione *de novo Americano antidyſenterico* retulit *μέγα θᾶυμα βροτῶν Illuſtriſſ. Leibnizius*, cujus pro dolor! obitum orbi literato univerſo, imprimis Academiae noſtrae funeſtum, TIBI EXCELLENTISSIME BEHRENS luctuoſum, dum haec ſcribo triſtis fama nuntiat. Salve-

te pii

to pii Manes, et Aeterni visione beatissima aeternum perfruimini.

Hoc porro de Paraguayico annotandum infuso, tali opus fuisse remedio gulositati Indorum: cum enim e relatione *P. Sepp* carnes vix assas crudasque sanguinemque fundentes devorent, cruditates in ventriculo accumulari haud mirum, quas iterata hujus Thee ingurgitatio per salutarem, nec ullo modo molestum vomitum eliminare potis est; quae simul (quod aliis emeticis insolitum) teste Anglo *Woode Rogersio* l. c. evacuandi virtus, appetitum destructum excitandi vim junctam habet. Abusus tamen hujus potus illa quoque parturit mala, quae immoderatus Vini usus comitari solet: *Het onmaatig gebruyk daarvan veroorsaakt deselfde Siekiens, als het overtollig Drinken van Wyn doet, ut verbis Rogersii* Versionis Belgicae me expediam. In silentio repono Japonicam, plantam dulcamaram *Kook*, vel *Kuko*, aliis *Numi gussuri* dictam, cujus folia more Thee extrahenda refert Excell. *Kaempfer*. Amoenit. Exotic.. Fasc. V. p. 777. ligustrum est spinosum, dense folioSum, folio unciali ovato, margine integro, flosculis in uno pediculo singulis vel geminis purpurascentibus pentapetalis, petalis in Hyacinthi floris figuram et magnitudinem coëuntibus, baccis et semine Glycypicri.

Interim expectandum erit, usque dum futura tempora veram herbae sive Thee de Paraguay plantam nobis detegant, tandemque ex obscuritatis, in qua nunc latet, abysso reducant, quod cum arbore fructum Cafe ferentem, jam factum, cujus ramum in Centuria IV. Ephemeridum oculis spectandum exhibuimus. Cum mentio potus Cafe injecta, in memoriam redit, novum hujus Arabicae decoctionis genus, *Cafe a la Sultane* dictum. Aequum enim fore duxi, succedaneis Thee Sinensi hoc potus Yemanici supplementum pariter adjungere.

Luculentam ejus mentionem injecit Auctor Itineris Arabiae felicis, et in aulam Regis Yemen felicissimae Arabicae Provinciae, loci Cafe natalis; cui libello adjunctus Tractatus historicus inscriptus Gallice: *de l origine et du progres du Cafe, tant dans l'Asie, que dans l'Europe; de son introduction en Fran-*

ce, et de l'etabliſſement de ſon uſage a Paris. Hoc in ſcripto plurima circa nomen et ortum hujus potus aliis plane indicta et incognita ab eruditiſſimo *Galandio*, (cujus ſtupendam in linguis orientalibus ſtudium nemini, cui haec nota eruditio, ignota eſt) e Scriptoribus Arabicis in Bibliotheca Regia obviis, excerpta reperiuntur,a cujus longiori recenſione abſtineo, cum in vernaculam noſtram traducta linguam, in omnium exiſtat manibus ; ſicuti et arbor, Cufe producens, in praecipuis Germaniae hortis jam laete paſſim adoleſcit et viret.

His igitur relictis, ea tantum, quae de novo Cafe genere, *à la Sultane* dicto, habet itineris Auctor, vel potius collector, uti videtur Dn. la Roque, excerpere placuit. Optimatibus Regionis (de Provincia Yemen loquitur) alius potus Cafe modus in uſu, ipſis tantum peculiaris: non enim fabis ſeu potius fabaceis nucleis Cafe utuntur, ſed corticibus tantum ſeu involucris; quibus pelliculas tenuiſſimas fabaeformem nucleum proxime inveſtientem, Excell. Kaempfer in Amoenit. Exotic. Faſcic.I. p. 123. furvas membranulas dictas, addunt. Praeparationis modus ſequens eſt. Sumunt probe maturos cortices, quos diffractos in cymbio fictili carbonibus imponunt, et inſtar Cafe torrent, usque dum parum coloris contrahant. Eodem temporis articulo aqua in vaſe decoctioni deſtinato calefit, cumque cortex debito modo torrefactus eſt, bullienti aquae infunditur, cum quarta pellicularum parte ; tantum autem temporis ſpatium, quantum ordinaria potus Cafe decoctio exigit.

Color hujus potus convenit per omnia Anglicanae Cereviſiae. Aſſervantur autem hi cortices in locis ſiccis probeque clauſis, ne ſaporis pravitatem ab humiditate contrahant. Huic potui Yemenenſes Arabes vix ſimilem credunt ullum. Nec Gallis in Regis Yemenenſis curia, et apud ſummos Regni miniſtros, alius potus quam e corticibus Cafe exhibitus, qui proinde ingenue confeſſi ſunt, guſtui potum hunc apprime abblandiri.

Nec ſaccharo opus eſt ad deliniendum ſaporem : tantum enim abeſt, ut amaror corrigendus, ut potius dulcedo moderata

et

et gratissima hoc in decocto lateat. Cum haec Cafe species non ad pauperum tabernas transferatur, sed potissimum in aulis principum maneat, *Cafe a la Sultane* vocatur. In Europa et oris nostris nondum comparuere hae Yemenensium delitiae; et spes perexigua supereſt, illas obtinendi; cum enim parum substantiae cortices pelliculaeque habeant, metuendum multum adhuc efficaciae perdituros, usque dum ad nos per viarum longitudinem terra marique transferantur, cum praecipua virtus hujus Cafe a la Sultane in eo consistat, ut recens factum tantum hauriatur. Quae omnia, TV, EXCELLENTISSIME BEHRENS, brevibus ex Cl. Hermanno annotasti in Selectis Tuis Diaeteticis: *Cortices Cafe separatim asservantur, non autem diu durant, unde et infusum ex iis promptuarium paratur.*

Visis hactenus novis Thee et Cafe substitutis, imperaveram calamo Colophonem: detinuit autem paululum adhuc methodus ista, qua decocta haec aquea illis, quorum ventriculus aquam ferre recusat, per leviusculas oleorum aromaticorum et fragrantium, olei nempe aromatici Indici, Culilawang, foliorum Malabathri, Cajeputi. Indici Cardamomi speciei, Canangae e floribus, Essentiae de Vanigl, de Nerola, praecipue Siree adspersiones et irrorationes corrigantur. Longum foret in horum oleorum plurimis incognitorum virtutes et ortus inquirere, ideoque eorum examen aliis destinavi curis. Sufficiat tantum *Oleum Siree* hac vice fugientibus inspicere oculis. Supereminet hoc inter reliqua ex orientali India allata: quicquid enim in Melissa suavitatis, quicquid delitiarum in Schoenantho, quicquid citrum amoenitatis possidet, in oleo hoc Siree concentratum videtur. Nonnulli ob odoris similitudinem Melissae credidere subolem, cumque Melissa Molucca, Cardiaca pariter Syriaca cognominata sit a Botanicis, nomen inde Syri vel Siree impositum credidere. Alii in Schoenanthi oleo, hujus natales quaesivere, praesertim cum Nobiliss. Herbertus de Jäger ad Dn. Rumphium, Amboinensem illum Plinium, per epistolas nuntiaverit, illum in littore Coromandel integros agros Schoenantho

confitos reperiſſe, incredibili odoris fragrantia, quam noctu, vel pluvioſo coelo longe lateque exhalarint; hinc pulvere Schoenanthi in Golconda ad detergendas utuntur manus, quippe aquae manibusque ſuavitatem nitoremque conciliat. Amboinenſis Schoenanthi meminit Ann. III. Dec. II Ephem. Nat. curioſ. pag. 80.

Atque licet Schoenanthum officinarum ſive proprie dictum haud exiſtat planta illa, oleum Siree nobis ſuppeditans, ambo tamen orientalis Indiae duumviri jam laudati, in hiſtoria naturali expertiſſimi, poſt longiuſculum amicumque hac de re habitum diſſidium, fateri tandem coacti ſunt, ad Schoenanthi genus reduci poſſe plantam oleo Siree praegnantem.

Eſt autem Juncus vel gramen, quod gramen Meliſſae odorum vernacula Siree dicunt, pronuntiatione parum diſtante a *Seri* planta Japonica, quam Petroſelino foliis Alſines aſſimilat Excell. *Kaempfer*. Amoen. Faſcic. VI. p. 825. Hoc gramen Meliſſae odore in Itinere Perſico in Cochinenſi agro cum caule floribusque reperit Nobiliſſimus *Herbertus de Jäger*, illud oleum ſuaviſſimum Siree fundens; et dolendum maxime Iconem plantae cum Amboinenſi Herbario *Rumphiano*, quae jactura omnes, quibus hiſtoria naturalis Indica curae cordique, tangit adhuc, et tanquam irreparabile damnum angit. Ingreditur autem illud oleorum ſuaviſſimum in Perſia orientalibusque regionibus omnes unguentorum odoratui abblandientium illecebras. Datur quoque Schoenanthi Perſica ſpecies, in cujus deſtillatione Excell. *Kaempferus* l.c. p. 772. camphoram copioſe obtinuit.

Non poſſum, quin data hac Schoenanthi ejusque aemulae in oleo Siree fragrantiae occaſione errorem deregam, cui planta ἐχιάνθη dicta anſam dedit. Cum enim materiam illam ſacri Chryſmatis apud Graecos ἐχιάνθη ingrediatur, ceu videre eſt apud Reverendiſſimum Vabrenſem Epiſcopum *Habertum obſerv. ad Rit. Chryſmat. in Archierat. Libr. pontifical. Eccleſ. Graecae* p. 712. et Eruditiſſimum *Goar in Euchолog. Graecor.* Not. *ad cap. Mat. Sacr. Chryſm.* p. 643. diverſum diverſi hac de planta ſacrum Chryſma

ſma ingrediente ſenſerunt. *Matthaeus Sylvaticus Lexico phyſico Venet.* Anno 1498. *impreſſ* fol. 77. *Plantam* eſſe ſcribit *lentiſcum videlicet.* et ſecundum *libr. antiquum de ſimpl medicam.* dicitur: *ſpina alba et puto ſic dici* ἐχινάνθη ait, *quod capitellum habet ſimile echino marino,* Haec ille, haud equidem alieno a Dioſcoridis ſenſu, qui echinum plantam non agnoſcit, ἄκανθαν tamen λευκὴν memorat, cujus in cacumine caput eſt ſpinoſum, echino maris ſimile, et flores purpurei. Flores autem illi, licet nomen ἐχινάνθης etiam obtinerent, nil tamen componendo fragranti unguento profuturi eſſent; ἔχινος quippe ſive ἄκανθα λευκὴ planta ſylveſtris eſt, contempta, nulloque niſi gravi odore celebris, usque adeo a conſideratione hac penitus aliena, ſicut et conflando μύρῳ inepta.

Relicta itaque Sylvaticis ſylvatica planta, audiendus inſuper Eminentiſſimus *Habertus* l. c. ἐχινάνθη, inquiens *planta, aliqua et ipſo nomine videtur, cujus flos echino h. e. calice aculeato veſtitus ſit et munitus, ſicut echini dicuntur, et caſtanearum cálices inſtar echinorum ſive Eryciorum aculeis rigentes, apud Auctores tamen Botanicos ſub eo nomine ignoratur.* Addit in matgine venerandus Vabrenſium Antiſtes: *Didici ab Epiſcopo Graeco, eſſe noſtram caryophyllatam Giroſlee.* Sed niſi firmiora afferat argumenta, quam alii hactenus Auctores citati, de planta controverſa ἐχινάνθη, fruſtrabuntur certe expectationem noſtram.

Propius ad ſcopum vergit correcta plantae hujus lectio, quam propoſuit doctiſſ. *Georgius Coreſius* Chienſis τῆς μεγάλης ἐκκλησίας καὶ ἰατρικῆς διδάσκαλος, qui non quidem ἐχινάνθη, ſed potius σχοινάνθη hic legendum eſſe judicat, qua voce σχοῖνος ἀρωματικός, Juncus aromaticus intelligendus, cujus jam Dioſcorides meminit Libr. I. c. 16. Vid. *Dn. Goar* l. cit. Quod ſi Siree Schoenanthi Perſici vel orientalis ſpecies, uti jam a nobis demonſtratum, inque Aſiaticis provinciis luxuriet, non quidem crimen commiſerim, ſi ſtatuerem, fragrantiam olei Siree, ſacrum Graecorum Chryſma, ſub σχοινάνθης nomine ingredi.

Hoc denique monendum reſtat, non olea tantum fragrantia et aromatica, quale hactenus deſcriptum Siree, pro corrigenda

da cruditate, saporisque suavitate addi, sed & alia pro conciliandа odoris gratia in Indiis jam sociari, id quod de foliis speciei *Sasanque Tsubakki* retulit toties laudatus, nunquam satis laudandus, *Kaempferus Amoenit. Fascic. V.* Cujus folia autem infuso Thee adjunguntur, est *Tsubakki*, species pumila, flore roseo rubro simplici utplurimum pentapetalo, disco seu umbilico stamineo, fructu tripyreno pyriformi, nucis pistaciae magnitudinis, nucleis tribus albis rotundissimis. *Tsubakki* autem, cujus pumilam modo speciem recensuimus, Japonice pariter *Sa* et *Sjun*, frutex est flore roseo fructu pyriformi tricocco. Notari meretur, fruticem hunc structura et facie sua exprimere Thee Sinense, unde orienti placet, proprio adhuc carenti, characterem mutuari a *Tsubakki.*

Sed cum calamus per tot ambages ad Plantam Sinensi Thee similem et substitutam redierit, receptui canimus huic de exoticis Succedaneis Thee Sinensis dissertatiunculae coronidem imponentes; quae Tu, *VIR ILLVSTRIS*, minutula licet, sed fortasse oblectantia non despicies, potius ut perenne cultus amicitiaeque χάρισμα aspicies, meque Tui addictissimum amare, quemadmodum hactenus feceris, haud desines. Vale.

Dabam Noriberg. ipsis Mart. Calend. 1717.

M. F. Lochner
Arch. Caesar.

BELLI
INDICVM
cujus occasione
in
TETHYOS
MYTHOLOGIAM,
TETHYORVMQVE
Naturam inquiritur,
illustratum
a
MICHAELE FRIDERICO LOCHNERO
Archiatr. Caesar.

VIRO

NOBILISSIMO EXCELLENTISSIMOQVE

DN. JOANNI PHILIPPO BREYNIO

Med. Doct.

ACADEMIAE CAROLINAE IMPERIALIS NATVRAE CVRIOSORVM

et

SOCIETATIS REGIAE ANGLICANAE LONDIN. SOCIO CELEBERRIMO,

PHISICO GEDANENSI EXPERTISSIMO

et pl.

D. D. D.

AUCTOR.

VIR

VIR
EXCELLENTISSIME.

FElicem illum diem semper praedico, qui singularis et propensae in me voluntatis Tuae significationem patefecit, et declaravit, quantum fructuum et voluptatum e naturalis historiae studio caperes, quod haereditario quasi jure ab immortalis gloriae Parente, latentis Naturae Mysta maximo, Tibi collatum, me quoque studiis prae aliis omnibus capit et rapit in admirationem. Affirmo Tibi hoc ex animo, *ERVDITISSIME BREYNI*, fessus cate-natis curis clinicis, nusquam recreandi animi bentius divertor quam ad Naturae absconditas gazas, quarum perlustrandarum me varietates valde cupiunt, valde amoenitates, non mente concipiendae tantum, sed in oculos incurrentes, adeo illi quidem naturae lusus praecipue marini, alliciunt, ut non injuria collectas dicam in eo mari, in quo orta Gratiarum suavitatisque omnis parens Venus. Sed cum destituar omni in marina inquirendi occasione, soli arenosi incola, longissime a salo remotus, Tibi, optime BREYNI, de marino hoc producto diatribam inscribere constitui, qui licet non maris accola, vicinus tamen existis, et cui insuper per doctissimum in universam fere Europam literatam commercium, et omniscia paene

paene Societatis Anglicanae (quam nunquam sine devota veneratione nomino, et cujus Tu dignissimus Socius) omnia indicta aliis incognitaque pateant, benivole supplere velis illa, quae in dissertatiuncula hac mea, quod probe equidem tenuitati meae notum, deficiant. Quae nigrum Theta merebuntur in hac Tethyorum recensione, jugulabis rogo, et spongia induces hanc ab Italis dictam. Spongiam, quod Ajaci olim suo fecit Augustus. Nec taedium inde capies, si Tethyorum occasione in philologorum et antiquitatis abyssum delapsus, ad Historiam naturalem illustrandam quaedam inde retulerim. Hoc enim studii genus nos Medicos ab Empiricis et puris Clinicis distinguit; et non sine ratione humaniores vocantur literae, non nisi ab inhumanis neglectae. Magni Meursii me querelis in hos studii liberalis osores non sine amarore effusis, expediam: Qui literarum, inquit, humanarum et antiquitatis studia rejicula censent, nae illi vacerae sunt et statuae caput habentes. De Apuleji prosapia videntur, i. e. inter Asinos praecipui: nam aureus ille fuit. Severiora equidem verba, vera tamen, quae eo fidentius profero, cum probe mihi constet, Tibi Musarum consortium curae quoque cordique esse. Quod superest, sancte hisce promitto, non ullo unquam tempore me commissurum, obsequium ut in me desiderare possis, in illis praesertim rebus, quae mutuae amicitiae ulterius firmandae usui esse possint. Vale et favere perge

TVO

M. F. Lochnero

Arch. Caesar.

Cap.

Cap. I.

QUae lepidiſſimus jocoſae amoenitatis arbiter *Petronius*, de Romanorum deteſtanda ingluvie, qui mare, qui terras alieno ſole ealentes, per improbam ſatietatis laſciviam peragrarunt, cecinit:

Ales Phaſiacis petita Colchis,
Atque Aſrae volucres placent palato,
Quod non ſunt faciles; at albus anſer
Et pictis anas enovata pennis,
Plebejum ſapit. Vltimis ab oris
Attractus ſcarus, atque arata ſyrtis
Si quid naufragio dedit, probatur.
Mullus jam gravis eſt: amica vincit
Vxorem: roſa cinnamum veretur.
Quicquid quaeritur, optimum videtur.

Hoc de Medicina noſtra pariter optimo jure ſcribere licet, dum Medicorum et aegrorum plurimi, medicamentis alieno ſub ſole natis inhiant, maximeque expetitur id, quod

- - - - remoto arceſſitur orbe.

Scilicet quo rariora, & cariora eo quoque chariora; cum tamen ſaepius illa, quae pedibus calcamus, cum exoticis pari paſſu ambulent, imo ſaepius illa ſuperent. Optimus igitur labor illorum, qui indigenam medicinam, ſuae cuique regioni ſufficientem, vindicant, earumque ἀυτάρκειαν omnium exponunt oculis; quod de Gallia et Lotharingia ſua probarunt Antonius Conſtantinus et Symphorianus Campegius; de Dania Bartholinus et Borrichius de Batavia Beverovicius, de Scotia Sibbaldus; de Helvetia Gesnerus et Scheuchzerus.

Horum omnium ſtudium eo collineat, ut oſtendant illud Poëtae:

Proſpexit natura ſibi. Quod habere neceſſe eſt,
Sub quovis coeli climate mundus habet.
Eſt ſtupor in nobis, gravis ignorantia mentes
Poſſidet, et quae ſunt proxima ſpernit homo.

Quod procul eſt curat, longinquis quaerit in oris,
Sponte licet tellus det meliora domi.

Nec haec proximorum labes ſeculorum, ut noſtra nobismet ſordeant; Plinii quippe querela arguit, Libr. 24. c. 7. jam ſuo tempore vitium hoc invaluiſſe: *Hinc nata medicina*, inquit, *haec ſola naturae placuerat eſſe remedia parata vulgo, inventu facilia ac ſine impendio, ex quibus vivimus. Poſtea fraudes hominum et ingeniorum capturae officinas invenere iſtas, in quibus ſua cuique homini venalis promittitur vita.* Et alibi: *Arabia atque India in medio aeſtimantur, ulcerique parvo medicina a rubro mari imputatur, cum remedia vera quotidie pauperrimus quisque coenet.*

Haec tot ſeculis inveterata, exotica medicamenta habendi cupido ex animis hominum praejudiciis jam obcoecatis, aeque difficulter eradicabitur, ac illa modo memorata

prodiga rerum
Luxuries, nunquam parvo contenta paratu,
Et quaeſitorum terra, pelagoque ciborum,
Ambitioſa fames, et lautae gloria menſae.

Cum igitur deſperemus de reducenda iterum medicina indigena, in id incumbendum medico maxime, ut ad morem rite indagatorum Indigenarum, devecta a remotiſſimis oris ad nos, pariter explorentur, ulteriusque examinentur, num fucis inquinata a mercatoribus lucrum ex noſtra ſaepius ſtultitia captantibus, an carie et ſitu e longoitinere ſcateant, indeque in uſum medicum vocari poſſint? Praeter nota jam exotica, dantur inſuper inter immenſas iſtas ſtupendasque opes, quibus auri gemmarumque dives India, ſingulis annis Europam noſtram beare ſolet, plurima nomine tantum nota naturae cimelia, quae, ni medicus, dum illorum mentio injicitur, ignorantiae culpam incurrere velit, rimanda ſunt.

Ne igitur, quod aliquoties jam mihi, pruriente hoc ſeculo ab exteris urbem noſtram tranſeuntibus factum, contingat pariter aliis, ut exhibitis rarioribus nunquam viſis, nunquam audi-

ditis, ad ſilentium redigantur, a tot jam amicis, quorum juſſa capeſſere fas eſt, monitus in animum induxi, nonnulla adhuc exoticorum, e quorum claſſe in Parreira brava, Mungos et Ananaſa ſpecimina jam dedi ulteriori examini ſubjicere, et quae de illis lecta mihi collectaque, publicis deſtinare uſibus, partim ut pateat, an, Seneca judice, ex eorum genere ſint, quibus vel ex natura ſua, vel ex opinione vulgi magnitudo accedit; partim ut meo exemplo viri, hoc in ſtudio doctiores exercitatioresque, in locis praecipue iſtis, ubi rerum hsrum ex Indiis allatarum copia ſuppetit, incitentur, ut in ſcriniis ſaepius latentia ſcripta acutiſſima, incomtis hiſce meis, nec pumice expolitis, lucem majorem concilient.

Jamque ſub examen, quodcunque dat Indica Tethys
Mittitur.

BELELING vel BELILLI aut BEDILLE, in Transact. Angl. forte ex typothetae errore, dictum, exinde proveniens medicamentum, ſi famae fides, ſaluberrimum, quod fruſtis arundineis excavatis impactum, calceque indurata in extremitatibus firmatum ad nos affertur. Concretum inibi contentum, Piſcium mentitur ſanguinem; pingue quoad tactum, ſaporis laſcivi ſalini amaricantis, odoris hepatum piſcium exſiccatorum: hinc ipſi ab Indis nomen *Dara Belilli* ſeu *ſanguis Belilli* inditum, cum de piſcium ſanguine nil quicquam participet, licet marinos agnoſcat natales.

Cap. II.

QUi primitus notitiam hujus dedere medicaminis, retulere, *Dara Belilli* ſuccum exiſtere plantae expreſſum, neſcii tamen, cui plantarum generi accenſenda foret. *Belille* equidem frutex eſt altitudinis ſesquihominis, ſinuoſis ac tortuoſis ramis arbores ſcandens, radices habet rufas, fibras emittens capillatas; caules alit lignoſos nodulatos ac in ſupremis partibus quadrangulatos; folia ſunt oblongo-rotunda, tenuia, piloſa, ac veluti lanuginoſa, candida; hinc plantae quoque in Lingua Bramanum *Sravadi* audiunt, qua voce color candidus denominari ſoler.

Mirus

Mirus naturae lusus est in hoc frutice, ob varios colores, quibus flores exornantur; eorum enim aliqui sunt pulchre rubicundi, alii vero albissimi, qui flores albi apud Indos tam frequenter comedi solent, ac apud nos lingulatum blitum vel beta. Ejusmodi mutationem florum diversicolorum in uno caule videre licet, in Solano Mexicano flore magno Casp. Bauhin. in Pinac. sive admirabili Peruana, cujus flores alii flavi, alii rubri, albi alii, discoloresque alii, non secus ac in hac *Belilla*. Hinc Excell. Commelinus credit, eam pro arborescente illius specie haberi posse, ni fructus differrent seminaque. Fructus enim oblongo-rotundi, et minutulis obsiti pilis; cum immaturi, sunt virides, cum vero maturi, ad flavum vergunt, intus carne densa, viridi, saporis adstringentis et subacidi. Latet in his fructibus congeries seminum minutulorum, quae in ea jacent velut semina piscium, ac in quatuor series per membranam intermediam albicantem distincta, suntque colore viridi, cum in imo sunt coadunata, seorsim autem singula conspectui oblata, albicantia et transparentia instar arenularum, matura sunt colore nigerrimo. Haec aliquanto latius ex Horti Malabarici Tom. II p. 27. excerpsi, ut omnibus innotescat, *Dara Belilli*, quod describere constitui, cum *Sravadi* Bramanum nihil commune habere.

In Catalogo simplicium Exoticorum addito insimul pretio, quorum copia venalis exposita apud Pharmacopoeorum Amsterodamensium solertissimum Historiaeque naturalis et scientissimum et cupidissimum, Albertum Seba, occurrit oleum destillatum Bellilis Afric. pretio quatuor florenorum uncia. Cujus stirpis vel plantae non equidem constat, an jam descriptae Malabaricae Sravadi, an alterius. An non forte pertyposthetae Vitium Bellidis Africanae?

Marinus et falso-lascivus *Belilli* sapor plurimos induxit, ut e planta marina ejus arcesserent primordia, nec tamen ulla plantarum illarum siccarum et exsuccarum supererat, productioni hujus materiae idonea, quippe e quibus, ceu e pumice, nec aqua, nec sanguis exprimi potest; *car beaucoup des plantes marines*

ne

ne reſſamblent qu'a des plantes. Enfin la Botanique de la mer n'a presque rien de commun avec celle de la terre : plurimae enim marinae plantae referunt tantum plantarum ſimilitudinem ; *quippe Botanica marina ferme nihil cum terreſtri commune habet.* Verba ſunt Hiſtor. Acad. Reg. Scientiar. Ao. 1700. p. 87.

Alii ex *Holothuriis* concreto illo marino, ſumme noxio venenatoque, ortum deducere autumarunt ; quod Zoophyti genus in Indiae orientalis mari maxime obvium, tantae tamen perniciei, ut, ſi imprudentius quis hanc ſali progeniem contrectaverit, ardor ſtatim manum invadat, tanquam ſi aqua ferventi ſuffuſa eſſet, et niſi appoſito ſtatim allio contuſo cum aqua ſubveniatur, prae dolore in febrim quis incidat, quod triſti experientia edoctus, de ſe ipſo teſtatum reliquit Jacobus Bontius Hiſt. Natural. et Med. Indic. libr. V. c. 27. Hinc urticis marinis accenſet Plinius ille Amboinicus, Clariſſ. Rumphius, *Epidormidesque marinas* nominat, inque lingua Amboinenſi *Huron* dictas refert, additque : *Si Amboinenſes Latinam callerent linguam, crederem ab urendi facultate iis nomen deduſſe.* Hinc forte eſt, quod Sextus Empiricus, non ignobilis Philoſophus, Zoophyta, quae inter Holothuria fere primatum ducunt, ex igne generari prodiderit.

Deleteria hac noxa non obſtante, lucro inhiantes fallaciſſimi mortalium omnium Sinenſes, ut liquorem ſuum deſtillatum *Arak* dictum, tanto penetrantius reddant, oryzae Holothuriorum ſuccum immiſcent ; unde non mirum Bontio eſſe videtur, Belgas nautas, hujus *Arak* potui inhiantes, ſanguinis ſputum, phthiſin, maraſmum ipſamque contrahere mortem, atque hoc eſſe, ut Plautus ait, quod homines tam brevem vitam colant, cum inſtar ſtrigilum, inteſtina abradant et exedant ; cui malo auferendo a laudato jam Bontio Infuſum Rhabarbari in decocto Tamarindorum tanquam ſpecificum commendatur. Et licet depellendo pernitioſiſſimo hoc Sinenſi invento, haud exigua illis poena decreta, qui in flagranti iſtoc deprehenduntur lenocinio ; dantur tamen Apicii, qui in pernitioſiſſimis his illecebris,

guſtus delitias quaerunt ; holothuria enim marinae incoquunt aquae, additisque Sajor Sanga, Limonum ſucco, corticibusque tenuiſſime inciſis, arundini excavatae, inſtar *Belilli* infundunt, et condiendis cibis aſſervant, credentes, coctione et admixtione acidi Limonum deſtrui vim deleteriam, quae omnia refert Cl. Rumphius Muſ. Amboin. Libr. I. cap. 42. p. 50.

Sic de adnaſcente in maris ſuperficie rupibus, poſtea hinc inde fluctuante Firome et Konbu vulgo et literatis dicto, memorat Exc. Kaempf. Amoenit. Faſc. V. p. 853. totum genti poſt praeparationem eſculentum eſſe, quanquam coriaceae ſubſtantiae, ideoque Tethyis ſimilis. Veriſimile autem eſt, Holothuria repertu dari innoxia et inertia, quippe urticae marinae pariter inertes aeque ac urentes. vid. Cl. van Heide in Experim. circa urticam marinam. Firmant hoc ulterius nidi illi notiſſimi avium, omni deleteria acrimonia deſtituti, pro obſoniis ad coquinas expetiti, quos rupibus oceani orientalis affixos, ab hirundinibus marinis domeſticis multo majoribus paratos, ex holothuriorum, mari innatantium, materia parari, et a Japonenſibus *Jenuda*. item *Jeniku* vulgo *Jens* vocari, refert Cl. Kaempferus loco citato. Cum vero Dara *Belilli* arundini excavatae aeque ac Holuthuriorum concretum, cujus e Rumphio mentio injecta, incluſum ſit, factum inde credo, ut a nonnullis marina haec producta confunderentur.

Proxime ad metam vergunt, qui *Belilli* origines in Tethyis quaerunt Zoophyto, cujus in Scholis medicis nomen aeque ac natura paene ignota; hinc ad melius intelligendam, quam tractamus materiam, e veteribus in memoriam revocare neceſſe duximus Tethya.

Cap. III.

Tethya a *Tethy* Dea nomen traxiſſe volunt; marinum concretum a Dea marina. Sic enim plurimis Poëtis Graecis et Latinis pro Mari ſumitur et origine fluviorum, teſte Heſiodo Θεογον. V. 337.

Τηθὺς

Τηθὺς δ' Ὠκεανῷ ποταμὰς τέκε δινήεντας.
Tethys autem Oceano flumina peperit verticosa.

ac V. 368. Υἱεες Ὠκεανοῦ, τὰς γείνατο πότνια Τηθύς.
Filii Oceani, quos genuit veneranda Tethys.

Insularum quoque fingitur mater, eodem Hesiodo V. 363.

Αὗται δ' Ὠκεανοῦ καὶ Τηθύος ἐξεγένοντο.
Atque hae Oceano et Tethye prognatae sunt,

canente: hinc circa eandem Tethyn et Oceanum congregari Insulas, et chorum agere, fingit Callimachus, tanquam filias nempe circa patrem Oceanum ac matrem Tethyn, quas inter primaria Delus. Sic Battiades Hymn. in Del. v. 17.

ὁππότ' ἐς Ὠκεανόν τε καὶ ἐς Τιτηνίδα Τηθὺν,
Νῆσοι ἀολλίζονται· ἀεὶ δ' ἔξαρχος ὀδεύει.
Quamdiu in Oceano et Titania Tethy,
Insulae erunt: sed semper Delus primaria habebitur.

Callimacho consentit Lycophron, qui Titanitidem pariter vocat,

γραῖαν ξύνευνον Ὠκεανῷ Τιτανίδα,
Anum Titanidem Oceani conjugem.

Et ex Latinis Ovid.

- - *Oceanus quondam Titanida Tethyn,*
Qui terram liquidis, qua patet, ambit aquis.

Obtinuit autem hoc nominis, quod inter Titanas foeminas Tethys, juxta Rheam et Themin, ab antiquis Mythologis relata. Hinc Τιτανὶς appellata itidem *Themis* apud AEschyl. Prom. v. 873. et alibi secundum eundem, *Phoebe* Τιτανίς. Evmen. v. 6. et Τιτανὶς Μήνη, *Titanes Luna*, quae eadem cum *Phoebe* legitur apud Apollon. Rhod. l. 4. v. 54. aliam tamen significationis hujus causam mox suppeditabimus.

Ad imitationem Grajorum maris quoque Deam Tethyn pronuntiarunt Latini. Sic Ovid. Metamorph.

Et ad canam descendit in aequore Tethyn.

Senec. in Troad. v. 878.

Te magna Tethys - - - -
Placidumque numen aequoris tumidi Tethys.

In Hercul. Oeteo v. 1899. *Audiat ictus utraque Tethys*; una nempe Solem orientem emittens, altera occidentem excipiens; vel eodem significatu, quo *Neptunus* pariter Catullo *uterque* dicitur, de quo vid. Nerium nostrum. Sic Silio Italico *reciproca Tethys*; Lucano, *vaga Tethys*; aliis, *fugax, refuga, falsa, gelida* vocatur; quae epitheta mari potissimum conueniunt.

Tethym tamen terram potius esse plurimi, contendunt. Et Eustathius quidem κριτικώτατος in Homer. Iliad. π. Tethya a Tethy ideo nomen obtinuisse credit, quia prae caeteris marinis naturae sunt terrenae, (τὰ τήθη γεώδη μᾶλλον τῶν ἄλλων θαλασσίων) propter ambientis testae duritiem. Tethym autem terram esse et Titaeam, probatum ibimus ex Diodoro Siculo, Auctore, ex Nobiliss. Barthii ad Stat. IV. Theb. p. 1175. elogio, minime pro vulgari aestimando, quem Plinius apud Graecos nugari desiisse auctor est, utique tam propter tituli spretam ambitionem, quam fabularum discretionem. Non enim alio fine primos tres libros scripsisse videtur, quam ut aliquam fabulosam temporum historiam conficeret. Hic igitur Histor. Libr. III. p. 190. edit. Rhodom. Τιταίαν sive Tethyn, Οὐρανῷ primo Atlantiorum Regi marito, XIIX. liberos peperisse: τὴν δὲ Τιταίαν σώφρονα οὖσαν καὶ πολλῶν ἀγαθῶν αἰτίαν γενομένην τοῖς ἄλλοις ἀποθεωθῆναι μετὰ τὴν τελευτὴν ὑπὸ τῶν εὖ παθόντων γῆν μετονομασθεῖσαν. *Tetaea autem, quod et prudentia et meritis erga alios excelleret, post fata inter Deos ab bis, quos beneficiis sibi obligarat, recensita fuit et Telluris nomen accepit.* Atlantii enim, pergit Diodorus, Deos apud se natos gloriantur, atque huic suae assertioni illustrissimum Graecorum Poëtam τὸν ἐπιφανέστατον τῶν παρ' ἕλλησι ποιητῶν, adstipulari dicunt, qui Junonem sic interloquentem fingit:

Εἶμι γὰρ ὀψομένη πολυφόρβας πείρατα γαίης,
Ὠκεανόν τε Θεῶν γένεσιν καὶ μητέρα Τήθυν.
Longinquos abeo fines invisere Terras,
Oceanum Tethymque, patrem matremque Deorum.

Haec Σιβυλλης Διόδωρος μέγα πλέος ἰσοριικῶν, e maximi Jos. Scaligeri elogio. Credidere nonnulli, Poëtam, quem citavit, esse Hesio-

dum; sed Homerus merito hoc mactatur elogio; versus quippe Iliad Ξ. v. 200. legendi. Discimus ex hoc Diodori loco, Tethyn sive Titaeam fuisse Vrani sive coeli uxorem, liberosque inde creatos Titanas dictos; unde nomen illi Titaniae Tethyos, non quod filia Titanum, quod supra retulimus, sed mater. Huc collineat AEschylus Prometh. v. 205.

Τιτᾶνας οὐρανΐτε καὶ χθονὸς τέκνα.
Titanas coeli et Telluris liberos.

Tityonis forte nomen hinc ortum, quippe a Vigilio dicitur *Terrae omniparentis alumnus.*

Doctiss. Rudbek. Atlantic. T. II. c. 4. p. 59. probare nititur, Titaeae vocem apud Diodorum fluere ex Gothica Lingua, et significare *Te-Deja, Terram Deam.* Titaea forte a Τίτθη. Sic enim nutrix. Aristophan. ἱππ. v. 723.

Καθώσπερ αἱ τίτθαι γε σιτίζεις κακῶς.
Nutricum more tu populum pascis male.

Vid. quae ad hunc locum habet Scholiastes et ex illo Suidas, quia nimis longus. Probant porro Tethyn Terram denotare Hesychius: Τηθὺς ἡ γῆ, et in voce Θέτις. ἡ δὲ γῆ λέγεται Τηθύς. Ad priorem Hesychii locum respiciens Cl. Matth. Martinius in Cadm. Graec. Phaenic. *Tethyn, Terram* ex Hebraico טיט *lutum* deducit.

Eustathius pariter p. 978. Τήθυν τὴν κοινὴν τροφὸν γῆν, *Tethyn communem nutricem Terram* pronunciat. Suidas dilucidius, quam reliqui omnes, scribit: Τηθύς, ἡ γῆ, παρὰ τὸ τιθηνὴ εἶναι, καὶ τροφός Ὅμηρος· Ὠκεανόν τε θεῶν γένεσιν, καὶ μητέρα Τηθὺν, τετέχνιν, ὑγρὰν οὐσίαν καὶ ξηράν. *Tethys Terra, quod altrix et nutrix sit animalium. Homerus: Oecanum deorum parentem et matrem Tethyn, hoc est humidam et siccam naturam.* Et in voce, τιθηνὸς· κατὰ μεταφορὰν λέγεται καὶ ἡ γῆ τιθηνός. *Per translationem et ipsa terra dicitur* τιθηνός, quod omnia animalia nutriat et alat. Ideo dicitur *alumna* et per syncopen *alma.* Homerus jam olim illud indicavit, appellans terram modo τροφερὴν, modo πολύφορβον, modo βωτιάνειραν, modo παμμήτορα Τήθυν. Apud Suidam scribitur: Τιθηνὰς,

τροφὲς, καὶ τιθηνήτειρα. Restituit et interpolatur hunc locum Aemilius Portus. Τιθήνας, τροφὲς, καὶ τιθηνητήρ, τροφὸς εἴτε τροφεύς, καὶ τιθηνήτειρα, ἡ τροφὸς, ἡ καὶ τιθήνη. *Tithenas nutrices et Titheneter. Nutritor, Nutritius, alumnus, altor. i. e. qui alit et nutrit. et Titheneteira Nutrix alumna, quae nutritas alit. Altrix.* Distichon Epigrammatis libr. III. Epigr. 167.

πολλὰ τιθηνητὴρ ὀλοφύρατο, χερσὶν ἀμήσας
Ανδρομάχοις δνοφερὰν κρατὸς ὕπερθε κόνιν.

Multum nutritor luxit, manibus congesto
Bellicosis atro caput supra pulverem.

Eustathius tamen testis est, Tethyn sumi pro ipso Oceano: αὕτη (Τήθυς) γὰρ Ὠκεανός. *Ipsa etiam oceanus.* Verum quid per hanc Tethyn intellexerint prisci naturae consulti, aut ut eos subinde Veteres vocant, οἱ Θεολόγοι, omnium optime e Proclo Libr. V. in Timaeum nos docet illustriss. Spanheim. Not. et observ. in Callimach. Hymn. in Del. p. 333. ubi Proclus varias refert de eadem opiniones, ac inter alia p. 293. Τὴν δὲ ΤΗΘΥΝ, οἱ μέν τὴν ὑγρὰν αὐτὴν εἶσίαν Φάσιν, οἱ δὲ τὴν πολυμεταβολον Φύσιν, οἱ τὴν τε παντὸς εὐθυμοσύνην, ὁ δὲ Θεῖος Ιάμβλιχος, ποιητικὴν διάθεσιν εἶναι αὐτὴν, τὴν ἐν τῷ ἐνεργεῖν δραστήριον ὑποτίθεται κατάσασιν. *TETHYN autem quidam dicunt esse ipsam humidam naturam: alii vero naturam plurimum mutabilem, nonnulli universi concinnam ordinationem: divinus autem Jamblichus supponit illam esse effectricem dispositionem, seu in operando promptam ac efficacem constitutionem.* Quibus addit in sequentibus, unde dicta sit eadem TETHYS, nempe juxta traditam, a Platone in Cratylo ejusdem vocis, quam parum probabilem, originem, ac ejus praeterea ab Oceano discrimen: τὸ οὖν Ὠκεανοῦ πᾶσαν κίνησιν γεννῶντος ἀθρόως θείαν, νοερὰν, ψυχικὴν, ἡ ΤΕΘΥΣ ὅσα διακριτικὴ τῶν κινήσεων τῶν ἔνδον καὶ τῶν ἔξω, καλεῖται Τηθὺς διαττῶσα καὶ διηθοῦσα τὰς ὑλικὰς ἀΰλων κινήσεων. *Quum vero Oceanus omnem motum gignat promiscue, divinum, intelligibilem, animalem, naturalem, TETHYS autem ea sit, quae discernit motus internos et externos, ideo inde etiam dicta, quasi percribans et percolans materiales motus ab immaterialibus.* Quae loca ideo obiter adscribere placuit viro illustrissimo, ut vel inde eorundem Platonicorum in explicandis veterum Poëtarum θεολογμένοις multi-

multiplex varietas, aut etiam ἀπορία eluceſcat. Conferri cum his ab Ill. Spanheimio adductis poſſum: Phurnutus de Natur. Deor. c. 8. c. 17. p. 172. et 177. Heraclid. Ponticus Allegor. Homer. p. 444. et paſſim alii plures, qui *Thetin* ſcripſere, e Mſtis correcti ideo ab eruditiſſimo Gale. Itaque cavendum, ut id poſtremo addam, ne quis *Tethyn* et *Thetin* confundat, quod a ſummo viro Salmaſio ad Plautum in Trinum. Act. 4. Scen. I. v. 1. factum annotavit Anna Daceria, ſeculi decus.

Salſipotenti et multipotenti Jovis fratri et Nerei Neptuni
Laetus lubens laudes ago.

ubi legendum putat: *Nereine Neptuni*; et addit: Nereine Neptuni uxor, quae vocatur Thetis Poëtae: et ibi fallitur; nam Thetis Neptuni uxor non fuit, ſed oceani, vel ſecundum alios, Vrani conjux. Hunc autem locum Plauti ſic explicat foeminarum eruditiſſima: *Laetus lubens laudes ago ſalſipotenti et multipotenti fratri Jovis et Nerei* (in Dativo) *Neptuni*, ſubaudi filio, ut dicitur Alexander Philippi. Differentiam utriusque expreſſit Catullus:

Tene Thetis tenuit pulcherrima Neptunine?
Tene tuam Tethys conceſſit ducere Neptem.

ac Heſychius: Θέτις, ἡ μήτηρ Ἀχιλλέως. ἡ δὲ γῆ λέγεται Τηθύς.

Fuit autem Thetis Nerei Doridisque filia, quam cum Jupiter ob hujus pulchritudinem adamaret, uxoremque ducere decreviſſet, monitus a Prometheo, qui a fatidica Themide audiverat, quod filius ex ea, patre major futurus eſſet, deſtitit, ne quod Saturni Patri acciderat idem ſibi contigiſſet; hinc Ovidius.

Jupiter aequoreae Thetidis connubia vitat.

Quamvis fabulam hanc aliter recenſeat, et filiam Thetidi e Jove tribuat, Apollodor. Biblioth. Libr. I. cap. 3. § 6. p. m. 9. 10. Edit. Pariſ. Th. Gale. Vocatur Neptis Tethydis ob Doridem Tethyos filiam, atque inter Nereides et Oceaninas refertur ab Heſiod. Theogon. v. 244.

Εὐδώρη τε. Θέτις τε Γαλήνη τε, Γλαύκη τε,
Eudoraque, Thetisque, Galeneque, Glauceque.

Iterum

Iterum Ovid.

Vecta eſt fraenato caerula piſce Thetis,

nempe Delphino, uti Nereides, de quibus in Nerio noſtro.

Tandem haec Thetis a Peleo, AEaci filio, Chironis Nepote, in expeditione Colchica adamata eſt, qui illam ſive invitam ſive volentem duxit Nuptiae in Pelio Theſſaliae monte circa Chironis antrum celebratae, eoque omne Deorum genus invitatum, excepta Diſcordia. Haec ut contemptum ulciſceretur, Pomum aureum inſcriptum: PVLCHRIORI, nuptiali Deorum conſeſſui projecit, Dearumque poſtea aemulationi anſam dedit. Ex hoc marito filium ſuſcepit Achillem. Hinc:

Felix et nato, felix et conjuge Peleus,

Cenſente Naſone toties laudato. Pulcherrimam fuiſſe, Poëtae teſtantur; ideoque ἀργυρόπεζα dicitur Heſiod. Theog. v. 1006.

Πηλεῖ δὲ δμηθεῖσα θεὰ Θέτις ἀργυρόπεζα
Γείνατ' Αχιλλῆα.

A Peleo autem ſubacta Dea Thetis argenteos pedes habens,

Peperit Achillem.

Orpheus pariter in Argonauticis v. 383. hoc nomine mactavit.

Filium Achillem infantem adhuc ſtygiis immerſit undis, utque invulnerabilis fieret, Chironis avi educationi tradidit, venturi praeſcia Thetis. Mythologiam ejus ex Iliaca Tabula, quam Excell. Fabrettus edidit, commentario illuſtravit Solertiſſimus Begerus in Bello et excidio Trojano.

Cap. IV.

IN voce τίτθος vocis Tethyorum incunabala quaerunt nonnulli. Exponitur haec vox ab Heſychio non tantum τροφὸς, *nutrix*, verum etiam τιτθὸς, μαζὸς i. e. *mamma*. Et Svidas: τιτθοὶ, οἱ μαζοὶ, ἤτοι τῶν μαζῶν τὰ ἄκρα. *Mammae vel potius ipſae mammarum ſummae partes*, quas Latini papillas vocant. Itali *capecchia* et *cappezole*; Capitulum mammarum. Veneti *cavedello*. Inſubres *Burino*, quaſi uberinum. Gloſſ. ἀκρομάθιον (potius ἀκρομάζιον)

μάστον) *Ruma, papilla.* Item *Cizza*, forte ex Germanico Zitzen; vel a sugendo. *Poppa* a papilla, *poccia* a potando. Juvenalis:

Et potanda ferens infantibus ubera magnis.

Vid. Excell. Ferrar. in Origin. Lingu. Italic. p. 301.

Diminutivum vocis τίτθος est τίτθιον mammilla; qua voce passim prae aliis utitur Aristophanes in Batrach. sive Ran. v. 415.

τίτθιον πρόσυψαν.
Aspexi papillas.

Πλυτ. v. 1068. κατὰ τῶν ττθίων.
Εφάπτεταί σου. *mammas tuas contrectat.*

Cum in prioribus Aristophanis editionibus sic legeretur, syllaba una in metro redundante, auctoritate Eustathii, qui scripsit: καὶ τῶν τιτθίων, restituit Cl. Kusterus in nitidissima Aristophanis editione, ut versui justus constaret modulus.

Acharn. v. 1198.

Τῶν τιτθίων ὡς σκληρὰ καὶ κυδώνια,
Ut durae sunt papillae, ut sunt Cydonia.

Pac. v. 863. Τὶ δῆθ' ὅταν ξυνῶν τῶν τιτθίων ἔχωμαι,
Sed quid cum cohaerens comprimam papillas.

Θεσμοφορ. v. 150. Ἀλλ' ὡς γυνὴ; δῆτ' εἶτα ποῦ τὰ τιτθία.
An vero ut foemina? ubi igitur mammae.

et v. 696. Ἐξαρπάσας μοι φροῦδος ἀπὸ τᾶ τιτθία.
Rapto ab uberibus meis e conspectu aufugit.

Ανσιστρ. v. 83. Ὡς δὴ καλὸν τὸ χρῆμα τιτθίων ἔχεις.
O bellulae istae quas babes papillulas.

A voce hac τιτθίον, descendere videtur vox Gallica *Teton* citius, quam a τίτθος vel τίττος, quod eruditissimo Menagio placuit dans les origines de la Langue Françoise. p. 842. Ejusdem originis credit esse Cl. Cruciger in Harmonia Linguar. Cardinal. §. 316. latinam vocem *Titillo*, quod fit τῶν τιτθύων praecipue ac mollium partium contrectatione, a quo Flandricum *Kitseln* et Germanorum Kitzeln fluit.

Nec voce τιτθίων tantum utitur Aristophanes; sed et ejus loco τίτθας substituit. Θεσμοφορ. v. 647.

καὶ νὴ Δία τιτθὰς γ' ὥσπερ ἡμεῖς οὐκ ἔχει.

Nec per Jovem mammas, ut nos habet.

Sic pariter Lysias Orat. 1. p. 6. Παιδίον, ἕνα τιτθῶν αὐτῷ διδούς *Infantulus, cui unam mammam dans*. Diversae autem ab his τιτθίαι, fasciae, quibus comoedi utebantur, ut de iis Alexis apud Athenaeum Libr. XIII. p. 568. et prout versus illos distinguit ὁ πάνυ Grotius in Excerpt. Comic. p. 571.

κοιλίαν ἀδρὴν ἔχει
τιτθίοις ταύταισι τούτων, οἷς ἔχουσ' οἱ κωμικοί.

Sicut venter prominet fasciis, videre quales in Comoediis licet. Vid. Illustriss. Spanheim. Not. in Aristophan. Plut.

Caeterum non sine admiratione observavi omnes paene Linguas circa nomenclaturam illius, quod primum nobis praebuit alimentum, conspirare. Eruditissimus quippe Menagius in radicibus Linguae Graecae vocem τίτθην ἀπὸ τοῦ τίθημι, quoniam in ore infantis ponitur, deducit, vel ut Athenaeus expressit: διὰ τὸ ἐντίθεσθαι τὰς θῦλας, *quod papilla ori inditur*. Si Ebraeae tanquam primaevae Linguae assurgimus, a voce דַּד *uber*, *mamma*, *mammilla*, omnia facillime possunt derivari. Cum enim usurpetur tantum pluraliter sive dualiter, et vulgo scribatur דַּדִּין quilibet facile videt τίτθον Graecorum inde nil plane differre, a qua denominationes aliarum Linguarum pleno quasi alveo fluunt. Est autem ex Hebraeo שַׁד commutato שׁ in ת. Semel pro eo usurpatur Hebraeum דַּד *uber*, *mamma*, et pluraliter tantum usurpatur semper alias תד. Nomenclator Eliae Levitae p. 19. דד *mammilla*, τιτθίον. Ad quae verba Clariss. Drusius Pater: דיד *mammilla*, imo דַּד *mamma*, μαζοὶ שָׁדַיִם *ubera*. Sunt, qui ubera interiora, mammas ipsas eminentias dici volunt. Apud Job. Isahac שַׁד *mamma*, דַּד idem. קובת vel קֻבַּת *uber animantium*. Apud Talmudicos דַּד significat *epistomium* labri vel alterius vasis aquam continentis, quod instar mammae mulieris factum erat, et aquas effundebat. Jom. fol. 37. vid. ἐβραϊκώτατος Buxtorf. Lexic. Rabbin. p. 503. et 2565. Cl. Cruciger in Libro doctissimo, sed non ubivis obvio, inscripto: Harmonia Linguarum Cardinalium, §. 319. a voce Chaldaica דד vocem דיד et דודאים derivat, illam quidem

quidem *Amicum* denotantem, quod infantibus matrum ubera sint acceptissima et amicissima ; hanc *Mandragoram*, cujus poma mammillarum referre deberent ubera, si vera sunt, quae Rabbini narrant.

Ab Ebraeo תד vel דד, Graecorum τήθη et τιτθὴ, τήτθις et τίτθις, facile erit reliquarum Europaearum Linguarum denominationes eruere. Gothicum nempe *Disse* vel *Ditte, mamma*, teste Eruditissimo Rudbekio Atlant. T. II. cap. VI. p. 446. unde *Detja* et *Deggia* lac praebere in Verel. Indice Linguae veteris Scytho-Scandicae sive Gothicae p. 50. *Titte* quoque *mammam* denotare, tradit vir eruditissimus Atlant. T. II. c. 4. p. 58. Bolendum in Evangelio Gothico Vlphilae a Generos. Stiernhielm. et a Fr. Junio edito, deesse caput XI. Luc. in cujus versu 27. mammae mentio injicienda fuisset. Ad imitationem Gothicae vel potius Ebraeae, Saxones et reliqui Germani scribunt *Dutte* et *Tiitte*, Frisii secundum Drusium *Tätten*. Sic a τήθη Hispanicum *Teta*, Italorum *Tetta*, Gallorum *Teton*, Cambro-Brit. *Teth*, Anglorum *Teate*, Belgarum *Titte*, et sic de reliquis.

Liquet ex hactenus allatis τήθυν et τίτθην nutricem mammamque significare, ut μαζὸς quoque teste Scholiaste Callimachi ad v. 96. *Hymn. in Cererem* : ὁ μαζὸς ὃν ἔπινεν, ἤγουν ἡ τροφός. Prout scilicet jam olim, observante Illustriss. Spanheimio ad hunc locum, *mammas* dictas ab infantibus *matres*, quae vulgo illis nutricum officium praestare erant solitae, e Varrone liquet libro de liberis educandis apud Nonium in voce *Buas* ; nempe *cum cibum ac potionem buas et papas dicunt*, et *MATREM MAMMAM, patrem, tatam.* Hesychius: τιθηνὸς γὰρ ἡ τροφὸς καὶ τιθηταὶ, οἱ μαζοί. Unde notus ille Martialis jocus de Afra vetula Libr. I. Epigr. CI.

Mammas atque tatas habet Afra, sed ipsa tatarum
dici, et mammarum maxima mamma potest.

Sic vice versa *nutricem* pro *mamma* dixit Veronensis Vates ; annotante eruditissima Anna, et quod adhuc magis mireris, *Lac* quoque pro *nutrice* apud Callimachum in Epigramm.

§4. ἀγαθὸν γάλα, pro *bona nutrice*. Hinc Deae nutrices mammosae effictae apud Antiquos dictaeque τηθήναι, quae vox *matrem, nutricem*, simulque *mammam* designat, de quibus plura in peculiari de Deabus Tethenis dissertatione.

Jam Tethya quoque mammillarum specie haerent in saxis, fodita haerere cernimus, ut quasi ipsorum pars saxorum sint; ita Tethya dicta quasi papillae, ut concinne hac de re Aristotelem interpretatur maximus maximi Filii Parens, J. C. Scaliger, Comment. in Histor. Animal. Libr. IV. cap. IV. f. 132. Edit. Tholosan. Audiendus hic iterum Eustathius in Odyss. Δ; qui a verbo Δαῶ, Δήσω, quod significat θηλάζω, et est *lacto, jugo*, deducit τήθεα, τήθη et τηθίς, pro qua ultima voce apud Pollucem in primis Editionibus τιτθὶς legi, testis est post Seberum Cl. Jungermannus, cum τηθὶς legendum sit, id quod Nunnesius ad Phrynich. Eclog. l. in μάμμην jam monuit. Vid. pariter Ammon. de differ. et similitud. Vocabulor. Est autem τηθὶς ἡ δὲ πατρὸς ἢ μητρὸς μήτηρ, τήθη. Vid. Pollucis Edit. nov. Hemsterhuis. Libr. III. c. II. Sect. 17. p. 274. Pollucis verba reperiuntur pariter apud Suidam, qui haec sequentia insuper adjungit: ἡ κλητικὴ ὦ τήθα. τιθὶς δὲ θεία. *Vocativus* ὦ τήθα. τιθὶς *vero* θεία *amita. AEmilius Portus* ad haec Suidae Verba commentatur: *Italice corrupta voce apud quosdam dicitur Zia et* θεῖος *patruus Zio.* Citat porro Suidas seq. *Aristophanis* in Acharn. v. 49. locum.

Γάμη δὲ Κελεὺς Φανναρέτην τήθην ἐμήν.

Celeus, is Phannareten duxit aviam meam.

Vid. pariter Isaeus Orat. p. 505. Edit. Hanov. Julian. Orat. I. p. 6. A. Edit. Spanheim. qui vir illustrissimus Not. in prim. Julian. Oration. p. 42. hoc annotatum reliquit, τήθην materteram subinde apud veteres Grammaticos denotare, et ejus exemplum suppeditare Andocidem Orat. I. p. 237. ἵν' ἐξελάσῃ τὴν τήθην ἡ θυγατρίδη: ut scilicet neptis materteram excludat.

Ex hac τήθης derivationis diversitate fluit et scriptionis differentia: τῆθος et τήθυον rectus singularis a Graecis effertur, ut κῆβος et κέμμυον. Pro τηθεία apud Aristotelem Hist. Animal. Lib. V. cap. 15. in penultima reponit stupendae eruditionis Aldrovandus

dus τήθεα, apud quem et τὰ τήθυα et τὲ τηθύε legimus. Plinii Codices nonnulli habent *Tethea* ut Musa; repertu quoque datur apud Latinos Scriptores *Tethyum*, tribus syllabis, vel etiam *Tethus*, duabus syllabis, masculino genere.

Cap. V.

NOn minor circa significationem discrepantia. Veteres plurimi τήθεα credidere *ostrea*. Sic Homerus Iliad. Π v. 747.

Πολλὲς ἄν κορέσειεν ἀνὴρ ὅδε τήθεα δυφῶν.

Multos satiaret vir hic ostrea quaerens.

Quae verba sunt Patrocli exprobrantis Cebrioni e curru dejecto tanquam urinatori; ad quem locum commentans Eustathius: τήθεα, inquit, ab urinatoribus contrectantur ostreorum generis. Sic et alius innominatus Homeri Scholiastes: τήθεα nihil quam ostrea seu genus ostrearum interpretatur. Nec dissentit ab his Athenaeus Deipnos. Libr. III. c. 3. p. 88. Edit. Casaubon. τὰ δὲ τήθη παραπλήσια τοῖς προειρημένοις (de Phloadibus prius illi sermo erat) καὶ πολυτροφώτερα. *Tethya supra memoratis similia sunt, abundantius tamen nutriunt*; et quoniam inde genitivus pariter formatur τηθέων, τηθῶν, citat hanc in rem Aristophanem in Lysistrata v. 549.

Ἀλλ' ὦ τηθῶν ἀνδρειοτάτη καὶ μητριδίων ἀκαλήφων,

O Tethyorum fortissima et urticarum matercularum.

Vel ex Kusteri versione:

Sed vos matrum urticarum et generosarum vetularum.

Athenaeus huic ex Aristophane factae citationi adjunxit: ἐπεὶ τήθεα τὰ ὄστρεα. *Est enim ostreorum species Tetheon.* Pergit porro: *Poëta comico sale ad vocem* τηθήν, *quae nutricem indicat, et ad vocem* τὴν μητέρα, *quae matrem significat, allusit.* Μητρίδια Matriculos autem Concharum genus esse, Ennius innuere videtur in Phageticis:

Purpura matriculi, mures dulces quoque echini.

Aldrovandus urticas marinas μητρίδια dictas credit, forte a similitudine, quam cum pudendo muliebri habent. Hier. Columna Not. in Ennium, *Muriculei*, non ut Apulejus, *Matriculi* legendum

judicat, putatque *muriculos* esse *Musculos*, quos hodie *mytulos* vocamus, quorum accuratissimam Anatomen scripsit solertissimus van Heide. *Muribus* autem in versu substituit *Murex*. Non possum, quin ad locum Aristophanis supra citatum, et ab Athenaeo jam explicatum, Scholiastis pariter adjungam interpretationem: τήθας δὲ ϰ᾽ τὰς τροφούς. εἰσὶ δὲ ϰ᾽ ὄστρεα θαλάσσια - - - ἀκαλήφας δὲ λέγουσιν οἱ μὲν τὰς θαλασσίας. λέγουσι δὲ ϰ᾽ τὰς ϰνίδας ἀττικοί. ϰ᾽ ϰνίδη μὲν, ἕως ὅσον ἂν ἁπαλὴ ἔσι. ἐπὰν δὲ ϰ᾽ τὰς μητέρας, τουτέστι τὰς τὸ σπέρματος σφαίρας, ἀκαλήφη λέγεται. ἀκαλήφας ὧν, τὰς γραίας ἐκάλεσαν. ἐπειδὴ σκληραὶ ἦσαν, ϰ᾽ γενναίας. ϰ᾽ γὰρ τὸ Φυτάριον δάκνει. ἐπεὶ οὖν εἶπε τηθῶν, εἶπε μητριδίων, τουτέστι, τῶν ἐχόντων τὸ σπέρμα τῆς βοτάνης τῆς ἀκαλήφης. δάκνουσι δὲ αὗται· τοιαῦται δὲ ϰ᾽ αἱ γραῖαι. μητριδίας δὲ ἐκάλεσε τὰς ἐχούσας τὸ σπέρμα. *Tethas etiam vocant ipsas nutrices: sunt autem et ostrea marina, quae* τήθεα *vocantur - - - Acalephas vero dicunt, alii quidem, marinas, Attici vero sic vocant et ipsas* ϰνίδας i. e. *urticas, herbam pungentem eos, qui tangunt ipsam. Et* ϰνίδη *quidem dicitur, quamdiu tenera est, cum vero jam habet matres, hoc est, ipsas seminis sphaeras,* ἀκαλήφη *dicitur.* Ἀκαλήφας *igitur vocarunt ipsas anus, et vetulas rugosas, et urticarum instar pungentes, eos, qui tangunt ipsas. Ideo vero sic eas vocarunt, quia durae erant, et generosae mulieres, quas chorus alloquebatur. Etenim haec urticae plantula tangentes mordet, pungit. Quoniam igitur chorus in Lysistrata dixit* τηθῶν, *idcirco dixit* μητριδίων. *Hoc est, illarum, quae habent semen herbae acalephae i. e. urticae. Hae vero mordent ac pungunt. Tales autem sunt et anus i. e. vetulae longaevaeque mulieres.* Μητριδίας *vero vocavit vel potius* μητρίδια *mulierculas parvas matres eas, quae semen habebant;* haec Aristophanis Scholiastes a Svida pariter citatus, cum versione et paraphrasi AEmilii Porti. Vid. pariter Flor. Christianus Not. ad hunc Aristophanis locum.

Pollux in Onomastico Libr. VI. cap. IX. Segm. 47. p. 591. Edit. Hemsterhuis. inter cibos e mari petitos recenset primo: τίθη, ϰογχύλια, ὄστρεα, πόρφυραι, ϰήρυκες. *Tithe, conchulae, ostrea, purpurae, Ceryces.* Ad quae verba Jungermannus commentatur: Pro vulgato illo primo τίθη, videtur τήθη legendum esse, id enim ostrei genus esse, notum est ex Athenaeo et Eustathio. Et Hesychius:

chius: τήθεα ὄσρεα, τήθεα διφῶν, τὰ ἄῤῥυγα, ἢ ὄσρεα ζητῶν. Sed quid eſt ἄῤῥυγα? niſi ἄῤῥυ eſſe ἐπίφθεγμα κοπηλατικὸν. parum vel nihil tamen hoc dixiſſe. Suidas quoque cibis oſtreorum more e mari hauſtis accenſet: τήθεα, ὄσρεα. ἰσέον ὅτι καὶ τούτοις ἐχρῶντο οἱ παλαιοί καίτοι τῆς τέτων ἐδωδῆς, καὶ πολὺ ἔχούσης τὸ ἡδὺ, καὶ ὠφέλιμον. *Tethea, oſtrea. Sciendum eſt veteres etiam his oſtreis uſos eſſe, quamvis horum eſus parum habeat et ſuavitatis et utilitatis.* Nicander pariter *Tethes* non dememinit, tanquam conchae marinae: τήθη τε γεραινόμενα μυίοισι: *Tethe, quae in muſco vel in algis creſcunt, vel natant vel capiuntur.* Vocat autem *Tethe*, ut ejus Scholiaſtes exponit, *patellas veras*, quas ὦτια i. e. *aures*, Ariſtoteles vero ὄσρεα pariter nominat.

Nicander hypotheſin, quod Tethya in alga et limo creſcant, hauſit ex Xenocrate libr. de Alim. et Aquatilib. apud Oribaſium Libr. I. c. 58. *Tethea in limo naſcuntur et litoribus algae feracibus, inveniunturque in muſco, alga et fuco, ſimiliaque ſunt fungo plantae marinae.*

Peripateticorum Princeps licet, ut in ſequentibus patebit, inter omnes dilucidiſſime Tethyorum naturam expreſſit, inter alia conchylia tamen recenſet l. c. Hiſt. Animalium, dum ſcribit: πίννη, ὄσρεον, μῦς, κτεὶς, σωλὴν, κόγχη, λεπὰς, τῆθος, βάλανος. et rurſus dum ſcribit: ὁ μέν ἐςι κτεὶς τραχυόσρακος ῥαβδωτός. τὸ δὲ τῆθος ἀῤῥάβδωτον λειόσρακον. *Pinna, oſtreum, muſculus, pecten, ſolen, concha, lepas, Tethe, balanus. Virgatus eſt ex his, et aſpera teſta opertus pecten. Tetheum concha laevi tectum et nullis diſtincta virgis.*

Deminutiva ſunt τηθυνάκια ſive parva Tethya, quorum meminit Epicharmus in nuptiis Hebes, quem locum conſervavit nobis Athenaeus Libr. III. cap. VII p. 85.

Ἄγε δὲ παντοδαπὰ κογχύλια,
Λεπάδας, ἀσπέδους, σρομβήλους, κηκιβάλους, τηθυνάκια,
Βαλάνους, πορφυρᾶς, ὄσρεα συμμεμυκότα.
Affer omnigena Conchylia,
Lepadas, Aſpedos, Strabelos cecibalos, Tethynacia,
Glandes, Purpuras, oſtrea concluſa,

In-

Incomparabilis Casaubonus legendum putat λεπάδας ἀσπέτας, *Lepadas multas*; nam ἀσπέδας nusquam invenies. Vid. ejus doctiss. animadversiones in Athen. Libr. III. cap. V. Tethynacia igitur parva Tethya sive ostrea. Patet ex adductis locis a Graecis veteribus relata fuisse inter ostrea. Ex latinis Plinius pariter Libr. 32. cap. IX. Sect. 30. p. 860. Edit. Harduinian. *Tethea similis ostreo* pronuntiat.

Saepius jam a nobis laudatissimus Aristoteles Histor. Anim. Libr. IV. cap. IV. §. 197. pag. 459. clare innuit: Τὰ δὲ καλούμενα τήθυα, τούτων πάντων ἔχει τὴν φύσιν περιττοτάτην: *Quae Tethya vocantur, naturae sunt quaedam maxime diversa*, sc. ab ostreis. Lucem ulterius suppeditat, et quomodo ab ostreis differant, addit, eod. Libr. et cap. §. 132. pag. 437. Edit. Mauss. Tholosan. ἔσι δ' ἃ ὅλα περιέχεται τῷ ὀστράκῳ, καὶ οὐδὲν τῆς σαρκὸς ἔχει εἰς τὸ ἔξω γυμνὸν, οἷον τὰ καλούμενα τήθυα. *Sunt quarum caro tota ambitur testa, neque quicquam nudi extra est, ut Tethya.* Obscura haec dilucidare ausus est omni aeternitate dignissimus Scaliger. τήθυα τήθεα scribuntur apud Suidam. Tubera, calli, vertibula, a Theodoro Gaza. Itaque sic partiare. Ostracea, aut unicam habent testam, aut duas. Quae unam, aut ea tota integuntur, ut Tethya, aut non tota. Quae non tota, aut annexa ei sunt, ut patellae, aut non connexa, ut cochlea. Ne tamen testam hanc Tethyerum sibi con cipiat quis velut in aliis testaceis scabram virgatamque, subjungit mox: τὸ δὲ ὄστρακόν ἐσι μεταξὺ δέρματος καὶ ὀστράκου. *Testae natura est inter corium et testam.* Fusius porro reliquas Tethyorum partes persequitur Aristoteles, quae universae aquatilium Historiae inseruit solertissimus Rondeletius de Zooph. Libr. cap. 21. p. 127. a nobis breviter repetenda, ne recensio Textus Graeci lectoribus taedium pariat. Duo foramina habent a se distantia, valde exigua, ita ut fere oculorum aciem fugiant, quibus humorem reddunt et accipiunt. Corio, vel si mavis testa, spoliamis primum apparet membrana nervosa, corpus ambiens, cartinemque ipsarum totam continens. Nulli e caeteris testaeeis similis est, in omnibus tamen sui generis eadem. Adhaeret haec utro-

utroque ex latere membranae circumdanti, et qua adhaeret, arctius id in utraque parte est, videlicet qua tendit ad meatus foras ductos per corium, quibus hauriri et emitti humorem diximus, quasi alter sit os, alter excrementi, quo tamen destituitur, exitus; alter crassior est, alter tenuior, intus cavus uterque, inter hos modico intercedente intervallo. Haec ex Aristotele Rondeletius; quibus porro e Stagirita addere lubet: *Praecingitur per medium teneri membrana: in qua vitae principatum esse, ratio congrua est.* Haec Aristotelis verba de rima seu divisione Tethyorum Michaël Ephesius declarans, ait: τὰ δὲ τήθυα πόρους μὲν ἔχει δύο: διαίξεσιν δὲ μίαν· ὥσπερ ἄν εἰ νοήσαις ὑμενώδη σωλῆνα ἐξωγκωμένον, καὶ σχίσαις αὐτὸν ἄνωθεν ἕως κάτω ἐν θατέρῳ μέρει h. e. *Meatus* (seu foramina) *quidem in Tethyis duo sunt, divisio autem una, ac si fistulam aliquam animo concipias* (non aequali sed) *tumido corpore: eamque in alterutra parte scindas a summo ad imum.* Tethya porro saxis adhaerere, Aristoteles refert, ea quidem ita, ut secundum maximum Scaligerum, pars quasi saxorum sit, ut illis applicari possint haec Poëtae:

Eodem corpore saepe
Altera pars vivit, rudis est pars altera saxi.

Addit Rondeletius his a Philosopho prolatis, non solum saxis, sed etiam ostreorum testis affixa esse, et in iisdem veluti tumores duros cerni ovi figura, aliquando longiore. Sic Pinnam pariter cum adnato Tubere sive Tethyo delineatam exhibet Illustr. Aldrovand. de Testac. Libr. III. p. 538.

Caro Tethyorum membranae involuta ventriculi formam refert, rotundam scilicet et oblongam: unde Germanis nostris, Mägling dicta Tethya. Meatus crassior et amplior gulae proportioni respondet, alter minor podici, in quo tamen, uti jam innuimus, nullum excrementum, quale in reliquis ostreis, vel echinaeis, vel quod vocatur Mecon sic Papaver (de quo in Meconopaegnio nostro) spectetur aut contineatur.

Cum digitis premuntur, aqua per meatus exilit, tanquam per syringam aut siphonem; unde in vernacula Sprützling audiunt,

diunt, qui tamen meatus alioquin ſenſus fugiunt. Ex eo, quod preſſa Tethya aquam foraminibus ſicut ſpongiae reddunt, *ſpongias* nominant Adriatici maris accolae, *ſponge* vel ſecundum Bellonium de Aquatilibus *Spbunge*; Germanis Schwämmling; quae vox pariter originem ſumere poteſt a fungis, quoniam a Veteribus Tethya fungis adſcripta: Sic enim Plinius Tethya fungorum verius generis, quam piſcium. Locum Oribaſii, qui fungis quoque aſſimilat, jam citavimus. Recentiores Graeci non amplius antiquo Grajo nomine *Tethya*, ſed barbaro *Spherdocles* (forte a *ſphaera*, unde et *vertibuli* nomen ortum traxiſſe videtur Theod. Gazae) nuncupant, teſte Excell. Charltono. Onomaſt. Zoizo.

Ad ſpecies Tethyorum quod attinet, variae a ſolertiſſimo Aldrovando collectae et depictae ſunt, qui tandem ingenue fatetur, differre tantum forma, non alia parte ſingulari, ut merito tot ſpecies Tethyorum, quot formas ſtatuere liceat; hinc malum Granatum, fungus marinus, aliaque, quae omnia ad Tethyorum referri poſſunt Claſſem. Optandum certe maxime, fore virum in Hiſtoria naturali verſatum, in iis quae mari alluuntur regionibus, qui hoc laboris ſuſcipere, et ad ductum jam a nobis laudati van Heiden Anatomen intimiorem Tethyorum conſcribere vellet; nec enim nos ſtudii hujus poeniteret, modo ad manus eſſent illa ipſa, quae hactenus rudi delineavimus penicillo, et quidem id eo fuſius, ut Tethyorum Indicorum, quae Belilli ſuppeditant, natura eo clarior nobis appareat, et omnibus pateat, quantum a veterum Tethyis diſtent.

Cap. VI.

NVnc ad Tethya Indica, quae natales Belilli dant, deflectit calamus. Amboinenſium deſcriptionem nobis dedit Cl. Rumphius, ampliſſimae dignitatis Senator in Amboina, Hanovienſis Germanus, qui intima naturae adeo rimatus, ut nemo exactius enucleatiusque hiſtoriam naturalem Indiae excoluerit, ideoque maxi-

maxime dolendum, ex Insularum Moluccarum naturali, quam tot annis meditabatur historia, nil quam conchyliorum, ostracodermorum, lapidum figuratorum mineraliumque Amboinensium supereſſe tantum Museum, quod in Belgica Lingua sub Tit. d'Amboinische Raritaet-Kammer prodiit. Praeterea

Indica plantarum septem volumina scripsit,
Brutaque, quae terras, aëra aquasque colunt;
Et quae Vesta sinu parit, et penetralibus abdit,
Quaeque notanda ferunt lucida regna poli.

Sed haec omnia jam in scriniis elaborationi destinata, id quod ipsemet testatur Ephem. Nat. Curios. Dec. II. Ann. I. Observ. XXI. p. 50. ingruente viri optimi coecitate, pro! dolor periere, ut ex his nil nisi reliquiae illae, quas laudatissimum Museum elegantissimis refertissimum figuris continet, supersit. In hujus Libr. I. c. 39. p. 46. Tethyorum Amboinensium mentio fit, quam ex Belgico Latine redditam, et animadversionibus veterum Tethyorum interpolatam, Lect. Benevol. sistimus. Tethya, inquit, sunt excrescentiae carnosae, quae saxis scopulisque istis firmiter adhaerent, quae marina semper obteguntur aqua. Coloris sunt incarnati, interdum repertu dantur coloris quoque rubri. Aristoteles haec de colore habet: χρῶμα δὲ τῆς τηθύας ἐστὶ τὸ μὲν ὠχρόν· τὸ δ' ἐρυθρόν: Color autem Tethyorum, alius luteus, alius ruber; ad quae verba Scholiastes Scaliger: Nihil castaneae similius, si hermodactyli prius radicis formam praebeas. Pro luteo igitur colore, Rumphius Amboinensibus incarnatum tribuit, et porro scribit: substantiae sunt Tethya viscosae nervosaeque, variae diversaeque formae; nonnullae instar frusti carnis in formis. Eadem mens Aristoteli: Ἀνοιχθέντα δ' ἔσωθεν, πρῶτον μὲν ὑμένα ἔχει νευρώδη περὶ τὸ σαρκῶδες· ἐν δὲ τούτῳ ἐστὶν αὐτὸ τὸ σαρκῶδες τῆς τηθύας. - - - αὐτὴ μέντοι ἡ σὰρξ πᾶσιν ὁμοία. *Dissecanti ea tibi occurret primum membrana nervosa carnaceo corpori obducta; hac enim corpulentum Tethyi continetur - - - suo in genere omnibus similis ejusmodi*

caro. Esse autem *massam carneam informem*, Aristoteles pariter innuit: ἄλλο δὲ οὐδὲν ἔχει μόριον, οὔτε ὀργανικόν, οὔτε αἰσθητήριον οὔτε ὥσπερ ἐλέχθη πρότερον ἐν ἄλλοις τὸ περιττωματικόν. *Caeterarum partium, quae vel instrumenti nomine, vel officio sensuum, ac ne excrementa quidem cujusquam modi, qualia in aliis sunt, quicquam habet.* Scribit porro Plinius noster Amboinensis: variis incisuris praedita esse, nonnulla instar digitorum vel papillarum, unde illis nomen quoque Graecum impositum: foris laevia sunt et glutinosa, et si tangantur, motum aliqualem exhibent. Huc pertinet, quod Scaliger ad loc. modo citatum Aristotelis commentatus est: ὀργανικὸν divisit ab αἰσθητήριον satis licenter: oculus certe instrumentum est, et lingua et aures et nares: sed intellexit, neque organa communia ad alias functiones, neque propria ad sensus. Et quia sensum tactus saltem habeat, necesse est, sed caro aut nervus, quanquam sint organa, ad tactum tamen non sunt organica. Haec Scaliger. Circa *motum* scilicet *Tethyorum* dubius jam *Aristoteles*, an plantis, an animantibus adscribere debuerit. Tethyum scribit et quicquid generis ejusdem est. quia adhaerendo tantummodo vivit, simile plantae est, sed cum aliquid habeat carnis, sensum aliquem habere videri potest. Et alibi Spongiis ζωωτικώτερα vivaciora pronuntiat, hoc est animalium naturae propinquiora. Mox in contrariam dilabitur sententiam, et cum dixisset, nihil ipsis excrementi inesse; subdit: Ex quo fit potissimum, ut et hoc et quicquid simile in animalium genere est, planta jure appellari possit: nec enim planta ulla habet excrementum.

Si Tethya Amboinensia fortius premantur, uredinem quandam et titillationis sensum, veluti Holothuria exhibent. Interius nil aliud quam fistulae vasculosae aqua repletae conspiciuntur, e quibus veluti e papillis exprimi potest. Firmiter scopulis adhaerent, ut non nisi summa vi, uti jam de aliis Tethyis observatum, separari possint. Dissecuit plurima Cl. Rumphius intus vere carnei coloris, quae per aliquod temporis spatium se adhuc

huc movebant. Si exponantur soli, instar corii corrugantur Eadem de Tethyis toties citatus laudatusque Historiae animalium Scriptor, Peripateticorum Princeps: τὸ δὲ ὄστρακόν ἐστι μεταξὺ δέρματος καὶ ὀστράκου *Ejus natura enim est inter corium et testa media.* Ad hunc locum optime Paraphrastes Scaliger: Tubera non recte a quibusdam vocantur; non enim corio conduntur tubera, et aspera sunt; Tethya autem laevia. Si Graecam vocem velis sequi, mammillas vocare potes.

Cap. VII.

Hactenus de Amboinensibus, quae tamen Belille non supperditant; nunc de illis quoque Indicis, e quibus medicamentum hoc optimae notae colligitur, et quidem e testimonio binorum avtoptarum, Academiae nostrae Nat. Curios. Collegarum. Sunt hi, jam saepius nobis memoratus Dn. Rumphius in Musco Amboinico, et Clar. Dn. D. Grimmius, qui pariter,

Longum iter extremos cum sit molitus ad Indos,

non alienae fidei vel famae, (quae tam ficti pravique tenacior est, quam recti conscia) sed sensuum stabilibus suffragiis, quaecunque ex amplissimo illo naturae theatro vel ipse in Indiis observavit, vel a Veteranis Indigenis accepit, examini e praxi subjecit, inque Europam redux factus Ephemeridibus inter plura alia rariora, sub nomine universalis Medicinae Timorensium, Dec. II. Ann. III. p. 409 notitiam primam dedit.

Patria igitur Tethyorum ipsis est Insula Solor et Timor, non procul a Java dissitae, et quidem vicinia littoris Larenco suntque et maris profunditas sub monte ac templo Labamase vel Labamale occidentem versus ad V. vel VI. orgyas sub aquis. Scilicet ut Oppianus cecinit:

Ἤδη καὶ διεροῖσιν ἐν ὑγροπόροιο θαλάσσης
Βένθεσιν, αὐτόῤῥεκτα φύει καὶ ἀμήτορα φῦλα,
Τήθυα.

Jam etiam in humidis undosi maris
Gurgitibus a seipsis facta nascuntur sine matre sarcula,
Tethya.

Radja Salomon Rex exul Regni Adimanutu, orientalis Insulae Timor litoris, qui cum Rumphio in Insula Amboina sacpius locutus, et ab illo pro scientissimo Historiae naturalis habitus, ingenue professus est, in regione Solor, si non solum, optimae tamen notae Belille reperiri, familiasque nonnullas Solorenses existere, quibus rita ejus praeparatio nota. Sic Tethya quondam praestantissima Smyrna Asiatica, Aristotele teste, praebuit. Adnascuntur saxis scopulisque in Solorensi mari obviis ad 5. vel 6. orgyas firmiter, cultrisque acutissimis non integra Tethya, sed particulae tantum earum abscinduntur, quibus lapideae adhuc portiones adhaerere referunt. Plinius testatum reliquit: Tetheae inveniuntur sugentes in foliis marinis: pro *foliis* Rondeletius *Scopulis* legit.

E mari extracta haec substantia mucosa est, spermati ranarum viscidiori et tenacioribus algis adhaerenti, (quod de Tethyis jam Nicander ex Xenocrate annotarunt) non dissimilis, nisi quod fusci sit coloris et cultris discindi queat. Aëri diutius expositа frustula aemulantur carnea, infernе rotundiora, superne longioribus papillis sivi digitis instructa, coloris rubei, quo ipso ab Amboinensibus coloris incarnati e Rumphii relatione, differunt. Haec Solorensia Tethya optime Rev. P. Nierembergius Hist. Natur. Libr. VI. c. 19. p. m. 101. ad ductum antiquitatis nominavit: *carunculas molles et rubentes*, quas quidem cum Plinio *cruorem* dicunt, tum etiam cum Athenaeo *glandulas.*

A praeparationis diversitate binae *Belille* species oriuntur. Prima et optima est, quando integrae portiones a marinis scopulis abscissae in aqua dulci sive fluminis ad despumationem omnem excoquuntur, quae postea in longiora frusta, pollicem lata, glutinis lamellarum instar, vel lororum e corio discinduntur. Apte in hanc rem Aristoteles: ὄσχαλόν ἐστι μεταξὺ δέρματος καὶ ὀσχάλου.

ἀρεάκου· διὸ καὶ τέμνεται ὥσπερ βύρσα σκληρά. *Natura eſt inter corium et teſtam media. Quare ſecari poteſt tanquam tergus durum.* Quod ad lora e corio, quibus diſciſſa Tethyorum Solorenſium fruſta ſimilia pronuntiantur, attinet, maximus Scaliger haec adjungit; βύρσα ſolius bovis intellexit Theodorus Gaza. Sed βυρσοδέψης etiam alia interpolat coria. *Plutarchus* in Libro de *virtutibus foeminarum* pro culeo accipit: In oratione *contra Phormionem Demoſthenes* utitur eo verbo, ſed non propterea ſcimus, quid ſit. Suidas pro quocunque δέρματι, et ait σκυτοτόμον eſſe Attice, qui βυρσοδέψης Aſiatice, a Paphlagonia, βύρσα pro quolibet corio: quod notat doctiſſimus Poëta, cum *Byrſa* peregrinum nomen poſuit. Hactenus Scaliger.

Belilli in fruſtis ſive loris coriaceis externe colorem nigricantem mentitur, internus color ad viridem dilutiorem marinum vulgo dictum, nigro mixtum glutinis obſcurioris inſtar accedit. Haec ſpecies *Dagin Belille* ſive *caro Belilli* dicitur, nec ad nos unquam, quantum ſcio delata. Nec multum differunt a fuco marino, *Firome* et *Kouba* dicto, rupibus pariter marinis adnaſcente, qui genti poſt praeparationem totus eſculentus, quamvis quoque coriaceae ſit ſubſtantiae.

Poſterioris Belilli ſpeciei praeparationem ſequentibus Cl. Rumphio Ao. 1681. Dn. Jacobus a Wykersloot, ſummus in Inſula Timor Belgarum praefectus, communicavit, quamque iisdem paene verbis repetiit Cl. Grimmius in Ephemeridibus noſtris. Minimas nempe particulas, ad confectionem *Dagin Belilli* haud idoneas, conquaſſant et contundunt, poſtea in aqua pluviali, usque dum non amplius maſſa ſpumeſcat, excoquunt, foeculentiam omnem ſubinde rejiciendo. Quod ſi ad juſtam exhalarit conſiſtentiam, infundunt fruſtis excavatae arundinis Bamboes. Sunt haec ex arundine arborescente confecta *Iſiku*, vulgo *Take* et *Fatsku* Japonice dicta; cujus germina e radice pullulantia, ſale et aceto macerata, additis allio et capſici ſiliquis interr condita, quae *Atsjaar* vocant, principe loco habentur, radi-

cesque effossae et a fibrarum verticulis liberatae, pro bacillis fercviunt, quos manibus gestare solemus, vulgo *Rotang* dictis, uti haec refert Excell. Kaempfer Amoen. Exot. Fascic. V. p. 898.

Frustis arundinaceis impacta massa, soli exponitur, usque dum exsiccata fuerit, postea arundinaceos bacillos, *Dara Belilli* sive *sanguine Belilli* repletas fumo indurant, ut vermes, quibus merx haec adhuc recens obnoxia, enecentur. Posterior haec species Belilli saepius adulteratur, cum Solorenses remedii hujus collectores, nescio an invidia, an incuria ducti, debitam in coctione et despumatione curam non adhibeant, sed impuritatum foeculentias, cum spuma removendas, relinquunt et incoquunt; unde debita remedii vis et efficacia infringitur.

Sapor tam *Dagin* quam *Dara Belilli* est salino-amaricans, quamvis in priori specie amarities salsedoque praepolleat, hincque etiam magis aestimetur. Ad amarorem ligni Colubrini accedit, ut nonnulli rasuram hujus ligni vel succum Belilli immixtum esse crediderint; sed carnea frusta satis evincunt, amaritiem tethyis ipsis innatam esse; id quod jam veteres olim annotarunt in marino hoc concreto. Certe acrius degustanti salsedo amaritiei praepollere videtur.

Cl. Rumphius, qui recentem substantiam Belilli in Indiis degustavit, salsedinis saporem papillis linguae nerveis statim imprimi refert, non insuavem tamen illique fere similem, qui ex esu Sinensis *Bolatsjang* percipitur. Cum merx haec exotica plane in materia medica et culinis nostris incognita, brevem dabimus ejus descriptionem.

Datur cancrorum minimorum (Krappen et Garnellen dictorum) foetura, tantae parvitatis, ut vix pediculum aequet, tantaeque multitudinis, ut marina, quae accedit litora, quasi sanguine tincta appareant. Hanc cancrorum foeturam, expansis linteis maxima copia colligere sciunt Javanenses, hancque Insulam inhabitantes Japonenses, quam postea contundunt, sale condiunt, et in pultem nomine *Bolatsjang* redigunt. Hac ex massa ro-

ſa rotundas conficiunt placentulas, quas exteras in regiones mittunt, vel condiendis admixto citri ſucco cibis, vel etiam acetarii loco. Sinenſes nomine *Kitsjap* maſſam talem quoque conficiunt, Gari veterum vices ſupplentem.

Examen Chemicum ob remedii hujus raritatem caritatemque inſtituere haud licuit, implevit tamen animum ſciendi cupidiſſimum Cl. Grimmii induſtria, qui in Indis examini ignis Belilli ſubjiciens, praeter ſal quoddam volatile, oleum inſuper aurei coloris copioſe, cum exiguo ſale acido fixo tanquam ex corpore quodam animali obtinuit; ex qua partium analyſi, quam ſalutares inde effectus expectandi, conjici facile poteſt, et ex ſequentibus experientia comprobatis ſatis liquet.

Cap. VIII.

INnumera et portentoſa hoc de medicamine referunt Timorenſes et Solorenſes, quae cum ut plurimum ſubleſtae fidei exiſtant, ſilentio involvimus, donec ulteriori inveſtigatione et experimento eorum magis illuceſat veritas. Quae tamen partim toties repetita virorum jam laudatiſſimorum in India propria experientia ſuggeſſit, partim a Barbaris precibus et pretio extorta notitia, heic recenſere placet. Commendatur ſummopere in febribus ardentibus, quae hujus remedii uſu per ſudores largiſſimos curantur: cavendum tamen, ne quis hoc pharmaco utens, 3. vel 4. horas poſt uſum potu ſe recreet, licet intenſiſſima ſitis, quae ejus uſum plerumque inſequitur, excruciet; ex aſſumto enim potu ſudoris vim infringi autumant. Appropriata autem Dagin et Dara Belilli vis et efficacia ſeſe exerit in Febribus putridis, quibus illi, qui in Inſulas Solor et Tymor, caedendarum Santali arborum gratia navigant, corripiuntur, hincque Febrium Tymorenſium nomen obtinuere. Deſcripſit illas ſolide Jacobus Bontius, Civitatis Bataviae novae in Inſula Java Medi-

cus ordinarius, qui non ut auritus, sed oculatus potius testis, Indiae orientalis

- - - - - peragratae scripsit miracula Terrae.

Febris haec Tymorensis si continua sit, delirium et phrenitidem secum comitem etiam habet; sin per intervalla exasperetur, (nam remittit aliquando haec Febris, sed intermittit nunquam) ea exacerbatio plerunque est circiter quatuor horarum, qua durante ridiculas admodum actiones aegri edunt, imitantes ea opificia, quae sani exercuerunt, et omnia effutientes temere, quae in vita, tacenda loqvendaque peregerunt, cum maximo adstantium risu. Adest praeterea *βούλιμος*, ita ut dum in delirio sunt, omnia etiam foediſſima dictu devorent, modo ipsis praebeantur. Diversae ad productionem hujus mali causae concurrunt. Praecipua est situs hujus Insulae; quippe decem circiter gradus a linea aequinoctiali versus meridiem sita est: sunt autem habitacula Incolarum in summis montibus, ubi propter aëris mediam regionem, nebulae et pluviosi existunt vapores, tum aliquando frigus adeo violentum, ac in Belgio esse solet; dum igitur his ex montibus frigidis descendunt Belgae ad litus vel naves, ubi calor summus corpora urit, quid mirum, si ex subita hac aëris mutatione illud experiantur, cujus Ovidius meminit:

Cum modo frigoribus, calido modo stringimur aestu,
Tempore non certo corpora febris habet.

Accedit odor recenter caesarum santali arborum, quae fatentibus ipsis incolis, nescio quid virosum, et cordi maxime ac cerebro inimicum exspirant. Fructuum praeterea horariorum, in his Insulis laete nascentium et luxuriantium, ingluviosa, a nausi fastidio maris, laboribus crassisque cibis prius exhaustis, ingestio fomiti hujus putridae febris ansam praebent; ut alias quoque causas silentio

tio praeteream; cum propterea febris hujus Tymorensis, alias incogniti mentionem fusius injecerim, ut dilucidius pateat, supremum et summe propitium Numen, huic febri averruncandae, ceu endemio his Insulis malo, in Belilli generosum substituisse remedium.

Aëris Tymorensis et Solorensis constitutio nebulosa admodumque gravis, acutissimas producit pleuritides sive dolores lateris punctorios, *tela* a Sereno Sammonico dictos, quod, teste Isidoro Orig. libr. 4. *corpus dolore instar gladii transverberet.* Hoc in morbo Virtus Belilli admiranda, si praesertim Ligno pleuritico, *Paw o de portado* Lusitanis dicto, (cujus notitiam Clar. Grimmius Ephem. Nat. Curios. Dec. II. Ann. I. Observ. 175. pag. 411. nobis dedit) admisceatur. Quid? quod Plinius jam olim Tethia in cibo sumta pleuritide mederi testatus est Hist. nat. libr. XXX. c. IX. Sect. XXX. p. 860. Edit. Harduinian.

Fertur esse Belille remedium praesentissimum in morbo Pitao Indis dicto; cum paucis cognitum sit hoc morbi monstrum, dabimus descriptionem a Senatore Amstelodamensi splendidissimo illustr. Commelino suppeditatam, quam ad Tom. X. Tab. LX, Malabar. Hort. pag. 119. ad Plantam Kalengi-Cansjavam adjunxit sequentibus: Pitao morbus orae Indicae et quidem Malabaricae Endemius est, ortum ducens a nimia corporis exercitatione, immodica acidorum salsorumque ingluvie, Vini adusti, (quod Arak vocant) uti et abusu ex Herba Betel, oryzae crudae, lapidumque mastication larga et iterata phlebotomia, somno meridiano, ex quo grumosus pituitosusque producitur sanguis, vires enervat hic morbus, icterum inducit, in oculis imprimis conspicuum, ut et in lingua, livescunt ungues, intumescunt pedes et facies, quae omnia symptomata in hoc malo ab Incolis observantur. Huic duro nodo hic cuneus aptus.

Eſt cholerae pariter in India deleteria ſpecies, quae febrim, Cephalalgiam virium que imbecillitatem comitem habet: hanc *Mordexi* et *Mordechi* nominant, quam prae caeteris accurate deſcripſit Cl. Dellon dans ſon Traitté des maladies particuliers aux Indes orientaux chap. VI. p. 34. Hoc morbo correpti ſi ante XXIV. horas non evadant, ſuccumbunt; hunc humorem effectum et quaſi orgaſmo ad ſuperiora et inferiora delatum compeſcere, rem profecto haud exiguae facultatis eſſe, Cl. Piſo in Hiſtor. natur. et Medic. Braſil. judicat; egregius tamen in infenſiſſimo hoc morbo ſanguinis Belilli uſus. Quamvis modo laudatus Dellonius affirmet, nullum in hoc morbo Mordechi praeſentius exſtare remedium, quam applicationem ferri candentis ſubtiliſſimi in illam plantae pedis partem, quae maxime calloſa; tamdiu inibi relicti, usque dum aeger admotum ferrum candens ſenſerit. Incantamenti pariter loco hanc Indicam Choleram et colicam mitigare refert pulverem *Dſjoſer* lingua vulgari, doctorum charactere *Wedſuſan* nuncupatum, Excell. Kaempfer. Amoenit. Exot. Faſcic. tert. Obſerv. XI. p. 588.

In Colica omnibusque torminibus, ob vim, quam poſſidet detergentem, flatusque diſcutientem, maxime ab Indis commendatur; hinc non ſine ratione Plinius loc. ſaepius cit. ſcripſit: *Tethya torminibus et inflationibus ſuccurrere, et teneſmum diſſolvere*; quod ſi Teneſmi moleſtiſſimam ſpeciem, cujus Bontius et Piſo meminere, abigat Belilli, omnem certe merebitur commendationem.

Nec in renum vitiis inefficax hoc remedium, quod de Tethyo pariter toties citatus Plinius refert. Maxime ſi Darae Belilli doſis in Infuſo graminis cruciati aſſumatur, cujus ſtupendum in renum calculo effectum praedicat Cl. Bontius Hiſt. Natur. et Med. Indic. Or. Libr. VI. cap. 52. p. 148. in cujus laudem ſequentes verſus fudit:

Gramen

Gramen ego quamvis vociter viliſſima planta,
Sed tamen in morbis notus me praetulit uſus,
Qui renes diro vexantque dolore veſicam.

Eſtque hoc gramen cruciatum Proſp. Alpin. Libr. I. de Plant. AEgypt. c. 40. quod non minus in Inſula Java, ac in AEgypto luxuriat. De quo gramine uberius ediſſerens videri poteſt Neuhofius en ſyne Gedenckwoerdige Zee en Land-Reyſen, in fol. pag. 258. Cl. Grimmius ſummopere commendat in torminibus a partu, ſanguinis coagulati reſolutione et apoſtemaribus internis. Forte caro marina eſt Tethyum, quam in torminibus a partu commendavit olim *Erotis* Juliae libertus, quem *Trotulam* vulgo nominant, et pro foemina habent, de quo in noſtro *Gynaecaeo medico.*

In viſcerum obſtructionibus indeque orta atrophia, ob detergendi aperiendique efficaciam Indi commendant, quibus de Tethyo ſuffragatur Plinius l. 32. cap. 10. §. 867. Cachecticis, quorum corpus macie conficitur, tethea utilia ſunt cum ruta et melle.

Praeter recenſita haec mala, vis quoque alexiteria Belilli contra venena extollitur, cui Luſitani inſuper radicem Luſſa Radja adjungunt, de feliciori effectu certiſſimi; hanc mixturam quippe Therinacae vices ſupplere credunt, a qua nec odore nec ſapore multum differt, id quod nobiliſſ. Rumphius retulit.

Nec in Aſthmate ejus contemnendus uſus; hac tamen cautione adhibita, ne quis proximis cibis de limonum ſucco vel alio acido quid aſſumat, cum hoc absque inſtanti vitae periculo fieri haud queat, eodem, quem hactenus laudavimus, Rumphio referente.

Dn. Phil. de Vernattis Praef. in Java maj. in Tranſact. Anglic.

Mens. Jun. 1669. retulit, sanguinem piscis, cui nomen Bediſſe, corrupte pro Belille, certissimum haberi remedium contra sanguinis fluxum.

Ad Modum quod attinet, quo medicamentum, a Lusitanis, qui primi auctores extitere, exhibetur, is est: scinditur massa arundinibus excavatis impacta, in taleolas cultri crassitie, pro dosi unica. Comminuitur postea haec et conquassatur in potu Arak dicto debilissimo vel Vino imo quoque spiritu vini in frigidis; ad debellandas febres autem in aqua simplici et probe comminutum mixtumque aegro propinatur, expectando sudorem.

Cum primitus hoc pharmacum Japoniae inferretur, tanto erat in pretio, ut quarta librae pars hujus Belilli Centum Tade Argenti, sive 125. Thaleris constiterit, sed desiit mox raritate caritas, praesertim cum Dagin Belilli postea, species tenuior Darae Belilli succesſerit.

Hoc ad nos ante viginti et plures annos a solertissimo Domstorffio, Amsterodamensi Pharmacopoeo, transmissum B. Stoeberlino medicamentum moderato constitit pretio, nunc summo vix obtinendum. In colica aliquoties Elaeo-Saccharo Corticum Aurantiorum mixtum summo cum emolumento exhibitum memini, a beatissimae memoriae Medico, Septimo Andrea Fabricio, felicissimo quondam Patriae nostrae Practico.

Vocabar et ego ad aegrum miserrime decumbentem, sive potius dolore colico *alligatum*, qua voce hunc morbum graphice exprimit Aulus Gellius in Noct. Attic. Maximi circa hypochondria cruciatus, quo ipso, qualis revera esset affectus, mihi se probabat. Ostendit enim avtopsia, Colon e dextris inanibus se elevare ad cava hepatis et contactum vesiculae, hinc sub ventriculi fundo transversim pergere ad confinia lienis, et hinc deorsum, iterumque

que furſum ad renem, tandem ad rectum deſcendere. Omnibus in inteſtinis perpetua erant vermina, vel ut Hippocrates noſter III. Epid. II. 6. loquitur σφόφοι ξυνεχέες, ex vellicatione nempe fibrarum longitdinalium et circularium; toiusque abdominis dolor ita ut ne digiti quidem attactum tulerit, confirmaritq ue veritatem illius dicti: *aliquid mali eſſe propter vicinum malum.* Ventriculus ſemper ad potulentorum emeſin promiſſimus erat; ἕρα λεπτὰ ἢ ἄπεπτα, ἢ ἄχροα, ſecundum Coum noſtrum II. Epid. I. 25. alvus tamen utcunque reſpondebat. Cum inſpasmodico hoc affectu ſaepius Liquoris Cornu Cervi ſuccinati efficaciam, tanquam alcalino-ſalſi remedii expertus eſſem, et Belilli huic analogum crederem medicamentum, exhibui repetita Fabriciana jam ſuffultus experientia, rationeque inſuper munitus, feliciſſimo ſubſecuto ſucceſſu; ſub haſta enim morbi venditus quaſi aeger, natura allaborante, imo benedicente DEO veluti manumiſſus, ſanitati iterum aſſertus eſt et libertati, quam cum illa perdiderat, ut venuſte, phraſim medicorum, *a morbo liberatus* circumſcripſit et interpretatus eſt eruditiſſimus Antonides. Nec me fefellit in iliaco volvulo Belilli uſus. In Febribus aliquoties exhibitum hoc remedium ſinceriores ChinaeChinae effectus praeſtitit. Vlteriores explorandi vires, raritas Medicamenti hujus nobis ademit, cum nunc nullibi in Europa noſtra fere repertu detur, quod cum Radice Mungos propediem fiet, niſi ex India orientali felicibus velocibusque advehatur velis.

Sufficiant haec, nec enim animus, de remedio nondum crebrion uſu et experientia apud nos Europaeos firmato plura ſcribere ea in arte praeſertim, ubi frequentiſſime fallacia non cauſae pro cauſa regnat:

gnat: metuo enim ne rebus sic stantibus mihi quis objiciat me εἰς δόξαν μᾶλλον οἱ ταλῃθὲς αποβλέπειν, *opinionem magis quam veritatem spectare*, ut de multis ex vero notat Manuel Imp. c. LXXXIV.

Vela ergo contrahentes, mari Tethyorum
matre relicto:

Tendendo ad portum superatas linquimus undas.

TANTVM.

MICHAE.

MICHAELIS FRIDERICI LOCHNERI
ARCH. CAESAR.

FESTVM
TITHENIDIORVM
DIANAE
CORYTHALLIAE

a

Nutricibus Spartanis celebratum,

Commentariolo

nunc

dilucidatum dicatumque

VIRO EXCELLENTISSIMO EXPERTISSIMOQVE

DN. JOANNI ADAMO GENSELIO

PHIL. ET MED. D.

REGIAE LIBERAE CIVITATIS SOPRONIENSIS
ET COMITATVS CASTROFERREI MEDICO,
ACADEMICO CVRIOSO.

COLLECTIVE
DIVE
LILIENDIOKAM
EELAWI.

TEthyos, τηθης et Tethyorum examini, occasione Belilli instituto, dissertationem de *Deabus Tethenis*, Coronidis loco destinaveram; sed cum sub manibus in incongruam appendicis molem excresceret, nundinaeque instarent, futuris Ephemeridum Centuriis, cum Deo et die proditurus, reservandam eam duxi, hac vice portiunculam tantum subjuncturus. Tethenis Deabus destinatum *Tithenidiorum festum:* et quidem cum κατ' ἐξοχὴν *Diana Tithena* et πολύμαστος audiat, huic festos praecipue istos dies indictos fuisse ex Athen. Deipn. Libr. IV. p. 139. discimus, qvi ex *Polemonis* Libro de *Canathro Xenophontis*, quod Cl. *Dalechampius* Not. in Athen. *currum viminibus contextum* sive *plebejum plaustrum* interpretatur, desumsit. Spartanum hunc scriptorem fuisse, ὁ πάνυ *Casaubonus* Animadvers. in modo citatum Athenaeum Lib. IV. cap. VI. pag. 260. exinde probare vult, quod ipsemet Spartam, suam provinciam nominet; cui itaque de Spartano festo, quale Tithenidiorum, maxima fides adhibenda. Cum praecipua Scriptorum cohors, et festorum collectores, hujus solennitatis dememinerint, ut ejus obscuritas eluceseat, producamus verba Polemonis ipsa ex Deipnosophistarum Collectore. Ἐν δὲ τῇ πόλει κοπίδας ἄγουσι, καὶ τοῖς τιθηνιδίοις καλουμένοις ὑπὲρ τῶν παίδων. νομίζουσι γὰρ οἱ τίτθαι τὰ ἄῤῥενα παιδία κατὰ τὸν καιρὸν τοῦτον εἰς ἀγρὸν, καὶ πρὸς τὴν κορυθαλλίαν καλουμένην Ἄρτεμιν. ἧς τὸ ἱερὸν παρὰ τὴν καλουμένην Τίασσον ἐστὶν, ἐν τοῖς πρὸς τὴν Κλήταν μέρεσι. τὰς κοπίδας παραπλησίως ταῖς λελεγμέναις ἐπιτελοῦσι· θύουσι δὲ καὶ τοῖς γαλαθηνοὺς ὀρθαγορίσκους, καὶ παρατιθέασιν ἐν τῇ θοίνῃ ἰπνίτας ἄρτους· *In urbe vero copidas celebrant etiam Tithenidiorum festo, quod appellant, pro salute liberorum. Tum enim mares pueros magnum nutrices exportant ad Dianae, quam Corythalliam vocant, templum, prope Tiassum nuncupatum, in iis partibus, ubi Cletaefanum exstat, copidem superiori similem exhibent. Immolant vero etiam lactentes porcellos, et apponunt in coena panes furnaceos.*

Plurima ad illustrandam antiquitatem continet hic Palemonis locus; et quidem, quod *Copidem* concernit, convivium hoc

erat duplex. Κοπὶς extra urbem, et intra urbem haberi solita. Extra urbem hunc in modum peragi solitam recenset solertissimus *Meursius Miscellan. Lacon.* L. I. c. XI. ex *Polemonis* l. c. p. 50. *In tentoriis jussu Lycurgi a Spartanis juxta Dei templum erectis lectos e palea, fronde et gramine stratos, tapetibus tegebant, et in his discumbere convivas jubebant, advenas indigenasque, nulla habita ratione.* Immolabant vero *capras*, et convivis carnes harum comedendas dividebant, addito exiguo pane, cum rotundo, tum compresso, quem vocabant φυσικίλλον. Addebatur caseus recens, item ventris et omasi frustum quoddam: tum bellariorum loco, caricae, fabae, et phaseoli item recentes. Haec e Polemone relata fercula magis speciatim refert *Molpis* apud *Athenaeum* l. c. *Faciunt etiam copidas, quas vocant. Est vero copis coena, maza, panis, caro, olus crudum, jusculum, ficus, et lupinus pro bellariis*; quae Molpidis verba transcripsit *Hesychius* in voce κόπις. Immolabatur autem *capra Junoni* forte Tithenae, vel Sospitae, certe Αἰγοφάγῳ, de qua jam abunde diximus, ubi de *Columna Lactea* in Junone Tethena nobis sermo. Licet autem *Polemon* et *Athenaeus* nullam causae Copidis, et cur Junoni mactatae *capellae*, injiciat mentionem; facile ex istis tamen, quae mox de Diana Corythallia dicenda, apparet, ob liberos procreatos id factum esse. Tota enim hebdomade prima *Junoni* proposita *mensa*, super quam infans diis oblatus et commendatus, votis, quae suscepta fuerant, vel solutis vel adauctis. Mensam adesse nullam, malum omen interpretabantur; eratque fere ara, in qua libatum. Deae *Junoni lectus* additus, et in ejusdem aerarium conjecti nummi. Vid. Excell. Bartholin. in antiquit. Veter. Puerper. p. 132. Hinc passim in Numismatibus *Lectisternia Junonis.* Cur autem *Juno* et *Diana Corythallia*, de qua mox nobis sermo erit, jungantur, *Tertullianus Libro de Anima*, lucem affert: *Dum in partu*, inquiens *Lucinae et Dianae ejulatur, dum per totam hebdomadam Junoni mensa proponitur.* Ut silentio transeamus Dianae pariter a Puerperis vesti-

men-

menta devoveri solita, id quod eruditissimus Meursius probat Exercit. Critic. Part. II. cap. X. p. 88. Sed inspiciamus nunc Copidem in festo Tithenidiorum Dianae Corythalliae, quam ita celebrabant, ut praedicto festo mares liberos nutrices extra urbem exportarent. In Indice Cl. *Dalechampii ad Athenaeum*, ridicule Tithenidium civitas citatur, cum tamen in textu nihil tale exstet, sed in Notis expresse *nutritiorum solennitas* indigitetur. Exponebantur autem a nutricibus Dianae Corythalliae cognomento appellatae. Quae et qualis aliis indicta haec Diana fuerit, nunc inquirendum. Doctissimus *Gyraldus* illam nomen habere arbitratur: κόρας, inquit; *pueros* dictos videmus; thalliam Laurum nuncupant. Forte alludens ad hoc Hesychii: κορυθάλια (Salmasius legendum judicat κορυθάλλια) δάφνη ἐσαμμένη. Τίκορυθάλια (Salmasius legendum judicat κορυθάλλια) δάφνη ἐσαμμένη. Τίνες τὴν εἰρεσιώνην. Explicat autem εἰρεσιώνην, dum scribit: εἰρεσιώνη κλάδος ἐλαίας, *ramus olivae*; lemniscatus hic erat lanaque coronatus, in signum supplicationis, qualem appensis omnis generis primitiis manibus ferebant pueri, quibus parentes adhuc superstites, occinentes hos versus:

Εἰρεσιώνη σῦκα φέρει, καὶ πίονας ἄρτους,
Καὶ μέλι ἐν κατύλῃ, καὶ ἔλαιον ἀναψήσασθαι,
Καὶ κύλικα, ἔυζωρον, ἵνα μεθύσσα καθεύδῃ.

Ficus et pingues panes ferat εἰρεσιώνη,
Atque in vasa favos, olei fundatque liquorem
In calicesque merax ut dormiat ebria vinum.

Portabatur hic ramus in festo Thargeliorum et Pyanepsiorum in Apollinis et Dianae honorem institutorum. Neque ex oleae ramo, sed ex lauru pariter fuisse, innuit hoc *Scholiastis Aristophanis* ad *Plutum*. Εἰρεσιώνη θάλλος ἐλαίας ἢ Δάφνης. *Eiresione ramus oleae vel Lauri*. Sed haec occasione illius Hesychiani loci de Corythallia.

Propius ad scopum nostrum incomparabilis *Is. Casaubonus*, loc. jam cit. Hic enim Tithenam Dianam judicat, scribens: κορυθάλλια *Diana eadem, quae in aliis Graeciae urbibus dicebatur* κουροτρόφος. *Dubitari enim non potest sic dictam, quod faceret τὲς* κόρας

κόρας θάλλειν. *Alii tamen peculiare numen ea voce significari vo-lunt.* Licet ea, quam recensui, *Casauboniana* conjectura fundata videatur in omni antiquitate et ratione, eam tamen destruere conatur πάνσοφος ille καὶ παναρέτος senex *Th. Reinesius*, qui Corythalliae Dianae nomen ἀπὸ τᾶ γωρυτᾶ dictum existimat. Γωρυτὸς autem σγωρυτὸς σγωρίδιον, θήκη δερματίνη βελῶν; pharetra. Hesychius lucem affert; Γωρυτὰς τοξοθήκη θύλακος. Οἱ δὲ χωρυτός. De ductionem hujus nominis vide in Gujeti notis ad Hesychium. Latina vox *Corytus*, ex Reinesii mente debet legi apud Stat. Libr. IX. Theb. v. 730. et Val. Flacc. L. III. Argonaut. v. 524. quod a sciolis correctoribus in *myrtum* mutatum esse queritur vir πολυμαθέστατος. Sequenti porro conjectura suam de Diana Corythallia confirmat sententiam: *Qui* ἀπὸ τῶν κόρων *a puerulis maribus ita dictam volunt, dicant unde* τὸ υ *in secunda syllaba? quod si* κορυθάλος *a picta varie pharetra, gestamine suo, ita dicta sit Spartanorum Diana? quo epitheto ornat Hectorem Homerus Iliad. V. vid Reines. Not. ad Inscript.* 59. *Cl.* 1. *p.* 106. *Oper. Inscript.* Hae de Dianae Corythalliae Casauboni et Reinesii sententiae. Quis remacu tetigerit in re abstrusa, et ubi Carmenta Evandri matre opus, judicare mihi nefas videtur, probe conscio effati Divini nostri Coi: ἡ κρίσις χαλεπή, *Judicium difficile.*

Fanum hujus Deae fuit, teste *Athenaeo* παρὰ τὴν λεγομένην Τιάσσον. *Dalechampius* jam legendum judicavit τιάσσαν; hinc vertendum, *prope Tiassam* fontem: nam de fluvio dixisset τὸν, non τὴν. *Hesychius*: Τιάσσα κρήνη ἐν Λακεδαιμονίᾳ. Τινὲς δὲ ποταμὸν. *Tiassus fons in Lacedaemonia: quidam vero fluvium tradunt.* Ac fluvium quidem *Pausanias* dicit in Laconicis: Ἐς Ἀμύκλας δὲ κατιοῦσιν ἐκ Σπάρτης, ποταμός ἐστι Τίασα. *Sparta autem abeuntibus Amyclas fluvius occurrit Tiasa*; cui proxima est Phaennae et Cledae Gratiarum ædes.

Addit porro *Polemon hostias immolandas*, ὀρθαγορίσκας; *porcellos* nempe *lactentes.* Immolabantur hi Deabus, quoniam *purae hostiae* ad sacrificandum, ut M. *Varro* ait; appellati inde olim *Sacres.* Dicuntur autem *puri* sive ad sacrum idonei, quod con-

consuerent fieri quinto aut sexto die, teste *Plinio*. Scilicet ut Cereri, tanquam Telluri et nutrici seu *Tethenae*, offerebatur mystica *Catulli porca*, ceu hoc ex Melissa Cereris sacerdote, dextra purum porculum, sinistra papaver tenente, in elegantissimo vase onychino Serenissimi Luneburgensium Ducis, Mysteria Cereris et Bacchi adumbrante, apparet, uti olim in *papavere* demonstravimus; sic Dianae nutrici et Corythalliae quoque oblatae hae pumrae sacresque hostiae. In lustrationibus immolatio porcellorum lactentium καθάρσια vocabatur. Suidas in καθάρσιον: ἔθος ἐν Αθήνησι καθαίρειν τὴν ἐκκλησίαν καὶ τὰ Θέατρα μικροῖς πάνυ χοιριδίοις, ἅπερ ὠνόμαζον καθάρσια. *Mos erat Athenis lustrare concionem et Theatra parvis, admodum porcellis, quae vocabant* καθάρσια *piacula*. Audiebat alias Graecis *porcellus lactens* κάλαβρος. In *Olympiodoro* et *Suida* redditur: ὁ μικρὸς χοῖρος, et in Hesychio τὸ κοιλίδιον, sed legendum τὸ χοιρίδιον; in loco adducto Polemon eos vocat γαλαθήνας ὀρθαγορίσκους. Sed scripturam *Didymus* ibidem allatam reprehendit et affirmat ὀρθραγορίσκους scribendum litera ρ inserta: παρὰ τὸ πρὸς τὸν ὄρθρον πιπράσκεσθαι. *Quod mane venderentur*; ac scripturae hujus testes inde producit *Persaeum*, *Dioscoridem* et *Aristotelem*, in Libr. de *Republ. Lacedaemoniorum*. Neque aliter scribit *Plinius* Libr. XXXII. c. 11. *Apion, maximum piscium, esse tradit porcum, quem Lacedaemonii orthragiscum vocant, grunnire enim, cum capitur.* Tamen etiam ρ omisso, uti a *Polemone* factum, id nominis scribi solitum, manifestum ex *Hesychii* isto loco: Ὀρδαγοθίσκος (male secundum Meursium ὀρθαρίσκος) χοιρίδιον μικρόν: *Orthagoriscus porcellus exiguus*. Scribebant hanc praeterea vocem adjecta litera B. ex eo quod porcellus lactens βορθάκιος diceretur. Sic apud *Hesychium*: Βορθαγορίσκεια χοίρεια κρέα. ἢ μικροὶ χοῖροι βορθάκιοι, Λάκωνες. *Borthagoriscea, porcinae carnes, et parvi porci Borthacei, Laconnes*. A Borthagoriſco adjectivum βορθαγορίσκειος *porcinus*. Vocabatur porro Laconibus porcus βώλωχυξ. Hesychius toties laudatus: Βωλώχυκα, τὴν σῦν, Λάκωνες. *Bolorychen, suem, Lacones*. Etiam Σίκα. Idem Hesychius alio loco: Σίκα, ὗς. Λάκωνες. *Sica, sus. Lacones.*

Por-

Porcellos igitur lactentes Dianae Corythalliae offerebant nutrices Laconicae prae caeteris laudatissimae. Ex Graecia enim plerumque nutrices conductas fuisse, locus Taciti in dial. de Caus. corr. eloq. c. 29. restatur: *At nunc natus infans delegatur Graeculae alicui ancillae, cui adjungitur unus aut alter ex omnibus servus plerumque vilissimus.* Is servus forte gerulus seu bajulus, (unde *magnus Bajulus* in Aula Constantinopolitana) sub nutrice hoc onus subiens. Praestabant tamen Spartanae reliquis Graiis omnibus. Sic Athenienses Lacedaemone eas petebant, unde et Alcibiades a Lacaena nutrice educatus est, teste Plutarcho in Alcibiad. Causam autem, cur Lacaenae nutrices prae caeteris in honore habitae, idem Plutarchus in Lycurg. p. 49. declarat: ἦν δὲ περὶ τὰς τροφὰς ἐπιμέλειά τις μετὰ τέχνης, ὥσε ἄνευ σπαργάνων ἐκτρεφόσας τὰ βρέφη τοῖς μέλεσι, καὶ τοῖς ἔιθεσιν ἐλευθέρια ποιεῖν, ἔτι δὲ εὔκολα τοῖς διαίταις, καὶ ἄσικχα, καὶ ἀθαμβῆ σκότου, καὶ πρὸς ἐρημίαν ἄφοβα, καὶ ἄπειρα δυσκολίας ἀνενοῦς ἢ κλαυθμυρισμῶν: Διὸ καὶ τῶν ἔξωθεν ἔνιοι τοῖς τέκνοις λακωνικὰς ἐωνοῦντο τιτθάς. i. e. *Jam Lacaenae nutrices curam agebant artificiosam, ut sine fasciis infantiam educentes, membra et speciem iis liberalem conciliarent. Assuefaciebant etiam eos quibusve cibis et jejunio, utque intrepidi ad tenebras, imperterriti essent ad solitudinem, nescii illiberalis morositatis et vagitus. Hinc mercabantur liberis nonnulli exteri Laconicas nutrices.* Nec enim de Graecis Romanisque dici potest, quod de Germanis *matribus* Tacitus *sua* inquit, *quenque mater uberibus alit, nec ancillis ac nutricibus delegantur.*

Supersunt panes furnacei, quos Polemon ἀπνίτας ἄρτους vocat a voce ἄπνος, quae Hesychio explicatur: ἄπνος κάμινος, φέρνος, κλίβανος, μαγείριον. Pollux in Onomastico Libr. X. Cap. XXIV. Segm. 110. Edit. Hemsterhuis. τῶν τε μαγειρικῶν ἵπνοι καὶ κρίβανοι. *Coquinarii quoque ordinis sunt furni, Clibani. Hesychius* scribit κλίβανος, quod *Pollux* κρίβανος exprimit, quae vox nobis in memoriam vocat, Laconici panis genus, κρίβανον dictum, forte quod in cribano sive furno paratum, et sic pariter *furnaceus panis* existat. Nec absonum foret, si statuerem, panem in coena festis

Tithe-

Tithenidiorum diebus exhibitum, κρίβανον fuisse. Firmat hanc meam conjecturam, quod formam uberis prae se tulerit. Discimus hoc ex correcto a solertissimo Meursio Athenaei Libr. XIV. loco, ubi duae voces in unam coaluere ; τὸ σχῆμα (male σχεματοειδεῖς) μαζοειδεῖς εἶναι φάσκων αὐτούς. *Figura eos uberibus similes esse* dicens. Quod repetit Athenaeus Libr. III. Σωσίβιος δ' ἐν τρίτῳ περὶ Αλκμᾶνος, κριβάνας φησὶ λέγεσθαι πλακοῦντας τινὰς τῷ σχήματι μαζοειδεῖς. *Sosibius Libro III. de Alcmane, cribanas ait placentas quasdam uberis formam referentes.* Nec impedit ab Athenaeo placentis accenseri κριβάνας, cum inter ἄξονας quoque referantur. Circumferebantur et in nuptiis cum voto scilicet et omine liberorum, quos lactare oporteret sponsa ; quis hoc in nutrices pariter lactentes, Dianae Tethenae sive Corythalliae exponentes, quadrare neget ?

Sed omisit nonnulla Athenaeus de hoc Tithenidiorum festo, indicta aliis et incognita, nisi ab oblivione vindicasset, omnis eruditionis promus condus Hesychius. Choreas enim diebus his festis egisse probat voce κορυθαλλίσται. Ita enim eas definit: κορυθαλλίσται, αἱ χορεύουσαι τῇ κορυθαλλίᾳ θεᾷ, ex versione eruditissimi Meursii, qui hujus festi in Graeciae feriatae Libr. VI. non dememinit: *Corythallistriae, quae Choream instituunt Deae Corythalliae.* Scilicet uti nulli fere populi tot chorearum saltationumque genera, quam Laconibus ; sic ex Dearum numero nullae frequentiores quam Dianae. v. g. Dianae Chitoniae indictae, quod natis infantibus vestimenta consecrent, teste Scholiaste Callimachi Hymn. 1. Jonica saltabatur, teste Athen. l 14. Dianae Dereatiditi Laconicae in ejus templo cum hymnis habebatur Chorea *Calabis* dicta, quod Hesychius annotatum reliquit. Dianae Caryatidi quotannis Lacaenae virgines choreas instituebant et saltationem ritu patrio, Caryatim dictam peragebant, docente hoc Pausania in Laconicis, qui pariter Eliac. II. refert saltationem Cordacem Dianae nomen dedisse Cordacae. Haud

igitur mirum, Dianae Corythalliae choream duxisse Corythalliſtrias, quarum nobis conſervavit memoriam Heſychius, ſicut et Cyrittorum, quorum in feſto Tithenidiorum Dianae Tithenae inſtitutorum fit mentio. Deſcribit autem eos ſequentibus: Κυρίττοι, οἱ ἔχοντες τὰ ξύλινα πρόσωπα κατὰ Ἰταλίαν ἢ ἑορτάζοντες τῇ κορυθαλλίᾳ (Palmerius legendum jubet κορυθαλλίᾳ) γελοιαῖοι. *Cyritti, habentes perſonas ligneas in Italia, et ridicule operantes Corythalliae.* Quid πρόσωπα proprie denotent, explicavit diverſis in locis Pollux Onomaſt. Libr. II. c. IV. p. 176. Edit. Hemſterhuiſ. Libr. IV. de Hiſtrionum apparatu Cap. XVIII. Libr. X. Cap. 39. de larva et ſimilibus, ubi ferme ſemper προσωπὶς, πρόσωπον, προσωπεῖον, μορμολύκειον, γοργεῖον (vel potius γοργονεῖον) conjungit; et per μορμολύκειον explicat. Dicta autem haec vox a Μόρμω, quae foemina fuit monſtroſa, et facie quaſi ferina, et eo usque formidabilis, ut qui etiam ei occurriſſet, ſtatim ſeſe proriperet. Hinc apud Theocritum mater, ut filiolo terrorem inſiciat, dicit ei: Μόρμω, δάκνει, ἵππος. Hinc dicitur μορμολύκειον Euſtathio Iliad. Σ 1150. v. 34. eo quod prae ſe ferat δίκην μορμοῦς καὶ λύκε δυναμένου. i. e. *Terrorem Mormus, et Lupi potentiam. Bourdinus Scholiaſt. Ariſtophanis in Theſmoph.* p. 789. E. adjungit Mormolycia perſonas eſſe haud tantum tragicorum, ſed et Hypocritarum. Μορμολύκεια, τὰ τῶν τραγῳδῶν προσωπεῖα καὶ ὑποκριτῶν. Quamvis nonnulli a verbo μορμύσσομαι, perterrefacio, deducant. Μορμὼ perſimile monſtrum fuit Gorgon, et ipſa foemina, cujus caput effictum geſtaſſe in ſuo clypeo pro inſigni Lomachum, Comici Scholiaſtes aſſerit in Pace.

Sunt igitur πρόσωπα, προσωπεῖα, μορμολύκεια, γοργονεῖα nihil aliud quam Latine dictae Larvae et Perſonae, de quibus eruditiſſimum conſcripſit Syntagmation *Ageſilaus Mareſcottus de Perſonis et Larvis eorumque apud Veteres Vſu et origine.* Erant autem πρόσωπα ſive *Larvae* ac *Perſonae* vel ex *foliis*, *cortice*, *ligno* et ſimilibus. *Folia* praecipue ficus et lappae majoris trahebantur in uſum. *Corticis* meminit Virgilius:

Oraque

Oraque corticibus sumunt horrenda cavatis.

Ad *lignea* πρόσωπα sive Larvas respexit *Prudentius* Libr. II in Symmachum dicens:

Vt tragicus Cantor ligno tegit ora cavato.

Hesychio vocantur πρόσωπον ξύλινον, κυλίνθιον. Erant quoque προσωπίδια. *Pollux* Libr. X. cap. 28. p. 1306. *inter Gynecaei vascula* memorat. Περσωπίς· ἡ πρὸς ἐν Δαναΐσιν Ἀριστοφάνης προσωπίδιον. *Larva. Larvula secundum Aristophanem in Danaidibus.* Eruditissimus *Marescottus* ad explicationem hujus prosopidii trahit verba *Ciceronis*, *quae Action. VI. in Verris* mollitiem profert: *Reticulum ad nares sibi admovebat tenuissimo lino, minutisque maculis plenum rosa.* Commentatur ad hunc locum vir summus, non recens inventum esse, quod plerasq; matronas et praecipue Gallicas factitare videmus, ut nempe ad solis aestum, et aëris inclementiam ventorumque rigorem, sive etiam ad pulveris molestiam depellendam, tenui aliqua personula sibi vultum operiant, quae certe *Platonis* in *Sophistis lintea facies* esse videtur, a Gallis hodie *masque*, ab Italis Hispanisque *malchera* dicta. De cujus vocis origine post *Salmasium Notis in Tertull de Pallio*, videndus solertiss. *Menagius nell' origini della Lingua Ital. et Ferrar. in Origin. Ital.* Scilicet origines hujus vocis in *Hesychii* βάσκα et μάσκα latitant.

Ad ridiculas *Cyrittorum gesticulationes Tithenidiorum* diebus festis Dianae Cörythalliae quod attinet, dependet hoc a qualitate Larvae sive Personae. Sic formidabiles personae erant, quales πρόσωπα Εὐννύος, quibus Socratem terrere cupiebant apud. AElian. Var. Histor. Libr. IX. cap. 29. Talis terribilis vultus Batavi, de quo Martial. Apoph. CLXXV.

Persona Batavi
Quae tu derides, haec timet ora puer.

Hujus quoque commatis larvae Scenicae, cum rictu et hiatu oris terribili Comoediae Latinae sive Italicae, Silenorum lusoriae larvae in Bacchanaliorum ritu, personae cum barba calamistrata more AEgyptio, quarum larvae plurimae exhibentur in Gemmis apud Leonard. Augustinum n. 100. 101. 102. seq. et apud Casalium de Tragoed. et Comoed. cap. 2. Fuere insuper ridiculae et jocosae larvae. Sic cum larva ante faciem ostendunt Jocum inter amores vetusta marmora, quorum unus pulsat lyram, et alter jocatur cum larva ante vultum, adscriptum: *AMOR. VENVS*, et super larvam illam vel personam *JOCVS*; et quidem larvae hujus χηματισμὸς, sic enim Hesychio vocatur, merito inter Cyrittorum πρόσωπα ξύλινα recenseri meretur, cum non faciem ipsam larva obductam habeat minaci; sed potius manibus teneat caput forte ligneum, panno pectoretenus obductum, cujus laciniae in extremitate apparent. Figuram delineatam exhibuit *Pignorius in sua Editione Imaginum Cartarii* p. 278. Socius pariter Amoris Jocus appareat cum larvata facie apud Leonard. Augustin. Gem. 127.

Πρόσωπα haec ξύλινα Cyrittorum comitabantur mirae eorum gesticulationes forte per saltationem Laconicam, Ιθύμβον dictam, quam *Hesychius* γελοιαστὴν pronunciat; vel per Morphasmum; in ea saltatione quippe imitabantur omne genus animalia, eaquae Athenaeus Libr. XIV. Γελοίαις sive *ridiculis* accenset; qualis Λέων ab ipso dicitur. Atque in his saltationibus ridiculus forte larvarum usus, quas Pollux λεόντων, ἢ ἀγ βεῶν πρόσωπα nominavit. Sed non est, cur latius in ridiculos Cyrittorum genus inquiramus, cum vox ipsa κυρίττειν clare explicet. Pollux Libr. V. cap. XV. Segm. 94. p. 530. κέρασι κυρίττειν, cornibus ferire; et dilucidius adhuc Hesychius: κυρίττοντες, κερατίζοντες, κεφαλαῖς πλήσσοντες. Omnium optime Scholiastes Theocriti ad Idyll. Caprar. ad vocem κυρίψῃ. Τὸ κερατίζειν, κυρύττειν (al. legunt κυρύπτειν) οἱ Αττικοὶ λέγουσιν, ὡς συντρεχόντων ἀλλήλοις τῶν κριῶν, καὶ τὰς κορυφὰς πληττόντων, ἢ βεγνυμένων. Atticis κυρύττειν est *Cornu ferire*, quia mutuo concursu arietes capita collidunt et elidunt. Appa-

Apparet hinc κυρίττειν proprie dici de arietibus ; ſed quod illorum proprium, in hircos quoque transfertur ; hinc hirci epitheton apud Theocritum κυρύττιλος, *cornupeta.* Imo et bobus attribuitur. Heſychius: κυρίσσει, κερατίζει, τύπτει μετὰ τῆς κεφαλῆς, ἢ βοᾶ, ubi *incomparabilis Bochartus Hierozoic.* Libr. II. cap. XLVI. p. 526. Edit. Leusden. legendum cenſet ἢ βᾶς· qui inſimul notat, Arabicum verbum *natacha* cornupetere, et *natach* cornupeta, quod de bove uſurpant Locman fab. prim. et paraphraſtae Arabes Exod. 21. v. 28. apud illos, qui pure loquuntur, ad arietem maxime pertinere. Patet hinc κυρίττας geſtibus ridiculis, arietando nempe, riſum in feſto Tethenidiorum: Corythalliae provocaſſe. Lucem exinde accipit vetus Gloſſarium, in quo *arcetat* κερύπτει reperitur, pro quo legendum: *arietat*, κυρύπτει, quomodo in Philoxeno: κυρύπτει, *arietat.* Spectat huc factum falſi illius et a maligno ſpiritu ſeducti Prophetae Zedekiae filii Chanaenae 1. Reg. 22. v. 11. qui Achabo Iſraelis et Joſaphato Judae Regibus, de felici ſuſcipiendi belli exitu ſciſcitantibus, aeneis confectis cornibus, capitique admotis oſtendit, ſic Syros ab illis peſſundatum iri, quod illuſtris Grotius ad hunc locum per vocem arietare optime exprimi poſſe tradit. Nec Romanis praeter hanc arietandi voces deſunt, quibus arietem aut agnum cornu ferire ſignificant, nempe *coniſcare.* Sic Lucretius Libr. 2. v. 320.

Et ſatlati agni ludunt, blandeque coniſcant.

Et a *Cicerone*; ſed in contemptum: *Caput opponis, cum eo coniſcans*, ut teſtatur *Quintilianus* Libr. VIII. Cap. III. vid. plura apud laudatiſſimum Bochartum l. c. Sed haec occaſione Cyrittorum in Tethenidiorum feſto.

Huic ſimile judicat Feſtum *Ablactationis* Hebraeis uſitatum, (cujus illuſtria duo in ſacris literis exempla habemus) ſedulitate celeberrimus *Stuckius Antiquit. Convival.* cap. XVII. pag. 57. Edit. Belgic. Prima hujus feſtivitatis mentio Gen. 21. v. 8. ubi Abrahamus eo die, quo Iſaacus filius a lacte depulſus fuit, magnum convivium fecit; Tethenidiorum copidi analogum. Hanc Abrahami Γαλαχίας filii ſolennitatem, deliriis Rabbinicis inqui-

nat more ſolito R. Selomoh, qui tradit Saram, ut ſuppoſititii partus ſuſpicionem, quae vulgo increbuerat, amoliretur, omnibus convivarum infantibus, quos illi ſecum adduxerant, lac exhibuiſſe: atque hoc tam largo lactis fonte, qui omnibus potuit ſatisfacere, fidem feciſſe, ſe non ſuppoſititio, ſed vero partu gaudere. Cum vero in ſacris paginis altum hac de re ſilentium, videntur hae gerrae Hebraeae atque aedepol lirae lirae: Alterum exemplum eſt 1. Sam. i. ubi Hanna ſcribitur filium ſuum Samuelem, poſteaquam eum a lacte depulit, cum juvencis tribus, et modio uno farinae atque utre vini ad domum Jehovae in Silo adduxiſſe. Vbi Radak exiſtimat, ex tribus illis juvencis unum ſacrificio fuiſſe deſtinatum, reliquos vero duos epulo ſive copidi, quod ſacrificium conſecutum fuit. Sicut autem ex duobus illis locis conſtat, tempus ἀπολαυτισμοῦ ſacrificii conviviisque fuiſſe apud Hebraeos celebratum; non tamen inde inferendum mihi videtur, analogum nutricalibus ſive Tithenidiis Spartanorum exiſtere, a quo, uti ex hactenus allatis elucet, quoad omnia differt.

Gentilibus tamen *Ablactationis* ſacra epulasque in uſu fuiſſe, illis quoque notum, qui primoribus labellis ritus deguſtarunt antiquos; tunc enim *Eduſae Potinnaeque* ſacrificatum, deabus praeſidibus edulibus et potionibus infantum, ut *Nonius Marcellus de Propr. Serm.* cap. II. legere videtur: *Cum pro cibo et potione initiarent pueros, ſacrificabantur ab edulibus Eduſae et a potione Potinae nutrici.* Alii vero non *Eduſam*, ſed *Edulicam* deam hanc appellant, ut ſanctiſſimus Hipponenſium Antiſtes de *Civit Dei* Libr. IV. c. 2. *AElius* vero *Donatus in Terentiano Phormione*, *Edulicam* et *Poticam* has Deas vocavit: Eduliae et Poticae et Cubae, Divis edendi et potandi ac cubandi initiari pueros, ubi primum a lacte et a cunis transferunt. *Arnobius* tamen *Libr. III. contra gentes* has Deas *Victuam* et *Potuam* nominat; pro quibus vocibus Clariſſ. *Meurſius Critic. Arnob.* Libr. III. cap. V. *Vicam* et *Potam* ſubſtituere conatur. Veroſimile tamen eſt, ante ablactationis ritum his Deabus ſacrificatum jam fuiſſe a nutri-

tricibus: recens enim natis et priusquam lac succresceret, mel datum cum lacte ut plurimum caprillo, e Vasculo χυτριδίῳ per spongiam, ut annotavit Scholiastes Aristophanis in verba:

Δός μοι χυτρίδιον σπογγίῳ βεβυσμένον.

Respexit huc Ovidius in Fastis Libr. 4.

- - - - in teneris aurea mella favis
Dat tibi cum tepido lacte bibenda puer.

Sic Moschion jubet, ut nutrix os infantis melle illinat. Ut silentio involvam Jovem et Beroen melle enutritum fuisse. Ablactationis ritum cum Tithenidiorum festo hactenus descripto confundere videtur in Syntagm. *de Puerperio Veter. Eruditiss. Bartholinus.*

Locus M. Fabii Quintiliani Institut. Orat. Libr. X. cap. 1. *a Gebhardo in Crepund.* Libr. II. cap. 3. e MSS. Palat. correctus, carminum a Nutricibus infantum ablactationi adhibitorum, meminit: *Et Chrysippus etiam nutricum, quae adhibentur infantibus ablactatione* (legebatur prius: *allectationi et allectioni*) *suum quoddam carmen adsignat.* Sed quae illa sunt *carmina*? nulla certe alia, quam cantare naenia lallosque, quibus cantilenis *Lallus* Deus praeerat; duplex quippe compescendi infantem ratio et sopiendi: Mamma et Lallus sive nutricum nenia, illa ὑπομάζιοι. hoc depulsi oblectantur, ac somno Deo obducuntur. Hos lallos neniaque D. *Magnus Ausonius* Epist. 16. ad Prob. vocat *nutricum lemmata*, quae *Vinetus* ad h. l. per fabellas et carmina interpretatur; sic autem locus sonat:

Hic iste, qui natus tibi
*Flos floscul*orum*Romuli,*
Nutricis inter lemmata
Lallique somniferos modos
Suescat peritis fabulis
Simul jocari et discere.

Ad

Ad *Nenia* quod attinet, maximus *Scaliger* annotatum reliquit, Italas Aquitanasque mammas seu nutrices, loco *lalla lalla*, dicere *nina nina*. Quod et Graecas factitasse indicio est *nenia*, quae inde vocabatur νύννιον. *Hesychius*: νύννιον ἐπὶ τῶις παιδίοις καταβαυκαλεμένοις φασὶ λέγεσθαι, ὁμοίως ἢ τὸ νύννιος. Ergo Lallus et νύννιος, et καταβαυκαλισμὸς idem. Somniferi hi modi sive lalli dicebantur Graecis non tantum βαυκαλιζειν vel βαυκαλᾶν, sed etiam, quod ad scopum nostrum attinet, τιθηνεῖν. Claudat dissertatiunculam nostram toties jam laudatus Hesychius: βαυκαλᾶν, κατακοιμίζειν, τιθηνεῖν, παιδία μετ' ᾠδῆς κοιμίζειν. Haec de Festo Tithenidiorum plurimis incognito dicta sunto. Plura de eo nobis promiserat consummatissima Eruditio Illustrissimi CVPERI, qui opus de Festis meditatus est, omni dignissimum immortalitate. Sed spes hominum fallacissimas! haec enim dum calamus exarat, tristissimum ejus obitum, et e mortalitatis hujus carceribus abitum, nuntiat fama. Maximum certe justissimumque dolorem hinc habet Respublica literaria, quae Viro in summa constituto dignitate extra omnem tamen controversiam Eruditissimo privata, jacturam patitur boni vere ingentis, imo irreparabilis. Speraveram levidensibus meis de festo obscuritati involuto accessurum majorem nitorem, ex hujus Eruditionis abysso, promovente maximo beatissimoque *Leibnitzio*, qui summi *Cuperi* favorem conciliare constituerat: sed binis hisce pro dolor! intra breve temporis spatium literato orbi ereptis columinibus luminibusque, minus expolitas has schedas praeli carceribus committere coactus sum, doctioris benevolique Lectoris aequitate, quod tenuitati meae non licuit, supplendas.

EPISTOLI-

EPISTOLICA DISSERTATIO

Ad Rem Numismaticam Medicorum Pertinentia quaedam exhibens.

VIRO
ILLVSTRI AC MAGNIFICO
DOMINO
MICHAELI FRIDERICO
LOCHNERO
S. CAES. MAJEST. Archiatro, EIVSQVE
PERSONAE IMPERIALIS Medico, S. R. I. Nobili, Aulae CAESAR. Palatiique Lateranensis et Consistorii IMPER. Comiti, Academiae LEOPOLDINO - CAROLINAE Natur. Curios. Epbemeridum DIRECTORI, Reipubl. NORIB. Medico Seniori,

Salutem et Observantiam!

Godofredus Benjamin Preuss, Med. D.
A. N. C. Japis 11.

1. ENim vero Illustrem ac numerosam Jatrophilologorum, qui Antiquitatem Nummariam vel justis operibus et scriptis, vel sparsis per sua scripta Nummorum Commentariis illustrarunt, seriem Christophorus Arnoldus in exquisitissima Epistola volumini Parisio-Volckameriano de Rarioribus Magnae Graeciae Nummis, Noriberg. 1683. praefixa exhibuit, et hac ratione Medicorum Numographorum numerum, in recensione hujus argumenti Scriptorum Patiniana, operi vere Regio de Familiarum Romanarum Numismatibus, Parisiis 1663. fol. praemissa, indicatum, et ab eodem Carolo Patino in Introductione ac Histor. Numismat. repetitum multis modis auctiorem et locupletiorem praestitit. Nimirum ab Exteris ordiendo, *ex Gallis* Joh. Jac. Chiffletium, Anton. Pisonem sive le Pois, Carolum Patinum (qui ipse in Praefatione operis citati, Patris sui Guidonis indefessas his in scientiis curas celebrat) Ludov. Savotum, Jac. Sponium, Jo. Vaillantium; *ex Anglis* Thom. Guidottum; *ex Italis* Joh. Bapt. Capponium, Const. Landum, Fortun. Licetum, Albert. Quatrocchum, Petr. Servium, M. Aurel. Severinum; *ex Danis* Jo. Rhodium, Thom. et Casp. Bartholinos, Olaum Wormium; *ex Hungaris* Joh. Sambucum; *ex Belgis* Adrian. Junium, Ludov. Nonnium; *ex Helvetiis* Theophr. Paracelsum, C. Gesnerum; et quod *Germanos* concernit, Adolph. Occonem, Herm. Conringium, Joh. Cuspinianum, Wolfg. Lazium, Helisaeum Roeslinum, Thom. Reinesium, Georg. Henischium, Joh. Fabrum, et ipsum denique Illustrem Joh. Georg. Volckamerum, praefata in Epistola non nominatos tantum, sed et singulorum hac in causa labores enumeratos Lector Curiosus inveniet.

2 His autem omnibus, ab Arnoldiani Catalogi termino usque ad 1716. Annum pergendo, accenseri possent potissimum sequentes: Ex Anglis *Nehemias Grevv*, D. Medicus et Societ. Reg. Lond. Secretarius, Museum Regalis Societatis, or the Catalogue and Description of the Natural and Artificial Rarities belonging to the Royal Society, Lond. 1681. in fol. Nummorum et Monetarum quarundam recensione sub finem exornans.

Ex Gallis, *Dominus Genebrier* D. Med. Parisiensis in Dissertatione Gallica de Magna Vrbica Paris. 1704. in 8vo ex Nummorum istius ævi et Historiæ sequelis hanc non fuisse Conjugem Maxentii Imperatoris demonstrans; ac alia in Dissertatione de Nigriniano ibid. edita, ævum hujus & aliorum Principum hactenus incertum, ex Nummis certius declarans. Ac, si unicam ex Gynecæo Erudito, aut Medicorum Filiis huc referre licuerit, Caroli *Patini Filia*, *Gabrielis Carola*, natione ex Gallis oriunda, ob Epistolam de Nummo Caracallæ, Venet. A. 1685. in 4to editam, & præclaram ejus peritiam Numismaticam non incelebris.

Ex Danis, *Oligerus Jacobæus* Med. & Phil. Professor Regius, in Museo Regio Augustiss. Danor. Regis A. 1696. Havniæ in fol. edito, Parte secunda Nummos complures rarissimos recensens; quod opus A. 1711. a Joh. Laverentzen Consist. Reg. Assessore auctius ibidem fuit recusum.

Ex Germanis, *Joh. Casp. Eisenschmidius* Phil. & Med. Doct. Argentinensis, Tractatus de Ponderibus & Mensuris Vetervm &c. & de Pecuniæ Veteris Valore, Argentor. 1708. in 8vo editi, clarus Autor. Et ex eadem natione porro: *Joh. Daniel Major* Vratislaviensis Phil. & Med. D. Professor Kilionensis, Slesv. Holsatorum Ducis Archiater, & A. N. C. Adjunctus, qui Epistolam de Nummis graece inscriptis, & lingua græca non secundum Accentus pronuntianda, Kiliæ Holsat. A. 1685. in 4to publicavit, cujus & alia IV. de Nummis quibusdam Rhedigerianis, Oddonis Saxonico, Romanis Germanizantibus, ærugine confectis, Sche-

Schediasmata, Kiliae ab A. 1681. usque ad A. 1684. lucem aspexisse, Acta Erud. Lips. A. 1685. p. 331. perhibent; *Musei* autem *Cimbrici* celebritatem, famam, et memoriam conservat Nummus majoris moduli, quem hic Vratislaviæ M. Godofredus Hankius ad Aedem Sacram Elisabethanam Diaconus, Affinis mihi conjunctissimus & multis nominibus æstumatissimus, rarioribus & nitidioribus Nummismatothecæ suæ vel eo nomine adnumerat, quod additam huic Ipsius *νῦν ἐν ἁγίοις* Majoris manu scriptam ad Beatum Martinum Hankium, (cujus merita quis ignorat?) Epistolam jure Filii Hæreditario possideat.

Tandemque succedat *Georg. Wolfg. Wedelius*, Medicus Polyhistor Celeberrimus, in Exercitationibus inprimis Medico-Philologicis ab A. 1686. usque ad A. 1716. in 4to, a Centuria Prima, usque ad Centur. secundae Decadem quintam editis, Rei Numismaticæ multis modis lucem affundens; ac Centuria Prima, Decade sexta, Exercitatione quinta Nummos Caduceatos, Dec. VII. Exerc. VII. Serratos, Dec. VIII. Ex. X. Pileatos, Dec. IX. Ex. X. Gothicos, Centuria secunda, Dec. I. Ex. VII. Nummos Novi Testamenti, D. IV. Ex. VII. Aenigmaticum Census Cæsaris Augusti, ac alibi Nummos capite Velato, curiosissime enucleans.

Reliqui præterea ignoscent, quorum curas vel per Epistolæ inconsuetam excrescentiam, vel minus sufficientem in hoc argumento peritiam, sicco hic transiisse pede necessitas injunxerit. Nam non modo *Johannem Marcanovam*, Medicum, Nummorum & Inscriptionum sedulum Collectorem, ab Illustri A. N. C. Phosphoro I. Gammarolog. p. 48. ex Pignorii Epistolis allegatum; ac *Georg. Hier. Velschium*, in Vena Medinensi, August. Vindel. A. 1674. in 4to, Nummos & statuas ad Dracunculos Veterum spectantes, p. m. 89. seqq. repræsentantem; nec non Illustrem *Wurffbainium*, Salamandrolog. capite 7. 14. de Iconibus, Symbolis, Numismatibus ac Figuris argumento isti propriis agentem; Sed & plures alios, præsertim illos, qui selectis

Nummophylaciis inclaruere, Medicos φιλολογᾶντας, Omnes hic omissos quivis facile perspiciet. Interim mirum omnino videtur, in tanto tantorum Medicorum numero inveniri, qui de Nummis in Medicorum Honores cusis argumentum, justo Schediasmate, & ex instituto pertractaverit, quod sciam, neminem.

3. At vero hæc, *Illustris Domine Director*! tam nota TIBI quam quæ notissima conscribendo, ne in crimen læsæ supra modum patientiæ TVAE, & Autoritatis devenerandæ incautus incurram, merito vereor: Ignoscere tamen inconcinnæ hujus conditionis conatibus Benignitati TVAE proprium esse certus confido. Quippe si vel dignissimo cuiquam concederetur proferre quod TE, in vasto omnigenæ Eruditionis ambitu lateat; huic equidem concederetur Nihil.

4. Cum igitur tot Jatrophilologorum prælaudatos, quibus Antiquitatem Nummariam illustrarunt, labores dignissimis encomiis & partim memoriæ monumentis dudum undique cumulatos fuisse & adhuc cumulari inter omnes constet; Non minori sane jure TVAE, PERILLVSTRIS LOCHNERE, in rem & antiquioris & recentioris ætatis Numismaticam, partim Historicam & Litterariam, partim ex instituto Medicam, singularia merita singularibus prorsus Statuis Nummisque celebrandum censebit Respublica & Litteraria & Medica, cum utriusque commodis ac honoribus hinc amplificandis dies noctesque solennissime invigiles. Neminem enim latet, quod novo Opere, *de Statuis & Nummis in Medicorum Honores erectis & cusis*, absolutissimo, nimirum TVO, propediem utramque beare satagas. Accedit quod adornatis *Musei Besleriani nunc Egellandiani*, selectissimi quippe & Naturalium & Artificialium, nec apparatu Numismatum rariorum destituti Gazophylacii *Commentariis* desideratissimis, Germanorum Exterorumque vota explere, & hac ratione, morte Filii unici, æmuli Paternorum labo-

laborum digniſſimi, quinimo his ipſis Commentariis jam intenti, heu præmatura! Eruditorum ac Curioſorum SPEM fere COLLAPSAM RESTITVERE IPSE Parens merito mœſtiſſimus non detrectaveris. Nec minus Antiquitatis & *Botanices Numariæ* reconditæ evidentiſſima monumenta ex ipſis monumentis, Statuis & Nummis eruta, *Μηκωνοπαίγνιον*, *ac Nerium* recentem omnium ac ſingulorum demulcent memoriam, animosque admirabili ac digniſſimo plurium, quæ ſub manibus ſunt, con-generis argumenti in Regnum Vegetabile Commentationum deſiderio incendunt. Vtinam vero parallelum fere ex Regno Animali Thema, *Myrmecologiam* puto, Eph. A. N. C. Dec. II. A. VIII. adumbratam, & ex fonte tam præcipue Medico, quam Philologico, Emblematibus, Simulacris, Inſignibus, Nummis deductam, ac pluribus abhinc luſtris ad typum paratiſſimam, cauſæ in Ephem. Cent. I. & II. Appendice p. 245. declaratæ non inviderent publico! Vtinam *Asclepiadeis*, quas magis indies ad prelum præparas, de Baculo nempe Æsculapii, ejusque apud Coos Feſto Exaltationis, de Tripode Asclepiadeo, de Hygeiæ Pentagono, ejusdem Maza, Metaniptro, de utrorumque Comite Telesphoro; *Diſſertationibus*, æque ac frequentioribus Iconismis huc pertinentibus eo promtiores adſint curatores, quanto ad majorem ſui expectationem Antiquitatis Medicæ Curioſos vel hoc nomine invitent, quod a *LOCHNERO* Autore & Patre natales ducant. Reliqua inſuper ſelectiſſima, *Obſervationes* Medico-Curioſas varias, Ephemeridum Decuriis & Centuriis inſertas, nec non Commentationes in *Parreiram bravam*, *Mungos*, *Ananaſam*, (plura, quibus incumbis, inprimis *Exotica* nunc taceo) *Memoriam Febrianam*, & quæ non? ecquis niſi lectione plus decies repetita dimiſerit?

5. Enimvero tantum abeſt, ut credam, innumera TVA, VIR PERILLVSTRIS, merita dignis ac meritis hucusque a me celebrata fuiſſe elogiis, probe gnaro his nonniſi laudatos ſuffice-re viros; ut potius Dignitatis TVAE graviſſimæ, humili ac in-

con-

concinna hac dictione ac erroribus forte frequentioribus, læsæ culpam denuo sollicite deprecatum accedam: Attamen Clientes, inter queis Ea enumerare, admirari, venerari licitum, quæ alii ex condigno celebrant, locum vel infimum qualemcunque ut mihi concesseris, est quod enixe rogito. Velut Horrorum Patroni Spectabilissimis Lauris merito principem adjudicare, at suum quoque fragili Corylo, tenuibusque & humilioribus Myricis non denegare locum consueverunt. Macte igitur *Per-Illustris LOCHNERE*, aliorum dignissimis applausibus Virorum, quos Germania & Exteræ Regiones colunt, quosque ipse nosti Θαυμασίως; quos partim Inclytæ Argonautarum Curiosorum Societati, cujus expeditiones omnium applausu & veneratione directum, locupletatum, illustratum pergis, partim omni Reipublicæ Medicæ & Litterariæ in firmissimum Præsidium & Decus perpetuum dedit, & adhuc (utinam porro diutissime!) conservat *Divina Protectio*; qui scripta TVA intimius revolventes, continuis ac jucundissimis, quæ modo profundius rerum Medicarum scrutinium, modo Antiquitatis reconditæ pervestigatio, modo omnis Latii Sales & Veneres, mutua inibi miscent palma, certaminibus præmia digna adjudicaturi, TE, (quod & Eruditissimus Burckhardus egit) non tantum Medicis gravissimis Humanitatis Studiorum *Vindicibus*, sed & Reipublicæ Medicæ ac Litterariæ *Statoribus* dudum adscripserunt; qui TE majori indies cultu excipiendum judicant; quorum eo redeunt vota, *Summum Numen* TE utrique huic Reipublicæ, ac inprimis Inclutæ Curiosorum Academiæ, servet sospitem ac incolumem, nec non senio instanti licet jam propiorem, attamen tot fructibus exquisitissimis fertilissimam aetatem quam diutissime pergere faciat: Quibuscum eadem, & mea qualiacunque, at candida certe liceat conjungere vota! De reliquo significandum est, Litteras, VIR SVMME, Tuas, ac Fasciculum Tractatuum, Munificentiæ Tuæ pervenerandæ τεκμήρια, rite ad me Noriberga pervenisse. Nil omnino mihi restat aliud, nisi admirari denuo ac colere tot Humelsteinensis *TVI* Tusculani Otia, vel

vel potius χρύσεα negotia, & (meum faciendo istud) excipere χρύσεα Tua bocce χαλκέια.

6. En igitur Figuram, quam nosti & exoptasti æneam Symboli Cratoniani, cujus Ectypum frontispicia harum præ se ferunt, cujusque occasione contentan earum, circa medium superioris Anni, & alia vice paulo tardius exaratarum, additis & mutatis necessariis hic repetenda & denuo confirmanda duxi:

„ Silentio non involvendus est Nummus Cratonianus hucus-
„ que vix adeo cognitus, ex argento percussus, quem Excel-
„ lentissimo Dn. D. Nimptschio A. N. Curioso Vratislaviensi
„ Numorum quidam proclamator, varia Musea perreptans,
„ certo pretio, vendidit, nomen Musei unde fuerat profectus
„ studio reticens. Hunc a prælaudato Possessore mecum
„ humanissime communicatum dignum omnino judicabam,
„ quem æri incidi curaverim, ut Figura ænea Dissertationi-
„ bus de Statuis & Nummis Medicorum inservitura ad nu-
„ tus Tuos, sin exoptaveris, semper adesset paratissima. Pri-
„ ma frons effigiem Cratonianam, additis: *Jo. Crato a Craft-*
„ *heim Cons.* iliarius Et *Med.* icus *Cæs.* areus, vel, si numerum
„ sequimur, *Cons* iliarius *E Med* icis *Cæs* areis; aversa Simo-
„ nis Leonem dilacerantis figuram fere nudam, cum Epigra-
„ phe satis noti Symboli Cratoniani, *Iræ modereris et ori,*
„ exhibet. Hoc Symbolo plurimorum si non omnium Li-
„ brorum (quorum non paucos Excellentissimus Vratisla-
„ viensium Krantzius possidet) Bibliothecæ suæ involucra
„ ornare Crato consueverat. Ætatem interim Nummi, ac
„ Percussoris nomen, prima statim facie, literis initialibus A.
„ A. indicatum, aliis indaganda relinquo, cum notasse suffe-
„ cerit, titulum *Consiliarii* huic unico, ex reliquis Cratonia-
„ nis adhuc cognitis esse præcipuum.

7. Porro quæ de alio Nummo, Effigies, prima quidem fronte Divi Maximiliani II. aversa Cratonis repræsentante & Ephem.

A.N. C. Centur. III. IV. Append. pag. 182. in Memoria Jænisiana allegato, expressius postea in litteris A. 1715. Mens. Sept. monueram, in memoriam revocare, ne, VIR SVMME, quæso, graveris: ex quibus sequentia coram confirmare ausim.

„Prælaudatus Celeberrimus Krantzius Nummi hujus non ar-
„gentei, sed ærei Possessorem ante hos triginta, & quod ex-
„cedit, Annos seipsum extitisse, postea vero Godofredi Roh-
„nii (in Miscellaneis Litterariis Rungianis Part. I. laudati)
„usibus eundem se concessisse, nuperrime denuo adfirmavit.
„At, Rohnio præmatura morte extincto, inter res ab eo re-
„lictas minime repertus, & in Illustrem ad S. Matthiam Vra-
„tislav. Bibliothecam, Rohnio valde frequentatam, transmi-
„grasse creditus, sed sæpius postea ab Excellentissimo Kran-
„tzio, æque ac hactenus per bimestre, ab Amico quodam Si-
„lesiacis Antiquitatibus addictissimo, inibi & alibi, Vratisla-
„viæ & extra hanc, denuo frustra quæsitus fuit: ut adeo haec
„ejus transmigratio merito in dubium, præsertim quæ præ-
„fatam Bibliothecam attinet, venerit. An igitur, distractis
„huc & illuc rebus Rohnianis, in aliorum manus inciderit,
„qui Nummi curam non habuerint, vel eam suppresserint,
„aut aliorsum avexerint, expiscari nemini adhuc licuit. Sic
„spes ad illum obtinendum fere expirasse videtur; hæc au-
„tem sicubi ex insperato revixerit, ne exoptatam ejusmodi
„εὕρημα desiderium *Tuum* ex nuperis cognitum diutius lateat,
„sedulo invigilabo. Tantum.

8. Vix ausus fuissem crambem dictis in Epistolis appositam recoquere, nisi singula ad præsens argumentum pertinere credidissem, nisi animum addidisset istud unicum, quod *Nummos duos Cratonianos* in Ephem. N. C. Cent. III. IV. Append. exhibentes ab his diversos, Jænisiani olim, nunc Hankiani Musei, ibidem laudati, incolas, mea qualicunque cura publici juris factos, *Illustri Magnificentiæ Tuæ* neutiquam displicuisse, per litteras biennio abhinc significaveris.

9. At

9. At quantum hos dignitate ac ſplendore antecellat majoris moduli (cujus Eſtypum Gratia TVA parili tempore concedebat) *præmium a Divo Maximiliano II. Cratoni Medico ſuo probato A.* 1574. *oblatum* &c. Opus *Tuum* deſideratiſſimum de Statuis & Nummis Medicorum cuivis ob oculos ponet.

Exinde apparet, non Trigam, a me nondum meliora tunc edocto, fruſtra in Memoria Jæniſiana Eph. l. c. p. 182. 196. intimatam, ſed Pentadem Numorum Cratonianorum ſpectandam fore, ſin prius cui tam felici eſſe contingeret, ut ſupra citatum pro deperdito habitum olim reſtituere & Germanorum Medicorum Honoribus hoc ipſo non parum augendis aliquid addere queat.

10. Ad Exterorum Nummos quod attinet, Trigæ horum, Antiquarius quidam Vratislaviam ſuperiori Anno permeans copiam mihi fecit; quorum prior maximi moduli, multis modis conſideratione dignus, effigiem Franciſci *Redi*, Itali; alter minoris moduli, vultus Guidonis *Patini* Galli, cum Epigraphe in averſa: Vrbi & Orbi Salus; Tertius memoriam Vrbani *Hiarne*, vel Angli vel Sveci conſervat. Priorem & alterum inſtructiſſimo *Tuo Magnifice Domine*, Apparatui jamjam ſuppetere optime novi; de tertio non adeo conſtat. Quapropter leviſſima ſaltem, quibus veſtigium Nummi impreſſum eſt, ſtanni foliola involucro hujus Epiſtolæ incluſa dijudicatum transmitto, cum præſertim dubius hæream, an publica an vero privata Autoritate cuſus, an γνήσιος ſit nec ne, an Anglum referat an Svecum? Certe Anglum innuit prior facies, nonniſi titulum Soc. Reg. Angl. exprimens, nec non Familiæ hujus Nomen in Anglia adhuc clarum. Suecum evincere in averſa videtur partim Karlſteinii Cuſoris nomen; partim verba: Gott and Tott, quaſi Deo & Comiti fidum ſe dixiſſet Vrbanus Hiarne, Svecorum Comitis de Todt vel Tott a Legatione Medicus celebris; partim quod Hiärna D. Tractatus de Acidulis Sveciæ Holm. 1683. in 8vo, &

Hierne Archiater Reg. Svec. Tentaminum Laboratorii Regii Holmiensis A. 1712. in 4to Autor, prænomine Vrbani gaudeat: quibus ex rationibus unum forte eundemque esse Virum, cujus memoriam Nummus conservat, concludendum foret. De his autem omnibus sententiam nondum audeo interponere meam, sed expecto TVAM. Tantum!

II. Vale, *Illustris Domine Director*, imo bene Vale! *DIVINAE PROTECTIONI* votis reiteratis commendatissime; ac Clientis TVI observantissimi precibus locum concedere perge Favorem TVVM efflagitantibus perpetuo devenerandum. Dabam Vratislaviæ A. O. R. M DCC XVII. Pridie Idus Februarii.

Series Contentorum secundum Numeros Marginum.

Num. 1. Nomina Medicorum Numographorum excerpta usque ad Annum. 1683. 2. Continuatio Posiorum usque ad Ann. 1716. ubi & mentio Nummi in Museum Cimbricum cusi. 3. Epistolæ Excusatio. 4. Dn. D. LOCHNERI Scripta Numismatica, & Medica. 5. Ejus Celebritas; Vota pro Eo. 6. Nummus Cratonianus Prior cum Ectypo. 7. Secundus pro deperdito habendus. 8. Tertius & Quartus, cujus Ectypa in Ephem. Cent. III. & IV. App. 9. Quintus curante Dn. D LOCHNERO expectandus. 10. Exteri Tres, in Nummis, Patinus, Redi, Hiarne, obiter nominati. 11. Epilogus.

INDEX

Rerum et Obſervationum in Centuria V. et VI. contentarum.

A.

Ablactationis Feſtum. 213 App.
Acidi ſucci in ſerum ſanguinis actio. 178
Acidularum operatio ſingularis. 32
Acus intra veſicam intruſa. 42
Allantoidis tunicæ hiſtoria. 231
Alvi ſegnities pertinaciſſima. 30
Alſine Cameraria. 95 App.
Ambroſia Artemiſiæ fol. Malab. 148 App.
Amphora VV. Roman. 276
Anatomiæ practicæ encomium. 396
Aneuriſmatis hiſtoria. 128
Anthrax maximus, benignus, curatus in ſene. 58
Antimonii crudi uſus medicus. 281
Ariſtolochia rotunda vis antiarthritica. 112
clematidis vis antipodagrica 354
Arſenici ſumti cura. 76
Arteria magna oſſea. 306
Arthriticum novum medicamentum. 111
Aſphyxia diuturna. 180
Aſthma humidum fonticulo curatum. 320
plurimorum annorum ſubito mortem inferens. 74
Atretus curatus. 327
Atrophia cum vomitu quotidiano etc. 205
Aurium tinnitus remedium. 23

B.

Balſamum catholicum Burrhi 258
Baroſcopii ſtatus ſub Eclipſi. 39
Belille frutex. 167 App.
Belilli duplex Dagin & Dara Belelli. 167 App.
Bolatiam quale edulii genus. 192 App.
Botrys Mexicana etc. 147 App.
Bubonum peſtilentialium locus. 249
Bufonum uſus in hydrocele et anaſarca. 336

C.

Cadaverum cruentatio. 174
Cafe a la Sultane. 155 App.
Calculi historia. 138
bilarii. 1
vaccini candidi. 50
Calculus in orificio penis hærens. 80
ingens utriusque renis letalis. 310
ex tonsilla excisus. 302
Calculo obductum ovum ligneum. 295
Calculosæ anatome. 35
Canalis venosi in fœtu descriptio. 236
Cancer ex verruca faciei causticis tractata. 58
Cancri euporistum vitriolum. 302
Cantharidum infusi usus in suppressione urinæ. 103
Capraria Peruviana Agerati foliis. 150 App.
Carnes pecorum lue infectorum pro esu sunt suspectæ. 123
Caruncula urethræ venerea. 349
Catalepsis curata. 195
Ceparum esu hydrops sanatus. 61
Cerebelli admiranda structura. 157
Cervi cornuum ramorum numerus. 122
Chondrilla cichoroides. 61 App.
Cichorii radicis usus in phthisi. 338
Ciconiæ anatome. 209
Cochleæ vivæ in pyris. 328
Conservarum ortus. 59 App.
Colicæ historia. 131
cura per frigida. 193
aquam. 194
Colica gravissima cum intestini jejuni incuneatione. 378
Cordis foramen ovale in juvene patens. 358
Cornuum Ammonis historia. 15 App.
Copides qualia convivia. 204 App.
Crapula in partu difficili innoxia. 20

D.

Dagin & Dara Belilli. 190 App.
Deglutitio læsa cum aliis symptomatibus. 93
Diana Corythallia qualis. 205 App.
Diarrhœæ cura singularis. 179
Ductus thoracici fibræ annulares. 235
Dysuria ab inepta herniotomia. 324

E.

Echinanthe qualis planta. 158 App.
Ecpiesma cum vulnere cerebri. 421
Eduša Dea. 214 App.
Embryo mortuus diu in utero detentus. 26
in vesica urinaria repertus. 29
Epiphora auris. 154
Epiplocele duplex in uno subjecto. 164
Epilepsia contumax usu ipecacoanhæ vindicata. 315
Equisetorum ortus 58 &c. App.

Erysipe-

Eripſipelas phlegmonodes grave. 319
Eſſentiæ cujusdam dulcis noxa. 326
Exoſtoſis cranii interior. 221

F.

Febrium intermittentium cura. p. 68
diuturnarum cura. 192
Febris quartana inverſa. 22
absque chinchina curata. 192.
non niſi hernia ſcrotali prorumpente curata. p. 318
tertiana præpoſtere curata. p. 67
octona ad Lunæ periodos. p. 317
maligna petechialis Altdorfina. p. 417
Vratislavienſis. 105
Viennenſis. 143
malignæ & putridæ medela. 386
peſtilentialis Polonica. 247
Febres Timorenſes, 193. App.
Febrile epicarpium. 60
medicamentum empiricum. 110
Firome fucus marinus eſculentus. p. 170. 191. App.
Fiſſura cranii in oſſe petroſo Epilepſiæ &c. cauſa. 226
Fator putredinoſus ſubitus in cadavere. 30
Fœtus humani ſceleton per triennium in utero retentum. p. 307
in utero materno extincti pulmones ex parte aquæ innatantes, ex parte ſubſidentes. 383
Fons medicatus Werſingavenſis. p. 107
Fractura cranii enormis. 55
Fulicæ recentiorum min. Gesneri hiſtoria. 212
Fungorum ortus. 47. App.

G.

Glabrio. 347
Gonagra inveterata curata. 25
Gonorrhææ male curatæ noxa. 100
Gramen Meliſſae. 158. App.
cruciatum. 196. App.
Gutturis inciſi curatio. 419

H.

Hæmoptyſis enormis curatio. 171
periculum emeſi declinatum. 312
Hæmorrhagia gingivarum notabilis. 72
ex oculis, auribus & ore letalis. 325
Hæmorrhoidum doloris euporiſta. p. 62
fluxus ichoroſus. 150
Hemicrania cum lachrymarum fluxu. 321
Herniæ hæreditariæ. 171
Hierba de Palos & Camini. 153 App.
Hieracium caulibus aphyllis &c. 62. App.

Hieracium fruticosum angustifolium &c. ibid.
Holothuria an Tethyorum mater. 169. App.
Hydrophobia singularis. 51
Hydrops peritonæi. 35
uteri. 114
sanatus. p. 61. 177. 260. 281. 337
Hydropis historia. 134
Hydropici &c. anatome. 396
Hypochondriacum malum hæreditarium 171
Hysterolithi minera. 204

I.

Ikterus singularis. 61
Jens nidi Hirundinum edules. p. 176. App.
Intertriginis nimis cito sanatæ noxa p. 99
Ischuria renalis per 30. dies durans. 311

K.

Katu-tsetti-pu Malab. p. 148. App.
Kirsjap instar Gari veterum. p. 193. App.
κεῖβαια quales placentæ. 209 App.
Küßeln unde dictum. 177. App.
κυρίττοι quales. 210. App.

L.

Lacerta deglutita. 126
Lactea vasa in Intestinis crassis. p. 234
Lallus Deus. 215. App.
Lien duplex. 78
ablatus. 233
in melancholicis insons. 244
Lienis ruptura lethalis. 418
Lingua ligamenti incauta sectio letalis. 328
Lucerna vet. Roman. 276
Luxatio femoris a causa interna. 218

M.

Madarosis Sincipitis perpetua ex subitaneo terrore. 316
Mägling Tethia Germanice dicta. 185. App.
Mania hæreditaria 329
Mars virginum chloroticarum solatium. 378
Medicinae indigenae laus. p. 165 App.
Melancholicorum duorum cadaverum anatome. 242
Mensium scaturigo. 36
fluxus in puella septenni. 83
vetula. 333
ex genu. 319
gravitatis signum. 335
maturior eruptio a V. S. 187
a *Mezerei* baccis comestis hypercatharsis. 297
Mictio pultacea diuturna. 118
Mola triplex. 86
Morbilli intra unius mensis spatium secunda vice redeuntes. 90
Mordexi qualis morbus. 196
Muricoli concharum genus. 181 App.
Muscorum ortus 48. &c. App.

N.

Nævorum singularia. 29
Nenia qualia carmina. 216. App.

Nostra-

Noctambulonis cura. 24
Nummi Medicorum. 219. App.

O.

Ocalorum XL. Operationes Chirurgicæ. 132. App.
Odontalgiæ mira causa. 28
Oleum Siree quid sit. 157. App.
Ossa sesamoidea in femore & minimo digito. 245
Osficula duo duræ matri incumbentia. 221
Otalgia remedium podagræ. 24
Ovariorum abscessus. 33
Ovorum durorum a vitellis undecim deglutitis suffocatio. 308

P

Palmarum propagatio. 80. App.
Paracentesis usus in hydrope uter. 114
Paragnay herba. 152. App.
Paralysis intestini recti post usum purgantis drastici. 57
Partus sine lochiis. 336
in Partu difficili fragor primiperæ. 259
Peripneumonia defuncti anatome. 181
Phthisis ex ulcere tibiarum sanat 27
Pitao qualis morbus. 195. App.
Plantarum propagatio. 45. &c. Ap.
Pluvia lapidea. 195
sanguinea. 197. 281
Podagræ solatium pediluvium. 23
Polypus auris. 221
Potina Dea. 214. App.
πρόσωπα quid sint. 210. App.
Pseudomolæ sanguineæ. 299
Purgantium mira aversio. 167
Purpuræ nova species. 415

R.

Radiola, planta. 63. App.
Salium medicorum per viam siccam paratorum genealogia. 284
Schwemmling Germ. dicta Tethya. p. 186. App.
Sciatica parandi methodus. 405
Secalis degenerantis noxa. 344
Serpens ex puella depulsa, 330
Singultus a Venere. 54
potu acidularum excitatus. 68
Solor Insula ubi Belilli colligitur. 189. App.
Spasmis miris defunctæ anatome. 166
Spergula foliis Knaut &c. 270
Sphacelus pedis sponte terminatus. 341
Spherdocles Tethya dicta. 186. App.
Spina dorsi distorsio & emotio. 261
Sprützling Germanice dicta Tethya. p. 185. App.
Sternutatio periodica, 32
Submersi anatome. 353
Sudor coloratus. 125
Surditatis remedium. 156

T.

Tethyos & Tethyorum Historia. p. 167. seqq. App.
Tethya non sunt ostrea. 181 App.
Tethya Amboinensia. 186 App.
Solorensia e quibus Belilli. p. 198. App.
Tethys Dea qualis. 176. App.
Thee Romanum. 147. App.
de Lima. 150. App.
de Paraguay. 152. App.
Theriacæ usus in peste, 255

Thetis qualis Dea. 175. App.
Timor Insula ubi Belilli colligitur. 189. App.
Timorenses Febres. 193. App.
Tithenidiorum Festum. 203. seqq. App.
Titillo verbum unde. 177. App.
Trichiasis cum calculis vesicæ. 296
Tubaksi qualis planta. p. 160. App.
Tumor faucium periculosus curatus. 264
humeri scirrhosus. 228
membranæ adiposæ. 44
Tubercula subcutanea. 65
Tussis ferina ex ulcere brachii curato. 25
Tympanitidis varia sedes & curandi methodus. 162

V.

Variolæ cum diarrhœa innoxiæ. p. 339.
sanguinolentæ lethales. p. 340
per insitionem excitatæ. 3
Venarum mesaraicarum observationes curiosæ. 181
Venæsectionis in senibus utilitas. p. 169
usus in febribus intermittentibus. ibid.
mensium defectu. p. 180
lienosa. 189
dolore capitis. p. 191
puerpera. 187
frequenter celebratæ. p. 186
Veneris virtus antivenerea. 303
Ventriculus perforatus cum cita morte. 62
Ventriculi pylori nova descriptio. 161
Vermes mira symptomata excitantes. 70
in variis corporis partibus. p. 126
ascaridibus fœti. 332
Vermis umbilicalis. 70
per vomitum ejectus. 177
Veronica spicata foliis Veronicæ off. 270
Vesicula felleæ absentia. 1
quædam singularia. p. 243. 244
Vetula partus monstrosus. 46
Vitriolum cancri euporistum. 302
Vitrioli flores philosophici. 365
Ulceris antiqui consolidatio funesta. 89
Umbilicalis venæ in fœtu vera insertio. 236
Vomitoriorum necessitas. 170
Vrachus in fœtu humano pervius. 202
Vrina per alvum excreta. 21
Vrinosi odoris vis diuretica & abortiva. 59
Vulnus oculi exiguum grave. 309
ventriculi duplex cito letale. 56
cerebri profundum curatum. 421
vaginæ uteri curatum. 87
Vulnera profundiora cerebri in cane sponte sanata. 206
Vulnerarius liquor, ibid.

Z.

Zitzen Germanicum unde. 177 App.